

H. lit. U. 276 (1

Hbh
VI
442
Bj 205 (1

H. lit. u. 276

BIBLIOTHECA HISTORIAE LITTERARIAE SELECTA

BIBLIOTHECA REGIA MONACENSIS.

OLIM TITVLO

INTRODVCTIONIS

IN

NOTITIAM REI LITTERARIAE

ET VSVM BIBLIOTHECARVM

INSIGNITA

CVIVS PRIMAS LINEAS

DVXIT

BVRC. GOTTHELF. STRVVIVS

ICTVS ET HISTORICVS IENENSIS.

POST

VARIORVM EMENDATIONES

ET ADDITAMENTA

OPVS ITA FORMAVIT

VT FERE NOVVM DICI QVEAT

IOHANNES FRIDERICVS IVGLER

AVGVSTISS. MAGNAE BRIT. REGI A CONSILIIS
ET ACADEM. EQVESTR. LVNEBVRG.
INSPECTOR.

CVM PRIVILEGIO S. REG. MAIEST. POLON. ET SER. ELECTOR. SAXON.

IENAE SVMTIBVS CHRISTIANI HENR. CVNONIS.

clↄ Iↄ CC LIV.

R

Struv

Hbh VI 442/1

B 205/

Tom. 1

9 F m. Schild

ILLVSTRISSIMO ATQVE EXCELLENTISSIMO HEROI

DOMINO

GERLACO ADOLPHO

L. B.

DE MVNCHHAVSEN

DOMINO STRAVSFVRTI RELIQVA

AVGVSTISSIMI AC POTENTISSIMI

MAGNAE BRITANNIAE REGIS

ET

PRINCIPIS ELECTORIS

BRVNSVICO-LVNEBVRGICI

MINISTRO STATVS INTIMOQVE CONSILIARIO

IN CVRIA REDITVVM REGIA PRAESIDI

ACADEMIAE GEORGIAE AVGVSTAE

QVAE GOTTINGAE FLORET

CVRATORI

ORNAMENTO SAECVLI

DEMISSISSIMVS CLIENS

IOHANNES FRIDERICVS IVGLER.

Qui tot iam aliorum libros miti vultu ac ſereno recepiſti, MAECENAS VLTIMAE POSTERITATIS MEMORIA DIGNISSIME, *facile permittes etiam, vt hoc praeceptoris quondam* TVI *Opus, qualicunque ſtudio meo auctum et perpolitum, ſplendidiſſimo Nomini* TVO *ea, qua decet, animi demiſſione inſcribam, ſolemnique formula conſecrem. Cauſſas, cur id mihi facien-*

ciendum omnino ſit, in promtu habeo ſatis graues, ſatis idoneas. Octauus enim nunc annus agitur, ex quo me, in feliciſſimas Germaniae noſtrae prouincias, quae Georgio Pacifico parent, nutu diuino, ac praeter opinionem meam, adſcitum, tam ſingulari dignatus es patrocinio, vt, quod dudum et plurimis eruditorum ſcriptis, et quotidianis ſermonibus innotuerat, omnia in TE, VIR MAXIME, *plena clementiae eſſe, omnia manſuetudinis et humanitatis plena, ego ſimiliter re ipſa experiundo cognouerim. Quem ſummum* TVVM *erga Muſas meas amorem (non offendet haec vox Patrem Muſarum) quoties mens cogitatione complectitur ac depingit quaſi, non poteſt non accreſcere in*

dies

dies et altioribus diffundi radicibus admiratio TVARVM virtutum, gratique animi declarandi cupiditas. Haec igitur ne diutius lateret in occulto, arripere malui, quae nunc offertur, occaſionem, quam aptius ſubinde tempus, ac nobiliorem ſcriptionis materiam exſpectare. Neque tamen et huius libri argumentum eſſe alienum arbitror a TVIS, VIR ILLVSTRISSIME, ſtudiis, quibus vt olim eluxiſti inter aequales Academica in palaeſtra; ita in aula deinceps potentiſſimi Regis ſempiternam conſequutus es gloriam, et ad celſiſſimum dignitatis gradum perueniſti. Maxima praeſentis Operis pars de Bibliothecis, illis doctrinae vniuerſae receptaculis, agit. Quis vero ignorat,

has

has TIBI iam pridem, inter infinitas maximique momenti occupationes, curae cordique fuisse? Testatur id apertissime Regia Hanouerana, testatur id Bulouiana Gottingensis praesertim, TVIS, MAECENAS, consiliis, TVO beneficio auxilioque per trium, et quod excedit, lustrorum spatium adeo amplificata, vt omnes plutei, egregiis ac pretiosis conferti voluminibus, perpetui sint prouidentiae Munchhusianae praecones. Si praeterea reputo mecum, TE, VIR ILLVSTRISSIME, sub ipsa initia florentissimae Georgiae Augustae, quae TVAE industriae, nunquam fatigandae, plurimum certe debet, ordinarium Historiae litterariae Professorem, exemplo

plo

plo antea vix cognito, conſtituiſſe, TEque, ſaluti Academicae, tamquam ex aliqua ſpecula, proſpicientem, ad ornandum hocce Muſarum domicilium honeſtiſſimis lautiſſimisque conditionibus aduocaſſe vndique viros, non abundantia eruditionis modo, verum docendi etiam ſuauitate, celeberrimos: nulla ratione vereor ego, ne Bibliothecam litterariam, in qua plerorumque, quibus Gottinga Tua vel olim conſpicua erat, vel adhuc ſuperbit, dulciſſima paſſim nomina occurrunt, repellas a faſtigio TVO, triſtemque ac perturbatam reuerti iubeas ad illius editorem. Digito me caelum potius credo attigiſſe, quod TVO, MAECENAS CONSVMMATISSIME, praeſidio ſuffultus nihil non ſalutare augu-

rari

rari et in posterum queam; ideoque, ne excidam gratia TVA, plane incomparabili, omnes aetatis industriaeque neruos contendam, ac Deum precabor immortalem, vt saluum TE, optimeque valentem, rei publicae et litterarum commodo pulcherrime factorum gloria perfrui quam diutissime patiatur.

Scribebam Luneburgi,
d. XV. m. Septembr.
cIↃ IↃ CC LIII.

LECTO-



LECTORI HONORATISSIMO

S. P. D.

EDITOR.

Si vnquam Operi necessaria fuit Praefatio, institutum illius ac rationem vniuersam exponens, hoc omnino tempore, quo BVRCARDI GOTTHELFII STRVVII *) *Introductionem in rem litterariam vsumque Bibliothecarum* noua facie produco, Tibi, Lector, commemoratis antea fatis libri, significandum est paullo adcuratius, quo consilio hunc ego tractauerim, et ad maiorem prouehere studuerim perfectionem.

Primae

*) Vitam huius viri, quem etiam posteritas celebrabit, depinxerunt complures. In epitomen redactam exhibent *Acta Eruditorum Latina, anni 1740. p. 518. sq.*

Primae illius editioni, obſeruante id reuerendo HEVMANNO in *Conſp. Reip. litter. Cap. II. §. 11. p. m. 19*, occaſionem dederunt octo Muſarum cultores, Struuium rogitantes, vt ipſos priuatis in ſcholis rei litterariae notitia imbueret. Annuit is, et, Morhofio potiſſimum duce, non nihil elaborauit, ſuisque auditoribus dictauit calamo excipiendum. Metuens deinceps, ne imperfectae hae ſchedae, eo inſcio, typis exſcriberentur, ipſi placuit diuulgare libellum, quod factum *Ienae anno huius ſaeculi tertio in 8*, quamquam titulus annum ſequentem indicat. In *quinque* autem *Capita* diſpertitus tunc eſt laborem ſuum, quorum *primo* egit de Bibliothecis Germanorum praecipuis, *altero* de vſu Bibliothecarum; *tertio* de ratione disponendae rei litterariae, ſcriptoribus, qui ad generalem notitiam faciunt, et Ephemeridibus eruditorum cum primis; *quarto* de excerptis litterariis, partim librorum, partim vitarum atque elogiorum; *quinto* denique de typographiae origine, hiſtoria et celebrioribus typographis. Adiecit quoque Diſſertationem *de doctis impoſtoribus*, ab ſe, menſe Iulio eiusdem anni, in Philoſophorum cathedra publice defenſam.

Opella haec litteraria, cuius recenſionem copioſam reperies in TENTZELII *curieuſen Bibliothec, Repoſitorio I. p. 425. ſq.* obſeruationibus eius illuſtratam, tanta ſtatim auiditate coemta fuit, (arriſerat enim nouitas argumenti et amoenitas,) vt, anno vix vno atque altero interiecto, de ſecunda cogitandum editione eſſet, quam librarius *ibidem*

a. 1706.

a. 1706. abſoluit. *Vndecim* ea *Capita* continet, quandoquidem Auctor integrum Caput de Hiſtoria litteraria in genere praemiſit, tum alia de Bibliothecis deperditis; de Bibliothecis exterorum; de Scriptoribus iudiciorum; de libris damnatis et prohibitis; deque Societatibus litterariis addidit, in multis autem ordinem mutauit, varia emendauit, nec pauca inſeruit, quae ipſi antea in mentem haud venerant. Legi meretur, ſi quis hanc etiam editionem noſſe ſubtilius voluerit, idem TENTZELIVS *l. c. Repoſit. III. p. 184. ſq.*

Aucto in dies emtorum plauſu, *anno 1710.* tertium liber prelo exiit, compluribus iterum a Struuio acceſſionibus ditatus, quas tamen, vt eo minus prioris editionis poſſeſſoribus moleſtus eſſet, ſeparatim, titulo *Supplementorum*, excudendas curauit vna cum Oratione *de meritis Germanorum in Hiſtoriam.* De hisce Supplementis Auctores *der Neuen Hälliſchen Bibliothec*, *Parte VII. p. 615. ſq.* diſſerunt, ſed parum honorifice, aſperioribus maxime verbis Orationem perſtringentes.

Subſequuta eſt *anno 1715.* quarta Introductionis in notitiam rei litterariae editio, nuſquam auctior tamen, Struuio ab Hiſtoriae litterariae ſtudiis, ob alias occupationes, penitus auocato. Interim IOH. CHRISTOPH. COLERVS, vir ſcriptis lectu dignis clarus, Ordinis philoſophici in Academia Vitembergenſi tum Adſeſſor, tandem in aula Saxo-Vinarienſi Orator eccleſiaſticus, vbi eum, non ſine laude hoc munus ſuſtinentem, mors

anno

anno 1736. oppreſſit, ſcholas aperuerat litterarias in Struuianam Introductionem, ex quibus nata ſunt *Analecta* eius quatuordecim plagularum, edita *Ienae a. 1723. in 8.* Multa in iis emendauit Colerus, a Struuio perperam expoſita, obſcure dicta paſſim illuſtrauit, non nulla quoque ex Hiſtoria eruditionis recentiſſima immiſcuit; quibus omnibus acceſſit ſingularis ipſius *de praeſenti rei litterariae ſtatu* Diſſertatio.

Quum poſtea, praeteritis aliquot annis, nec editionis quartae exemplaria ſupereſſent ad ſatiandam eorum cupiditatem, qui librum Struuianum in tabernis ſolebant idemtidem requirere, bibliopola, Erneſtus Claudius Bailliarius, adiit Auctorem, et, vt ipſemet partum ſuum efficeret pulchriorem, enixe rogauit. Hic vero, denegata hac in re opera, totum nouae editionis negotium curamque permiſit arbitrio illius, qui proinde *Supplementa* STRVVII, *Analecta* COLERI, ab eo interdum locupletata, et MICH. LILIENTHALII, eruditi quondam apud Regiomontanos in Boruſſia Theologi, cuius de vita ſcriptisque conſulas *Lexicon Eruditorum Menckenio-Ioecherianum*, *Obſeruationes* dudum promiſſas,*) at nondum editas, in vnum cogere Volumen, et ſingula, iuſto ordine, ipſis libri Paragraphis ſubiungere conſtituerat. Animaduertens tamen, primo alteroque Introductionis Capite typis impreſſo, molem Operis Lectoribus ingratam

*) Iam a. 1715. has ipſas Obſeruationes prelo paratas habuiſſe Lilienthalium, docet *der Neue Bücher-Saal*, *Parte XLVIII.* in nouis litterariis, quae acceſſerunt Indicibus.

gratam fore, mutauit quodammodo bibliopola consilium pristinum, et, quae vnus Tomus complecti commode non poterat, duobus exhibere satius duxit. Itaque Lilienthalii Adnotationes, vtpote copiosiores, quum tertium libri Caput excudendum esset, auulsit plane, eo quidem animo, vt partem harum reliquam cum IOH. BVRC. MENCKENII, cuius in Historiam et ciuilem, et litterariam, nemo merita ignorat, *Praelectionibus*, priorumque editionum Adpendicibus, STRVVII nimirum Dissertatione *de doctis impostoribus*, EIVSDEM Oratione *de meritis Germanorum in Historiam*, COLERI Dissert. *de praesenti rei litterariae statu*, itemque aliis in hanc Introductionem Commentationibus, a viris quibusdam doctis exspectandis forsitan, Tomo secundo includeret.

Sic primus prodiit duntaxat *Ienae a. 1729.* sexaginta octoque plagulis *in 8*, qui comprehendit simul, praeter supra memorata, a *pag. 959.* vsque *ad pag. 969.* noua Coleri *addenda* atque *supplenda*, nec non triplices *Indices*, partim Auctorum, partim librorum, quorum ignoti plerumque sunt fabri, pleniorque in Introductione suppeditata fuit notitia, partim rerum memorabilium. Cura editionis tunc temporis demandata fuit egregio hodie Academiae Salanae Theologo, IOH. CHRISTOPH. KOECHERO, qui, quantum inter obseruandas typorum operas fieri potuit, eam ab erroribus sat multis grauibusque, quibus prior editio scatebat, purgauit, omnia bonum in ordinem redegit, et vt Lectoribus innotesceret statim, quaenam Introductionis loca vberiori

riori ſermone explanata fuerint, ſingulis Paragraphis, ope ſignorum quorundam, Commentationes ad eos ſpectantes adnexuit, ſuasque itidem notulas, per litteram K. ab aliis ſeparatas, Capite maxime primo interpoſuit. Eidem debentur Indices, meliores longe perfectioresque iis, quos editio antecedens habet. Vid. hic omnino *Praefatio*, *Introductioni Struuianae a. 1729.* praefixa. Sed, ne Tomi ſecundi obliuiſcar, is primum non eſt conſequutus, ideo quidem, vt accepi, quod Lilienthalius, aegre ferens notarum ſuarum diſiunctionem, omnes ſchedas repoſcere maluit, quam eas futuris bibliopolae vſibus relinquere. De Menckenianis Praelectionibus nihil, quacunque diligentia adhibita, reſciui.

His etiam libri exemplaribus diuenditis vir honeſtiſſimus, Chriſtian. Henr. Cuno, ante hos decem annos negotium dedit mihi, vt illum extrema lima perſequerer, vbique neceſſariis ex Hiſtoria litteraria recentiori acceſſionibus dilatarem, celeberrimique Auctoris Bibliothecis ſelectis redderem quam ſimillimum. Ego, tum otioſus aliquantiſper, deſcendi facile ad oblatas conditiones, et mox conquiſiui, quae noſtro inſeruire poſſe inſtituto arbitrabar. Deinde vero munera publica locorumque mutationes, morbi non nunquam, itinera, et impedimenta alia obſtiterunt, quo minus laborem, intra praefinitum tempus, perducere ad exitum liceret. Vrget interim bibliopola, moraeque longioris impatiens, fidem vt liberarem, ſaepius rogat; qua de cauſſa ſerio manum admoueo rei, preloque paro fere omnia, per aliquot annorum ſpatium Intro-

ductio-

ductioni Struuianae, ex pacto et conuentu, adiecta.

Tandem perſpectis magis magisque incommodis, quae ex tot Obſeruationum et veterum, et mearum, coaceruatione non poterant non oriri, et Lectorem fatigare vel attentiſſimum, digredior rurſus ab eo, quod mihi propoſueram antea, librumque ad ſaeculi genium fore accommodatiorem ſentio, ſi quaelibet nexu inter ſe naturali et continuo cohaererent. Imo plus mihi ſumo adhuc libertatis, qua de re dicendum eſt paullo diſtinctius.

Scilicet, vt ab ipſo Struuio initium capiam, quamuis ille Operibus vtiliſſimis inſigniter ſit de re publica litteraria promeritus,

- - neque enim illi detrahere auſim
Haerentem capiti multa cum laude coronam;

hoc nihilominus, ſalua viri optimi exiſtimatione, integrum erit confiteri, quod in eo libro, quo certa Hiſtoriae litterariae Capita pertractauit, quotidianorum negotiorum mole obrutus mediocriter partes peregerit ſuas. Plurimae profecto paginae teſtantur, eum ſeu genere orationis arido nimis et exſangui, quale deſcripſit *Auctor ad Herennium lib. IV. cap. 11*, vſum eſſe, ſeu, quod iam CAMVSATVS in *Iudiciis de Hiſtoriae litterariae conditoribus Germanis*, quae CIACCONII *Bibliothecae* acceſſerunt, *pag. 22.* notauit, rationis, ſuo quidque ordine diſponendi, immemorem fuiſſe, ſeu minus ſolida, minusque ad inſtitutum pertinentia, in medium protuliſſe, ſeu res eruditius ab aliis explicitas, et obuias facile, omi-

)()(ſiſſe

ſiſſe; quae confirmarem ſingula exemplo non vno, niſi perſuaſum eſſet mihi, nihil eorum, primo ſtatim libri adſpectu, elabi ſagacitati Lectorum poſſe.

His ergo malis mederi pro viribus ſtudui, ac primum, vt aequabilis fieret oratio, meo pleraque ſtilo expreſſi, a veteri illa ſermonis Latini caſtitate elegantiaque remotiſſimo quidem, neque tamen, quantum ſuſpicor, intolerabile legentibus faſtidium excitaturo. Tum, quae tamquam fugitiua in fundo maxime alieno deprehenderam, ad ſtationem ſuam reuocaui, quae aduerſabantur ſibi, inter ſe conciliaui, errores ſexcentos ſuſtuli, inutilia reſecui, eorumque in locum ſubſtitui obſeruationes, ex probatiſſimis et noſtrae, et praeteritae aetatis, Scriptoribus depromtas.

Nec alia regula verſata eſt ante oculos in recenſendis Coleri ac Lilienthalii Additamentis, quorum partem maiorem religioſe ſeruaui, caetera non dubitaui negligere, vbi clariſſimis patebat argumentis, ſine damno carere his poſſe rei litterariae ſtudioſos. Prouoco, ne quis fidem meam ſuſpectam habeat, ad ſolas eas notas, in quibus Wowerii, Conr. Geſneri, Mich. Neandri, Verulamii, Velſchii, Ioh. Henr. Boecleri, Morhofii, Ioh. Henr. Hottingeri caet. vitam vterque, etſi breuiter, enarrauit, vel Auctores adduxit ſaltim, plura de iis ſuppeditantes. Praeterquam enim, quod hi ipſi viri ſatis inclaruerint, et eorum vix vllus hodie fata neſciat, qui ſtudiis eiusmodi temporis non nihil induſtriaeque tribuit, hiſtoriam etiam hominum doctrina illuſtrium

e Le-

e Lexico potius Eruditorum Lipſienſi, et aliis Operibus haud difficulter comparandis, petendam eſſe credidi, quam ex libro, qui, ſelectae tantum Bibliothecae litterariae nomine inſignitus, ſupra modum amplificari, mea ex ſententia, non debebat. Quumque Lilienthalius aliunde non nunquam, occultatis fontibus, hauſerit, more vix excuſando, niſi Gallorum illud: *les beaux eſprits ſe rencontrent quelque fois* ei eſſe praeſidio volueris, ego, quantum occaſio tulit, quin ſuum cuique reſtituerem, temperare mihi non potui, nulla carpendi, quam auerſor, libidine, ſed honeſto veritatis amore inflammatus.

Hactenus de iis, quae prior obtulerat editio. Ad nouas quod attinet aliorum ſuppetias, parum in manus peruenit, quod alicuius eſſe momenti videbatur. Magnum Rei publicae Hamburgenſis ornamentum, MICH. RICHEY, e Praelectionum ſuarum Volumine communicauit aliquando mecum viginti circiter plagulas, nondum Caput primum libri Struuiani abſoluentes, ex quibus decerpſi, meumque in horreum tranſtuli, particulam aliquam, ſemper tamen viri doctiſſimi nomine adſcripto. Superiori demum anno nobiliſſimus SCHREIBERVS, laudatus ab illuſtri BVDERO in *Praefatione*, vltimae editioni *Bibliothecae hiſtoricae Struuianae* praefixa, Roſtochio tranſmiſit Introductionis exemplar, cui recentes potiſſimum libros, in Diariis memoratos, diligenter adiecit. Sed quia hos ipſe iam pridem meis inſerueram ſchedulis, adhuc quidem Collectis eius vti non licuit: ſpero interim, in Tomo II. aliqua exinde mihi leuamento futura. Ad Bibliothe-

)()(2 carum

carum pariter Germanicarum hiſtoriam ſuas contulerunt ſymbolas viri quidam honoratiſſimi, quorum erga me beneuolentiam ingratus eſſem, ni publice praedicarem. Dici ſane non poteſt, quanto mihi labore, quanto ſudore ſteterint bina de Bibliothecis tam exterorum, quam noſtrae gentis, nobilioribus Capita. Conquirenda fuerunt ex omnibus quaſi angulis, quae ad certam earum et ſufficientem deſcriptionem faciunt, nec multum lucis praetulere Lomeierus, caeterique huius generis libelli, hodie ad vulgares non immerito reiiciendi. Hinc euenit, vt eos rariſſime inſpexerim, ſi praeſtantiora monumenta ad manus eſſent, quorum ductu praecipuarum Bibliothecarum formam ac ſpeciem pleniori plerumque penicillo adumbraui, ne Lectores, harum rerum cupidi, corticem inuenirent, vbi nucleum quaerunt. Aliquas tamen, propter ſubſidiorum inopiam, vel attingere tantum, vel plane praeterire, neceſſitas coegit, quod ſicut vehementer doleo, ita eos, qui Bibliothecis talibus praeſunt, aut has ipſas intus et in cute, ſecundum vetus prouerbium, norunt, maiorem in modum obſecro, et per commoda publica obteſtor, ad me perferenda curent beneuole, quibus curtam adhuc ſupellectilem meam augeri poſſe exiſtimant. Proficiam inde in poſterum, ſi vita ſuppetet, et noua forſitan huius Operis editio erit adornanda.

Reſtat, vt verbum addam de titulo Introductionis Struuianae aliquantulum immutato. Inſcripſi eandem *Bibliothecam Hiſtoriae litterariae*, (qualem olim eſt molitus IOH. GOTTLIEB KRAVSIVS, vir in his ſtudiis exercitatiſſimus, referentibus id *Nouellis litte-*

litterariis Lipsiensibus a. 1736. pag. 907.) permotus iudicio Heumanniano in *Consp. Reip. litt. Cap. II. §. 11.* quo loco rectissime pronunciatur, pro continuatione istius laboris, et Bibliothecae iuridicae, habendas esse, quas postea edidit Auctor doctissimus, Bibliothecas, philosophicam atque historicam, laudabili Buderi Kahliique, virorum amplissimorum, lima egregie perpolitas.

Atque haec sunt, quae ad reddendam conatuum meorum rationem dicenda erant. Tu, Lector amice, aequi bonique consulas qualemcunque industriam, erratisque humaniter ignoscas, quae in Historia cum primis litteraria oriri facillime posse, quo quis est eius peritior, tanto melius intelligit. Verbosior, quam vellet, vni alterique videbor interdum, quando de rebus minimis sermo est; sed consideranda fuit ingeniorum diuersitas, caussamque meam eleganter agit PLINIVS *lib. II. epist. 5. Sicut veremur*, inquit, *ne quibusdam pars aliqua, secundum cuiusque naturam, non probetur: ita videmur posse confidere, vt vniuersitatem omnibus varietas ipsa commendet. Nam et in ratione conuiuiorum, quamuis a plerisque cibis singuli temperemus, totam tamen coenam laudare omnes solemus: nec ea, quae stomachus noster recusat, adimunt gratiam illis, a quibus capitur.* Qui e contrario aliqua maioris pretii abs me fuisse praetermissa contendent, ii, quaeso, reputent secum COLVMELLAE verba *de re rustica, lib. V. cap. 1. Non adseueraueram, quae vastitas eius scientiae contineret, cuncta me dicturum, sed plurima. nam illud in vnius hominis prudentiam cadere non poterat. Neque enim est vlla disciplina aut ars, quae singulari consummata*

ſit ingenio. Quapropter vt in magna ſilua boni venatoris eſt, indagantem feras quamplurimas capere; nec cuiquam culpae fuit, non omnes cepiſſe: ita nobis ſatis abundeque eſt, tam diffuſae materiae, quam ſuſcepimus, maximam partem tradidiſſe.

Typographi quoque menda, quae Tua eſt lenitas, crimini non dabis. Interdixit enim locorum interuallum, ne, quod in votis erat, excuſas plagulas ipſe perluſtrarem. Quoniam vero, quicquid hic vides, quam diligentiſſime planiſſimeque exaraui, ac bibliopola docto cuidam viro ſupremae emendationis curam commiſit, mihi nullum eſt dubium, quin, ſi non omnia, id quod imbecillitati humanae vix vnquam continget, pleraque ſaltim recte ſint et incorrupte typis impreſſa.

Caeterum valeas, Lector, mihique faueas, ac *Tomum alterum* huius Bibliothecae, neceſſariis inſtructum Indicibus, propediem a me exſpectes. Summo certe ſtudio enitar, vt mora ſit breuiſſima, quamquam natura negauit feſtinandi facultatem, quod ego donum ei, ſine inuidia, relinquo,

Ingenium cui ſit, cui mens diuinior, atque os
Magna ſonaturum.

Scribebam Luneburgi,
d. XIV. m. Sept. CIƆ IƆ CCLIII.

BIBLIOTHECAE HISTORIAE LITTERARIAE

TOMVS I.

INDEX CAPITVM.
IN
TOMO PRIMO
OCCVRRVNT:

CAPVT I. de historia litteraria in genere.

CAPVT II. de Bibliothecis in genere, speciatim deperditis.

CAPVT III. de Bibliothecis exterorum.

CAPVT IV. de Bibliothecis Germanorum.

CAPVT V. de vsu Bibliothecarum, ac delectu scriptorum.

TOMVS SECVNDVS
EXHIBEBIT:

CAPVT VI. de Ephemeridibus eruditorum.

CAPVT VII. de Scriptoribus vitarum.

CAPVT VIII. de Scriptoribus iudiciorum et elogiorum, de Scriptoribus anonymis, pseudonymis, plagiariis caet.

CAPVT IX. de libris damnatis et prohibitis.

CAPVT X. de Societatibus litterariis, et congressibus eruditorum.

CAPVT XI. de origine typographiae, typographis, bibliopolis et correctoribus celebrioribus.

ACCEDVNT

INDICES triplices, prior *Auctorum;* alter *librorum, quorum vel ignoti sunt Auctores, vel plenior in Bibliotheca notitia exstat;* tertius *rerum memorabilium.*

BIBLIO-

BIBLIOTHECAE HISTORIAE LITTERARIAE

CAPVT PRIMVM DE HISTORIA LITTERARIA IN GENERE.

§. I. *Definitio historiae litterariae et diuisio, eiusdemque discrepantia a Polymathia, Encyclopaedia et Pansophia.*

§. II. *Eius vtilitas quanta sit.*

§. III. *Praecipue notitia librorum, ope illius, comparatur, et quidem ex Bibliothecis.*

§. IV. *De erroribus, qui ex neglecta librorum reique litterariae notitia oriri solent.*

§. V. *Res litteraria qua ratione coeperit apud Germanos?*

§. VI. *Conradi Gesneri & Christoph. Mylaei conatus in histor. litterar.*

§. VII. *Mich. Neandri consilia.*

§. VIII. *Franc. Baconis de Verulamio institutum.*

§. IX. *Petri Lambecii Prodromus historiae litterariae.*

§. X. *Hermanni Conringii in hoc studio labores.*

§. XI. *Ge. Hieron. Velschii et Ioh. Christiani L. B. a Boineburg institutum.*

§. XII. et XIII. *De Ioh. Henr. Boecleri, Val. Ern. Loescheri, Ioh. Burch. Maii, et aliorum, conatibus.*

§. XIV. *An vniuersale historiae litterariae opus sperandum?*

§. XV. et XVI. *De scriptoribus praecipuis, qui in rem litterariam introducunt.*

§. XVII. *Boecleri Bibliographia.*

§. XVIII. *Scriptores, qui rei litterariae ac bibliothecariae dispositionem docent.*

§. *XIX. Scriptores, qui Catalogos Auctorum vniuersales ediderunt.*

§. *XX. Scriptores Bibliothecarum realium.*

§. *XXI. Casp. Thurmanni conatus.*

§. *XXII. Scriptores Bibliothecarum selectarum.*

§. *XXIII. Scriptores, qui Catalogos Bibliothecarum priuatarum apte compositos diuulgarunt.*

§. *XXIV. Aliter disponi Bibliothecas, aliter excerpta rei litterariae, docetur.*

§. *XXV. Transitio ad subsequens Caput.*

§. I.

Historia litteraria vera est et perspicua eorum narratio, quae litterarum studiosis de fatis eruditionis atque eruditorum cognitu et necessaria sunt, et vtilia, seu, vt illustris MOSHEMIVS ait, est enarratio fatorum, quae scientiis eruditis obtigerunt. Vid. eius *Cogitationes*, satis plenissimae, *de studio litterario*, in *Miscellan. Lips. Tom. VI. p. 67.* Idem vir summus et inter praecipua saeculi nostri ornamenta referendus, *p. 71. l. c.* sequentem differit in modum: *Obiectum historiae litterariae solae sunt scientiae, earumque fata, quae habuerunt. Hae vero quum suos habeant auctores, fautores, propagatores, nosse plurimum interest, quinam isti fuerint, quem fatorum ordinem senserint, quo animi habitu polluerint, aliaque. Ista enim, vt ita dicam, Praecognita magna saepenumero mysteria sagacibus pandunt, vnde de ipsa eorum doctrina, eiusque caussis, veritate aut falsitate iudicium ferre possunt; hinc Biographiae requiruntur. At iidem eruditi plurimam partem aeternas sedes iam petierunt, suaque inuenta libris post se relictis crediderunt. Ex quo vltro sequitur, opus esse, vt quinam foetus isti ingenii eorum sint, noscamus, quo in loco apud meliores habiti fuerint, et reliqua.* Egregie haec etiam expli-

explicuit FRANC. BACO de VERVLAMIO *lib. II. cap. 4. de Augm. ſcient.* qui locus infra §. *VIII.* integer exhibebitur. Cf. NIC. RICHTERI *de hiſtor. litter. delineata et illuſtrata Exercit. Academica, Roſtoch. 1696. 4.* quae in CAR. ARNDII *Syſtem. litter. p. 39. ſq.* recuſa eſt. Neque tamen, vt vult REIMMANNVS *Introd. in hiſt. litter. P. I. p. 18.*, ad obiectum hiſtoriae litterariae ſpectat etiam eccleſiaſtica, quandoquidem ea ſingularem prorſus hiſtoriae ſpeciem conſtituit. Vid. MICH. LILIENTHALII *Conſult. de hiſtor. litter. certae cuiusdam gentis ſcribenda, Roſtoch. a. 1710. 8. p. 5.* et MICH. RICHEY *Progr. de eo, quod nimium eſt in Reimmanni piis deſideriis hiſt. litter. Stadae, a. 1709. 4.* Diſpeſcitur hiſtoria litteraria in *vniuerſalem* ac *particularem*, et vtraque eſt vel *ſcientiarum*, ſtricte ſic dictarum, vel *doctorum hominum*, vel denique *librorum* ab iisdem editorum.*) Ex quo facile cognoſcitur, eam eſſe diuerſam et a Polymathia, et ab Encyclopaedia et a Panſophia; quod paullo vberius declarandum. Ac primum quidem quod ad Polymathiam attinet, ea in variarum rerum cognitione atque omnium fere artium notitia verſatur. Exemplum Hippiae narrat APVLEIVS in *Florid. p. 346. edit. Elmenh.* qui ſcilicet, praeter eximiam artium omnium ingenuarum ſcientiam, omnium etiam opificiorum erat callentiſſimus. Nam quae ſecum habebat, ſua ipſe manu confecerat, et veſtes, et ſignaculum in gemma ſaberrimum. Aliud exemplum, priori certe mirabilius, IAN. NICIVS ERYTHRAEVS *Pinacoth. II. cap. 17. p. m. 59.* adfert de Iulio Caeſare Bottiſanga, qui non ſolum femoralia, thoraces, ſagos, qui

*) Methodus autem, qua componi ſolet hiſtoria litteraria, vel *analytica* eſt, vel *ſynthetica*. Illa inde ab orbe condito ad noſtram vsque aetatem, per ſingula ſaecula, ſtatus rei litterariae deſcribitur: haec ſub certa tantum capita redigitur idem, et ſecundum ordinem diſciplinarum, aliarumque rerum, huc pertinentium, proponitur. Vid. ſumme reuerendi HEVMANNI *Conſpectus Reipubl. litter. cap. II. §. 2. ſq.*

qui eſſent apti atque habiles ad ea corporis membra, quibus parabantur, ſibi ipſe deſcribebat, formabat ſuebatque; verum etiam veſtes, vnde haec ſibi concinnaret, ſua manu texebat. Imo fidibus praeclare canebat, quas et ipſe vna cum teſtudinibus et clauicymbalis conficiebat melius, quam quiuis alius artifex, vt pingendi artem, qua itidem excelluit, ſilentio praetereamus. Merito autem id videtur, quum artes illiberales ad Polymathiam non ſpectent, ideoque diſtingui eadem poteſt in *veram*, quae ſumme eſt neceſſaria propter ſcientiarum et artium arctam inter ſe inuicem cognationem, et *falſam*, qualem habuerunt doctores ſcholaſtici, ac denique *ſuſpectam*, quae a theoſophis hodiernis et adeptis in deliciis habetur. Cf. MORHOFIVS in *Polyh. T. I. lib. 1. cap. 1.* Interim Polymathia iſta, ſi quis opificia quaeuis calleat atque exerceat, defenditur commendaturque in *den auserleſenen Hälliſch. Anmerck. T. I. obſeru. 13.* hoc inſcripta titulo: *Daß ein ieder Menſch ſein eigner Handwercks-Mann ſeyn ſolle und könne.* Sed valde dubitamus, num ea, quae theoretice proponuntur ibidem, hodierno rerum ſtatu deduci in praxin queant. Add. elegans CHRIST. GVIL. LOESCHERI *Diſſ. de veterum conſuetudine, litterarum ſtudio opificia iungendi. Vitemb.* a. 1696. 4. Illos igitur vocamus πολυμαθεῖς, qui, vt ſupra diximus, in plerisque diſciplinis et liberalibus artibus egregie exercitati de ſingulis ſtatuere ſubtiliter et iudicare valent. Hoc tamen animaduertendum ſimul, quod omnia quidem teneant eiusmodi homines, in vna vero parte prae aliis emineant, nec minus naturae plerumque tribuant nimium. Tot enim vanis opinionibus et ſcientiis, quae ingenium occupant, inſtructi ſunt, vt Deo nihil relinquatur. Scilicet ſcientiarum artiumque ſtudia cum vera pietate coniungi debent, quod inter alia oſtendit HIERON. ab HIRNHAIM in Tractatu haud contemnendo

ſane

ſane, at nunc rarius obuio, *de Typho generis humani, ſeu de ſcientiarum humanarum inani ac ventoſo tumore, difficultate, labilitate, falſitate, iactantia, praeſumtione, incommodis et periculis, Pragae 1676. 4.* Excerpta inde leguntur in *Obſeruat. Halenſ. Tom. VII. obſ. 13. p. 206. ſq.* pariterque in BRVCKERI *Hiſtoria Philoſophiae critica, T. IV. Parte I. p. 543. ſq.* Cf. CHRISTOPH. TOB. WIDEBVRG *Orat. de erudita pietate, Helmſtadii in 4.* edita, itemque STRVVII *Progr. de docto atheo, Jenae 1707. 4.* Vnicum hic adducere, quum plurima odioſa ſint, liceat exemplum IO. WOWERII, qui ab hac immunis eſſe culpa non videtur, quamquam alias de Polymathia commentatus fuerat egregie. Prodiit illud opuſculum *Hamb. a. 1604. 4. ex officina Georg. Ludou. Frobenii,* de quo vid. *Catal. Biblioth. Tellerianae pag. 384.* De ipſa vero hac editione legi meretur STRVVII *Biblioth. antiqua a. 1705. p. 537. ſq.* Recuſum deinceps non modo *Lipſiae* fuit *a. 1665.* 8. cura IAC. THOMASII, ſed etiam in *Tomo X. Theſauri Antiqu. Graec. Gronouiani* locum inuenit ex editione Thomaſiana. Ita quidem Struuius de Wowerio ſentit, quod diſplicet tamen COLERO aeque ac LILIENTHALIO in Obſeruationibus, praecedenti huius Bibliothecae editioni ſubiunctis. Illius verba haec ſunt: *Caeterum vix credo, Wowerium, ex mente Auctoris noſtri, Naturaliſmi cuiusdam, ex Polymathia orti, poſſe accuſari, ſiue quod ipſe tale quid in ſcriptis ſuis prodiderit, ſiue, quod ante Struuium ab alio quopiam cordato viro eius vitii fuerit conuictus. Honorificam potius Woweri mentionem faciunt Barthius Aduerſ. lib. XXIV. cap. 7. p. 1294. lib. XXXIII. cap. 22. et lib. XLVI. cap. 17. Schurtzfleiſch in diſſ. de Germanor. in Graecas litteras meritis, §. VIII. p. 8. ſq. Caſaubonus, Gruterus, aliique apud Magirum in Eponymol. p. 804. Vindicat potius, quam accuſat, Morhofius T. I. lib. 1. cap. 1. §. 18. Immo nec ipſe Scaliger Polymathiam parum Chriſtianam Wowerio obiecit, licet alioquin*

quin ei ſatis infenſus, vt liquet ex Scaligerianis p. 447. Cf. Oratio noſtra inaug. de multiplici litter. human. abuſu p. 6. ſq. Plura de illuſtri hoc viro exſtant apud Baelium in Diction. et Reimmannum in critica ſuper Dictionar. Baelianum, cap. II. p. 36. ſq. Add. Witten. in Memor. Philoſoph. Dec. I. p. 79. ſq. et in Diario biograph. ad ann. 1612. Sweertius in Athen. Batauis p. 487. aliique. Lilienthalii autem iudicium ita ſe habet: *Neſcio ex quonam fundamento Struuius Wowerium reum faciat neglectae pietatis, et, qui eum ſequitur, Ioh. Gottlieb Olearius de vtilit. et neceſſit. rei litter. in iurisprud. p. 8.* Cf. ADAMI HENR. LACKMANNI *Miſcellanea litteraria, Hamb. 1721. in 8. p. 29. ſq.* vbi etiam Struuio hac in re obloquitur. Idem laudatus Lilienthalius elegantiſſimum et multae eruditionis hunc eſſe libellum Wowerianum dicit, ex quo non pauca plagio ſurripuerit Voſſius, quod a IOH. IONSIO etiam *de Scriptor. hiſtor. philoſoph. lib. I. cap. 10. p. 49.* et REIMMANNO in *Catal. Biblioth. ſuae ſyſtem. critico T. II. p. 527.* adfirmatur. Philippus quidem Iacob Mauſſacus eiusdem Wowerium criminis arguit, eumque omne, quod ediderit, a Caſaubono habuiſſe contendit, dum vna cum eo ageret Monſpelii. Satis tamen viri doctiſſimi innocentiam detexit THOMASIVS, cum *in Praef. libello Woweriano* praemiſſa, tum in *Diſſert. de Plagio litterario*, §. *594. p. 262. edit. ſecundae.* Haec de Wowerio, qui ab Antwerpiano eiusdem nominis ICto probe ſeparandus, fuſius id monente MOLLERO *in Homonymoſc. p. 733. ſq.* Quae autem ſupra in Polymathia improbauimus, ea locum non habent, ſi chriſtiane tractetur. Ipſi viri θεόπνευςοι a Polymathia ſana non abhorruerunt. Vnicus Paulus ſit eius rei teſtis, quem fuiſſe πολυμαθέςατον, eruditorum non pauci oſtenderunt. Sic de *Polymathia Pauli* ſcripſit SEVERIN. LINTRVPIVS, *Hafn. 1695. 4; de eruditione Pauli* IOH. DAVID STROBACHIVS, *Lipſ. 1708. 4; de*

ſtupen-

ſtupenda eruditione Pauli IOH. HENR. SCHRAMMIVS *Herbornae 1710. 4*; *de Dialectica illius* IOH. MICH. HEINECCIVS, *Helmſt. 1698. 4*; et generatim *de Philoſophia Pauli* NICOL. ERN. ZOBELIVS, *Altorf 1731. 4*; itemque IOH. DAV. FELLERVS, *Vitemb. 1740. 4.* egerunt. *Iurisprudentiam eiusdem* delinearunt IOH. SAM. STRYKIVS, *Halae 1695.* pariterque IOH. ORTWIN. WESTENBERG, *Franequ. 1722.* ſingularibus *Diſſertationibus*, quarum poſterior recuſa *Baruthi 1738.* 4. In eodem argumento ſuam probarunt induſtriam GE. GVIL. KIRCHMAIER in Diſſ. *de D. Pauli iurisprudentia, ſigillatim loc. ſacr. iuſtificationis penitus enueleante Vitemb. 1730* et AVG. CHRISTIAN. MARCHE, Senator olim Lipſienſis, Diſſ. eleganti *de Iurisprudentia Pauli quoad rem tutelarem*, quae *Lipſiae a. 1736. 4.* lucem vidit. *Eloquentiam huius Apoſtoli* ſimili opella laudauit GE. GVIL. KIRCHMAIER. *Vitemb. 1695.* ac denique *de ſcripturis profanis, a Paulo allegatis*, GEO. PHIL. OLEARIVS commentatus eſt *Lipſiae 1701.* Cf. GOTTLOB FRID. GVDII *Biblioth. Diſputat. et Obſeruat. de ſelectis hiſt. eccleſiaſt. capitibus, Lipſ. et Laubae 1743. 4. p. 40.* et IOH. CHRISTOPH. WOLFII *Curae philolog. in N. T. Tomo III. in Praefatione.* Vt adeo ridiculi ſint, qui Polymathiam cum Chriſtianiſmo pugnare adſerunt. Legenda, quae de hoc argumento diſſeruit GVIL. BVDAEVS in *Tranſitu* ſuo *Helleniſmi ad Chriſtianiſmum, Pariſ. 1556 f.* vbi docet, qua ratione a ſcientiarum vanitate ad veram adſpirare philoſophiam poſſimus, quam in coeleſti ſolum doctrina quaerendam eſſe, pie omnino et concinne exponit. Cf. de eo ipſo libro IOH. CHRISTOPH. COLERVS in *Orat. citata de multiplici human. litt. abuſu p. 7.* quo loco et nouam pollicitus editionem eſt, ſed praematura morte rebus humanis erepto fidem liberare non contigit.

Differt porro hiſtoria litteraria ab *Encyclopaedia*, quae Graece dicitur ἐγκύκλιος παιδεία, ſeu ἡ ἐν κύκλῳ παιδεία, non proprie, quaſi orbicularis, vel in orbem

rediens eruditio, aut orbis vniuerſae doctrinae, ſed impropie, idemque eſt ac ordinaria, vulgaris et parabilis eruditio, vti oſtendit WOWERIVS *l. c. cap. XX.* nec non OCTAVIANVS FERRARIVS *de Diſciplina encyclia*, *Frf. 1606. 8.* Sumitur vero Encyclopaedia 1) *late*, vt, praeter artes liberales, philoſophica quoque ſtudia complectatur, vel orbem vniuerſae doctrinae, ipſas etiam artes mechanicas; 2) *ſtricte* pro ſeptem artibus liberalibus, tamquam propaedeumatibus; 3) *ſtrictiſſime* pro diſciplinis mathematicis, quibus pueri primum inſtitui ſolebant, antequam ad ſermones acroamaticos admitterentur. Media ſignificatio, quae aequipollet artibus liberalibus, huius eſt loci. Cf. TARQVIN. GALLVTII *Orat. de Encyclopaedia*, quae inter *Orationes* eius exſtat, editas *Pariſ. 1619. 12. Vol. II.*

Poſtremo cum hiſtoria litteraria nec *Panſophia* debet confundi, quae omnes Philoſophiae partes comprehendit. Paucis eam attingit, meritoque explodit MORHOFIVS in *Polyh. litt. T. I. lib. I. cap. 1. ſub fin.* Add. C. F. STAPPENII *Diſſ. de communi artium humanitatis vinculo et cognatione*, *Lipſ. 1701. 4.* Pluris hoc eſt admodum ſolemne, vt ſub ſplendido Panſophias titulo decipiant pecuniaque fraudent iuuentutem. Sed inſaniunt iſti homines. Quanta enim audacia eſt, in ipſius Dei, qui ſolus ſcit omnia, iura inuadere, et aliquid docere velle, quod in rerum natura non datur? quam miſera eſt πανσοφία, quae vltra quatuor vel quinque diſciplinas ſeſe non extendit? Publica coerceri lege ille furor ex iudicio laudati iam Morhofii deberet. His enim Magiſtris omnes plerumque fores ignorantiae aperiuntur, omnis eruditio ſolida euertitur, et in totum terrarum orbem non niſi cruda ſtudia propelluntur. Cf. IOH. LVDOV. BOYE in *Sylloge poſition. philoſ. Ienae 1710. 4. poſitione I.*

§. II.

Vtilitatem hiſtoriae litterariae ſi quaeramus, ea

 pro-

profecto tanta eſt, quantam vix dignis praedicare verbis licebit. Vbi ſtudia noſtra inchoamus, facili negotio certum eligere Syſtema atque libros poterimus, quos noſtros ad vſus iudicamus idoneos. Praeceptores ſi audiamus et ſequamur, reperiuntur inter hosce, qui integras ſaepe aliorum auctorum paginas, ſuppreſſis eorundem nominibus, deſcribant, et vel auditoribus ſuis ad verbum recitent, vel audacter foras dent, atque aliena induſtria gloriam aucupentur. Plagium hoc illiberale detegit, aeternasque hominibus eiusmodi notas inurit, hiſtoria litteraria. In diſciplinis vbi verſamur, non conueniet, inueteratis Doctorum opinionibus inhaerere, ſed plus vltra pergendum. Exſulare enim in litteratorum Re publica debet antiquitatis praeiudicium, quo ſtatuitur vulgo, nihil hodie dici, quod non iam dictum ſit prius. Abſurdiſſimum hanc eſſe theſin Terentianam, erga Deum, omnesque eruditos, iniuriam, et a Terentio ad velandum plagium ſuum excogitatam, egregie oſtendit REIMMANNVS in *Praef. ad hiſtor. litt. antediluu.* Cf. etiam circa antiquitatis praeiudicium, in re litteraria reiectum, IOH. GE. PRITII *Diſſ. de republ. litt. Lipſ. 1698. p. 25. ſq. Die Hälliſch. auserleſnen Anmerck. T. V. p. 1. ſq.* in *Obſeru. de ſeptem Graeciae ſapient.* MALEBRANCHIVM *de inquir. verit. lib. II. c. 4. p. 129.* qui opinionem illam vulgarem, fruſtra nos id quaerere, quod priſcos, vt perſpicaciores, latuerat, falſitatis arguit; et IOH. LEONH. FROEREISENIVM in *comment. de praeiudiciis in ſtudio hiſtorico euitandis, Ien. 1718. 4. cap. IV. p. 57. ſq.* quo loco ad hiſtoriam litterariam ſeſe conuertit, at ſtrictim nimis carptimque hoc tractauit argumentum, et multas in re litteraria opiniones praeconceptas alto praetermiſit ſilentio. Fuerunt igitur ſemper, qui ſuperatis iſtis impedimentis progrederentur longius, et ad indagandas veritates, antea incognitas, omnes animi

neruos intenderent. Vnde autem haec diſcimus, niſi ex ſtudio rei litterariae? Quodſi porro calamus exercendus, effingendumque et excudendum aliquid, dimidia fere laboris exhauſti pars eſt, noſſe ſedes argumentorum. Quantos denique fructus ex conſuetudine percipimus cum eruditis, a quorum ore pendere, ſumma etiam laus eſt? Neque tamen vlla re magis eorum nobis conciliamus beneuolentiam, quam ſi nouis quibusdam litterariis arcana, quae habent, ſollicitare, illisque plane non ſentientibus elicere nouerimus. Ex priuata hac et familiari conuerſatione plus ſaepenumero, quam ex publicis proficere ſcriptis licet. Cf. ROLAND. MARESIVS *lib. I. epiſt. 43. p. 197. edit. Rechenb.* Factum igitur, vt non nulli ſingularibus Opuſculis hiſtoriae litterariae excellentiam docerent, eandemque commendarent omnibus, qui ſolidioris doctrinae deſiderio tenentur. Inter haec, praeter MORHOFIVM *Polyh. T. I. lib. 1. cap. 2. §. 9. ſq.* et REIMMANN. *in dem Verſuch einer Einleit. in die hiſtor. litt. P. I. p. 123. ſq.* occurrunt HENRIC. MEIBOMII *Praef. ad Vogleri Introd. vniuerſ. in notit. ſcriptor;* STOLLII *Progr. de vtilitate et amoenitate hiſtor. litt.* maiori Operi, in quo diſciplinam philoſophicarum hiſtoriam exponit, ſubiunctum; IOH. CLERICI *Biblioth. ancienne et mod. Tom. VI. p. 218. ſq.*; NIC. HIERONYMI GVNDLINGII *Praefatio*, ſalis et iudicii pleniſſima, *de vtilitate ac neceſſitate hiſt. litterariae*, praemiſſa *dem Entwurf eines Collegii über die hiſtor. litterariam, Hal. Magd. 1703. in 8.* Ienaeque deinceps *a. 1738.* in eius *Opuſculis ſatyricis Germanicis p. 565. ſq.* recuſa; ALB. MENNONIS VERPOORTEN *Progr. de praeſtant. et vero vſu hiſtor. litterariae, Coburgi 1724. in 4.* et IOH. MART. RIEDELII *Orat. de ſtudio, quod pro genio ſaeculi floret, hiſtor. litter. eiusque vſu et abuſu, Helmſt. 1733. 4.* cuius potiora exhibentur capita in *den Leipz. gründlichen Auszügen aus den neueſten Theol. Philoſ. und Philolog.*

Diſput.

Diſput. Tomo II. parte 4. n. 8. Add. IOH. GOTTLIEB OLEARII *Diſſ. de vtilit. ac neceſſit. hiſtor. litter. in iurisprud. Regiom. 1713. 4.* HERM. FRID. ZOLLII, praeſide Io. Herm. Furſtenau, *Diſſertationem, de eo, quod diuinum eſt in hiſtor. litteraria, Rintelii a. 1731. 4.* nullius eſſe momenti, REIMMANNVS *Tomo II. Catal. Bibl. ſuae, p. 160.* cenſet, vbi his vtitur verbis: *Morhoſius, cuius exemplo excitatus ſcripſit hoc meletema auctor, plura habet ad hoc argumentum pertinentia in vna periodo, quam hic in integra diſſertatione.* Ex his itaque ſcriptis quamquam ſumma hiſtoriae litterariae vtilitas adparet; cauendum tamen eſt ab intemperie illa, qua omne quidam tempus ſuum in eam impendunt. Recte profecto celeberrimus vir, IOH. HENR. VON SEELEN in *Luthero ſuo de Scholis optime merito, Flensburgi 1716. in 4. p. 31. qui omne,* inquit, *ſuum tempus huic ſcientiae transmittendum putant, ipſas autem artes, ad quas ea viam monſtrat, intactas relinquunt, inepti ſunt, et iis haud diſſimiles, qui ianuam vident apertam, per quam intrare poſſunt in conclaue rebus pretioſiſſimis refertum, ipſi autem nolunt introire et inde eas auferre. Qui vero rudes plane et expertes harum litterarum eſſe volunt, itidem male ſibi conſulunt, et ne fores quidem patefactas cernunt, per quas ad ea itur, quae ſaepe non ſine maximo damno ignorantur.* Adde his EIVSDEM *de nimio fere noſtra aetate ſtudio litterario commentationem, Selectis litterariis* praemiſſam; APINI *Schediaſma de nimio, eoque noxio, hiſtoriae litter. ſtudio, Norimb. 1722. 4.* quod exſtat etiam in BEYSCHLAGII *Sylloge T. I. faſc. 4. p. 705. ſq.* itemque FRID. MENZII *Progr. eiusdem argumenti,* editum *Lipſ. 1737. 4.* Cf. HEVMANNI *Conſpect. Reipubl. litt. cap. I. §. 5. p. 6. ſq. edit. nouiſſ.*

§. III.

Inter praecipua certe ſubſidia, quibus Muſarum cultor ad eruditionem comparandam opus habet, libro-

brorum notitia caput effert, non quidem, vt celeb. RICHEY in *Collegatio MSto* notauit, *officinalis* illa, quae in cognitione auctoris, tituli, editionis, loci, typographi, eius, qui impenſas fecit, formae, chartae, litterarum, raritatis et pretii adquieſcit: ſed *erudita* potius, quae interiorem ſcientiam requirit, cum exquiſito iudicio, certis nixo characteribus, ex critica et Polymathia deſumendis, vt quis cognoſcat 1.) vitam et conditionem ſcriptoris, 2.) occaſionem libri et ſcopum, 3.) ſtilum et dignitatem argumentorum, 4.) vtrum verus ſit, an ſuppoſititius, 5.) interpretes et commentatores, 6.) aduerſarios. Quibus iungere liceat, quae LILIENTHALIVS hac de re addit ad Struuium noſtrum, *p. 3. edit. prioris. Duplex eſt*, ait, *librorum notitia, altera hiſtorica, quae in nuda librorum, quoad omnes circumſtantias, cognitione cognitarumque recenſione ſubſiſtit; altera critica, quae vltra progreditur, et de libris cognitis, eorumque pondere ac bonitate iudicat. Cognitio hiſtorica absque critica conſiſtere poteſt, critica vero hiſtoricam praeſupponit, quum nemo de libro iudicium ferre queat, quem antea non exacte cognouit. Prior illa, hiſtorica ſcilicet, ad bibliopolas ſpectat; at poſterior eruditis, qui maioris ſunt ingenii, propria eſt. Illa ſimpliciter notitia librorum dicitur; haec cum addito iudicioſa et erudita, quia et cognitionem, et iudicium complectitur.* Cf. REIMMANNI *Verſuch einer Einleit. in die hiſt. litter. Parte I. generali p. 190. ſq.* Talem autem librorum notitiam non ex conſarcinata eorum atque Catalogorum mole ſaltim diſcimus, ſed ex frequenti maxime Bibliothecarum peruestigatione. Haec tamen ſuo etiam fructu deſtiuitur, niſi recte fuerit ſuſcepta. Nec enim in ligaturis haerere tantum, vel ex ſplendore librorum externa, horumque multitudine, iudicare conuenit, ſed ex operum praeſtantia et raritate, quae, ſeruata iuſta methodo, ex pleniori inſpectione, et collectione ſtudioſa optime adparebunt. Haud inepte

epte ad libros adcommodari poſſunt illa OVIDII *de remed. amor. v. 45.*

Terra ſalutares herbas, eademque nocentes
Nutrit; et vrticae proxima ſaepe roſa eſt.

Cf. VAL. HENR. VOGLERI *Dedicatio ad Io. Otton. Witten, Introd. in notit. bonor. ſcript.* praemiſſa; MEIBOMIVS in *Additam. ad Vogler. p. 128. ſq.* et IVST. CHRISTOPH. BOEHMER. in *Proluſ. Academ. Helmſt. 1707. 4. Proluſ. VI. p. 44. ſq. de Notitia ſcriptorum neceſſaria hodie, circumſpecteque paranda.*

§. IV.

Tam inexhauſtum quidem rei litterariae eſt ſtudium, vt nihil, omnibus abſolutum numeris exſpectandum ſit vnquam, quin potius, adcuratiſſima etiam diligentia adhibita, errores inopinato irrepant. Interim tamen illas effugiamus maculas, quae ſtatim in oculos incurrunt, publicique teſtes ſunt negligentiae noſtrae. Non quaeri anxie debent eiusmodi exempla. Proferemus igitur quaedam ex multis, eo maxime conſilio, ne alii ad hos inpoſterum ſcopulos offendant. Sic interpres, qui IAC. BONGARSII *Epiſtolas* in Gallicum conuertit ſermonem, Academiam Altorfinam, quam Norimbergenſes habent, exiſtimauit hominem eſſe, eandemque ſuo expreſſit ſtilo *Monſ. Altorf;* inde ridetur a CRAMERO in *Vindic. nominis Germ. contra obtrectat. Gallos, p. 27. edit. Berolin. in fol.* Cf. *Acta Erud. Lat. a. 1695. pag. 40.* Obſeruat hic ſupra laudatus RICHEY, inueniri ea in *editione Amſtaelodamenſi in 8. p. 47. ſq;* an autem id emendatum ſit in recentioribus Epiſtolarum Bongarſii editionibus, ignorat quidem: illam certe, qua vſus eſt, *Berolinenſem an. 1694.* licet correcta et aucta in titulo venditetur, tam craſſum ſphalma nondum expunxiſſe monet. In noſtro exemplari, *Pariſ. a. 1668. in 8. Tomis II.* excuſo, ſaepius hic error occurrit in *Epiſtolis ad Camerarium*, ſcilicet

licet

licet *T. I. p. 100. p. 203. p. 215.* et *T. II. p. 579.* Gallus quidam, cuius ignoramus nomen, Molanum, Abbatem Loccumenſem, Profeſſorem Theologiae Erneſtae dixit, i. e. in Academia Erneſtina Rintelienſi, teſte RATHLEFIO, in *der Geſchichte ietzlebend. Gelehrt. Vol. I. p. 318.* LVDOVIC. IACOBI a ST. CAROLO in *Tractatu des plus belles Bibliotheques, Pariſ. 1644. 8.* excuſo, at nunc parum obuio, *p. 200.* verba Melch. Adami in vita Brentii: *ſequenti die venit Halam Hiſpanienſium Epiſcopus*, ita interpretatur: *vn Eueſque nommé Halam.* Addidit olim Struuius alium eiusdem errorem in Geographicis, quem paullo poſt *p. 203.* commiſerit auctor, Regiomontum, Germanice *Koenigsberg*, ad Franconiam referens. At ſine iuſta cauſſa hic reprehendi Iacobum, iam vidit COLERVS; nam eiusdem nominis locum, a Boruſſorum vrbe probe diſtinguendum, omnino etiam in Francia orientali ſitum eſſe, conſtat. Maiori iure hic ipſe ridetur ſcriptor, dum in *Bibliotheca* ſua *Pontificia*, *Lugduni 1643. 4. maj. lib. II. p. 455.* articulos Smalcaldicos, librum eccleſiae Lutheranae ſymbolicum, pro homine vendidat, ita quidem: *Articulus Alsmacaldus, Germanus Lutheranus, edidit de primatu et poteſtate Papae librum.* Vid. IOH. GOTTLIEB MOLLERVS in *Diſſ. ex hiſtor. litter. Roſtoch 1693. cap. III.* in quo plures eius viri errores litterarios notat, et IOH. HENR. von SEELEN *Heptas obſeruat. ad artic. Smalcald. Lubecae 1737. 4. obſ. III. p. 4. ſq.* Inde autem hoc, aliaque vitia grauiora, commiſſa eſſe ab Auctore, quod catalogos ſine iudicio ſit ſequutus, neque ipſos inſpicere libros ſtuduerit, NICERONIVS ſcribit *en Memoires pour ſervir à l'hiſtoire des hommes illuſtr. T. XL. p. 92.* Güntherum Ligurinum vocarunt, adeoque poematis *) nomen poetae ipſi dederunt IOH. IAC. FRISIVS

*) Optime illud exhibitum eſt in noua *Sciptorum de rebus germanicis* editione, quam a REVBERO publici olim iuris factam praecla-

SIVS in *Biblioth. philoſ. et claſſic. auctor. chonologica, P. II. ad ann. Chr. 1150. p. 110.* et notus ille auctor libri *de ratione Status I. R. G.* ſub HIPPOL. a LAPIDE nomine diuulgati, *P. I. cap. 5. ſect. 2. p. 71. edit. in 4.* In VIGNEVL-MARVILLE *Melang. d'Hiſt. et Litt. Parte II. p. 221. edit. ſec.* Laur. Raggii, ab Vrbano VIII. purpura donati, exploditur ignorantia, quoniam Codicem Iuſtinianeum perſonam eſſe credidit. Cf. REIMMANNI *Verſuch einer Einleit in die hiſt. litterar. P. I. p. 162.* Illam quoque Pandectarum partem, quam barbari Gloſſatores *Digeſtum infortiatum* adpellauerunt, virum eſſe putauit, iurisque laudauit interpretem clariſſimum, Mutonius quidam, homo Italus, obſeruante celeb. KAPPIO in *Epilogo de Camuſati vita et ſcriptis, Ciacconii Bibliothecae* praemiſſo, *p. 57.* Similiter lapſus eſt DE LA METTRIE, Medicus Parienſis, in *Inſtitut. ſuis medicis Boerhauianis*, Gallice compoſitis, *Tomo IV. p. 351.* et alibi ſaepius Collectiones Vratislauienſes (*die Breslauiſchen Sammlungen*) quaſi perſonam adducens, vt indicarunt *die Götting. gelehrt. Zeit. a. 1748. Additam. II. ad menſ. Oct. p. 951.* In *Catalogo Biblioth. Barberin.* Ioh. Arndius, olim (*weiland* noſtra lingua,) Superintendens Luneburgenſis, ſub *litt. W. p. 572.* producitur, quaſi dictus fuerit *Ioh. Arnd. Weiland.* Vid. *Bibliothec. Bremenſ. Claſſ. I. p. 127.* et SCHELHORN. *Amoen. litt. Tomo V. p. 16.* Haec autem exteris, linguae noſtrae plerumque ignaris, facilius condonanda, quam erroris veniam meretur Caeſar Baronius. Is enim quum in Chryſoſtomi ac Hieronymi ſcriptis vocem Συνωρὶς, nomen adpellatiuum, quo *par*, vel *biga*, intelligitur, legiſſet, exinde proprium, et quidem Synoridem, ſanctam

praeclare; curauit GE. CHRIST. IOANNIS, *Frf. 1726. f.* At propter notiſſimum incendium Francofurtanum iam rarior eſt haec ipſa editio. Praemiſſa eſt poemati erudita *de Günthero* Diſſertatio, quem ſuppoſitum adſeruit perilluſtris a SENCKENBERG in *Pareg. Götting. Tomo I. lib. 3. p. 149. ſq.*

ctam feminam, fecit in *Martyrologii* ſui *Romani* editione prima, hanc ob cauſſam ab auctore deinceps ſuppreſſa. Vid. VIGNEVL-MARVILLE *l. c. pag. 217.* SERPILII *Verzeichnis einiger raren Bücher, P. I. p. 90. ſq.* vbi et DAN. GVIL. MOLLERI *Diſſ. de Synoride* hoc argumentum fuſius exponentem, et *Altorfii a. 1673.* editam, laudat, lapſumque REIMMANNI detegit, qui *l. c. p. 137.* falſo perhibet, Baronii Synoridem in Annalibus eius reperiri. Add. VOGTII *Catalog. libror. rarior. p. 73. edit. nouiſſ.* Nec ſine cenſura dimittendus GE. MATTH. KOENIGIVS, cuius *in Biblioth. vet. ac noua p. 744.* haec exſtant: *Seduardus Ictus de iurisprudentia commentatus eſt.* Sed non alium eſſe ſcimus hunc Seduardum, quam Ioach. Hopperum, qui in memoriam Seduardi, filii ſui primogeniti, morte praematura exſtincti, Commentarium de vera iurisprudentia *Seduardum* inſcripſit. MOLLERVS in *Homonymoſc. p. 12. 13.* Idem ille KOENIGIVS *l. c. p. 139.* et, qui eum ſequitur, MART. LIPENIVS in *Biblioth. philoſoph. p. 474. b.* Brouniſtas Anglorum, qui nomen debent *Roberto Brown*, celebri circa annum 1580. Fanatico, ab *Thoma Browne*, libri de religione Medici auctore, a priori et tempore, et rebus, longe diuerſiſſimo, deducunt. Cf. IOH. CHRISTOPH. WOLFII Tract. *de Manichaeiſmo ante Manichaeos, Hamb. 1707. 8. p. 2.* itemque DAN. NEAL *Hiſtor. Puritanor. ſiue Proteſtant. Non-conformant.* Anglice edita *Londini*, *1732. 8. maj.* vbi *T. I. cap. 6.* Roberti Brownii vita recenſetur. Multis hisce exemplis, ante quam riuos claudamus, accedat aliud nouiſſime repertum in *den iährl. Nachrichten aus dem Reiche der Wiſſenſchaften, Baruthi et Curiae Variſc. 1748. 8. P. I. p. 90. n. 3.* quo loco ASSEMANNI *Catal. MStor. Orient. Bibl. Mediceae Laurentianae* ridiculo ſoloeciſmo litterario in claſſe librorum medicorum reponitur. Anteceſſorem in hoc peccato auctor habet Ioh. Antonid. van der Linden, quem

Scripto-

ſcriptoribus medicis ſubieciſſe pariter Henr. Ernſtii Catalog. MStor. Biblioth. Mediceae apud Florentinos, REIMMANNVS monet *l. c. p. 139.* Caeterum de hoc argumento generatim legi non ſine fructu poſſunt LILIENTHALII *Diſſ. de ſoloeciſmis litterariis*, in *eiusdem Select. litt. T. I. n. 12. p. 315. ſq.* SCHELHORN. *Amoen. litt. T. V. p. 1. ſq.* IOH. CHRIST. NEMEITZII *vernünftige Gedanck. über hiſt. crit. vnd moraliſche mater. Frf. 1739. 8. Parte I. num. 4. p. 21. ſq. et P. V. num. 6. pag. 125. ſq.* REIMMANN. in *hiſtor. litt.* modo laudata, *T. I. p. 131. ſq.*, IOH. FRID. MAYERI *Progr. de turpi circa autores ignorantia*, *Hamb. 1700. 4.* VIGNEVL-MARVILLE in citata *P. II, p. 205. ſq.*; IOH. BVRCH. MENCKENII *Charlat. erud. pag. 63. edit. Amſtaelod*; CHRIST. GRYPHII *Diſſ. de erroribus Geographicis exteror. praecipue Gallor. in Miſcell. Lipſ. Tomo X. p. 1. ſq.* et GVNDLINGII *laecherliche Schnitzer*, *welche die Vnwiſſenheit der Hiſtorie der Gelahrh. nach ſich ziehet*, in eiusdem *ſatyriſch. Schriften*, *Ienae 1738. 8. pag. 563. ſq*; quae opella, vt iam §. *II.* dictum eſt, generatim de vtilitate ac neceſſitate hiſtoriae litterariae agit. Add. MOLLERI *Homonymoſc. lib. I. cap. 5. Bericht von neuen Büchern P. VII. p. 666.* item *p. 9. ſq. p. 577. et 702.* OLEARII *Diſſ. de vtilit. et neceſſit. rei litt. in iurispr. pag. 18.* et illuſtris DREYERI *Diſſ. de variis Codd. Iur. German. denominat. Kil. 1751. p. 1. ſq.* Integram olim eiusmodi ſoloeciſmorum Collectionem, *Paroramatologiae litterariae* titulo inſignitam, promiſit, et de conſilio hoc eruditos in *den Leipz. gelehrt. Zeit. a. 1725. p. 735.* certiores fecit; ſed, quantum ſciamus, fefellit ſpem eorum, GERARD. FRID. MVLLERVS.

§. V.

Late manauit inueterata illa, et redintegrata itentidem, opinio, antiquiſſimos Germanos ne legere quidem ac ſcribere potuiſſe, multosque eorum

fuiſſe tam rudes, vt nunquam ſe codices habuiſſe meminerint, et ſi in circulo auctoris veteris inciderit nomen, piſcis, aut edulii, peregrina vocabula eſſe arbitrarentur, quemadmodum de ſuis temporibus loquitur AMMIAN. MARCELLINVS *lib. XXX. p. 451. edit. Lindenbrog. Hamburgenſis in 4.* IOH. certe BODINVS *de methodo hiſtor. cap. V. p. m. 149. edit. Argentor. d. a. 1627. in forma minori* ex omnium inſcitia litterarum tantam iis barbariem attribuit, ſeu adfinxit potius, vt parum a beſtiis diſcreparint, diſciplinis penitus deſtituti. Fons opinionis huius in ambiguo paulloque obſcuriore TACITI loco eſt *de Morib. Germ. cap. XIX.* vbi de maioribus noſtris *Secreta*, inquit, *litterarum viri pariter ac feminae ignorant.* Sed aliter ſe rem habere, et Germanos ab antiquiſſimis temporibus vſum litterarum nouiſſe, nec propriis caruiſſe litteris, cum alii iam viderunt, tum praecipue IOH. AVGVSTIN. EGENOLFVS euincere ſtuduit in *Miſcell. Lipſ. T. I. obſ. 20. p. 250. ſq.* Cf. IVLIVS CAESAR *de bello gallico lib. I. cap. 29.* vbi clara ſunt haec verba: *In caſtris Heluetiorum tabulae repertae ſunt, litteris Graecis confectae, et ad Caeſarem perlatae*, quae id ſaltim indicant, maiores noſtros haud ignoraſſe Graecae linguae elementa. Nulla etiam ratione probabile eſt, omnem hic ſcribendi ordinem neglexiſſe Tacitum, iisque verbis tantae ignorantiae labem adſpergere Germanis voluiſſe, quum toto hoc capite de ſingulari eorum pudicitia diſſerat. Habere igitur ante oculos debebant iſtius loci interpretes Icti ſententiam in *L. XXIV. D. de LL. inciuile eſt, niſi tota lege perſpecta, vna aliqua particula eius propoſita iudicare;* quod probe obſeruaſſe nouimus ANDR. LVDOVIC. KOENIGSMANNVM. Is enim in binis Diſſertationibus parum nunc obuiis, quarum prior *de origine litterarum apud Germanos, Kilonii 1707.* altera *de litterarum amatoriarum apud veteres Germanos ignoratione, ibid. 1709.* excuſa

cuſa eſt, ex ipſo Taciti contextu, omnique hiſtoria oſtendit luculenter, quod LIPSIO iam et IOH. FRID. GRONOVIO in *notis ad h. l.* aliisque eruditorum ſuboluit, hunc ipſum ſcilicet locum de litteris amatoriis eſſe intelligendum, quas ignorarint Germani, ſtudioſiſſimi caſtitatis, adulteriique et omnis ſcortationis hoſtes. Coniecturae huic, credibili ſatis, album quoque calculum adiiciunt doctiſſimi, magnaeque auctoritatis, viri, IOH. GVIL. BERGERVS *de priſco Germano haud illiterato, Vit. 1722.* et IOH. DAV. KOELERVS in *Diſſ. de veterum recentiorumque German. ſcholis, Altorf. 1725. p. 22. ſq.* Add. HEVMANNI *Poecile T. I. lib. 4. p. 635. ſq.* vbi haec non probat ſolum, ſed omnium quoque litterarum vſu caruiſſe Germanos, perſuaſum ſibi habet. An vero recta ſit viri, egregie alias perſpicacis, ratiocinatio *p. 640: amatorias qui ſcribere neſcit epiſtolas, eum omnis artis ſcribendi expertem eſſe oportet. Scribere enim qui valet, idem ad Glyceriam ſuam dare poteſt litteras*, aliorum nos examini relinquimus. Aliter e contrario ſentit, qui animum nuper adpulit ad loci illius interpretationem, IOH. GOTTL. WILH. DVNKELS, et a Tacito litteras indicari, diuortii cauſſa ſcriptas, arbitratur in *Tomo I. P. 4. p. 671. ſq. der Hamburg. vermiſcht. Bibliothec*, quae auctore inſtituti, Clar. IOH. PETRO KOHLIO, incepta *Hamb. a. 1743. 8. mai.* Sed neſcio an quisquam rem acu tetigerit praeter IVST. CHRISTOPH. DITHMARVM, cuius proſtant vtiliſſimae *Obſeruationes ad Germaniam Taciti, Frf. ad Viadr. 1725. 8.* editae, *ibidemque a. 1748.* recuſae, vbi *p. 113.* monet, Tacitum ad arcanam quandam et ſecretam amandi artem reſpicere, nutus quippe atque digitorum, vino madidorum, ſuper menſam ductus, quibus, aliisque notis et ſignis, libidinoſi homines apud Romanos ſibi inuicem amores laſciuos in ſpectaculis et conuiuiis ſignificare ſolebant. Acute profecto, noſtra ſententia!

 Ean-

Eandem explicandi viam ſequutus nouiſſime eſt Conſult. GONNIVS, cui tamen ignota fuiſſe ſuſpicamur, quae iam antea in mentem hac de re venerant Dithmaro. Vid. *Diarium Erlangenſe*, (Germanice *Anzeigen* inſcriptum,) *1744. in 4. mai. num XV. p. 113. ſq.* Quocunque tamen ſe res modo habeat, id exploratum omnino eſt, Germanos inter cultiores gentes reliquas primos fuiſſe, qui glaciem fregerunt in hiſtoria litteraria, eiusdemque amore alios etiam inflammarunt. *Gabrielem* quidem *Naudaeum* *) inter primos Galli memorant, qui ſuos rem litterariam docuerit. Nec

*) Scripta Naudaei, iudice MORHOFIO, *T. I. Polyh. lib. I. c. 16. §. 78.* magno ingenio et doctrina elaborata ſunt, diligenterque recenſentur in *Catal. Biblioth. Barberin. T. II. p. 110. ſq.* Add. *Naudaeana*, quorum, cum Patinianis coniunctorum, edit. altera *Amſtael. a. 1703.* pleniſſimum Catalogum operum Naudaei exhibet *p. 217 - 256.* Cf. etiam BAELII *Epiſt. ſelect. T. III. p. 729.* De libro illius *Maſcurat* dicto, ac perraro hodie, v. SCHELHORNIVS *Amoen. litter. Tomo IV. p. 557.* Exemplum eiusdem cum Bibliotheca Logauiana in Principalem Vinarienſem peruenit, fuitque Hermanni Conringii olim, et munere quidem ipſius Naudaei, vt fronti libri inſcriptum eſt. Verus autem illius titulus, verumque ſimul argumentum, eſt hoc: *Jugement de tout ce, qui a eſté imprimé contre le Cardinal Mazarin, depuis le ſixieme Janvier, jusques à la declaration du premier Avril mil ſix cens quarente neuf.* Prodiit ſine nomine Auctoris et loci, haud dubie tamen *Pariſiis, a. 1649. 4. mai.* ibidemque longe auctior recuſus eſt *anno ſequenti.* Vid. IOH. BENED. SCHEIBII *freymüthige Gedancken P. II. p. 91. edit. ſec. anni 1737. 8.* Prior editio libri Naudaeani conſtat paginis 492. altera paginis 717. Accedit Vinarienſi exemplari *Advis à nos Seigneurs de Parlement ſur la vente de la Bibliotheque de Mr. le Cardinal Mazarin.* In ipſo libro, ad modum Dialogi ſcripto, interlocutores ſunt *S. Ange*, bibliopola, ſub quo ipſe Naudaeus nomine, et *Maſcurat*, typographus, ſub quo Camuſatus, typographus Pariſienſis, latere dicitur. Vid. NICERON *Memoires pour ſervir à l'hiſtoire des hommes illuſtres dans la Republ. des lettres, T. IX. p. 96.* et celeberrimi viri, IAC. BVRCKHARDI, *Hiſtoria Biblioth.* *Augu-*

Nec detrahenda ipſi laus eſt, quod apud ciues ſuos *φιλοβιβλίας* ſtudium promouerit atque ordinauerit, praecipueque criticam artem adhibuerit in conſilium. Interim tamen anteceſſores habuit Germanos, *Conradum* quippe *Geſnerum*, *Michael. Neandrum*, *Georg. Draudium*, atque alios, qui omnes aetate ſuperiores illo fuerunt, adeoque dicendum potius, Germanorum induſtria excitatum eſſe eundem, ad rem litterariam adcuratius proponendam. Eius autem veſtigiis deinceps ingreſſi ſunt apud nos *Aug. Buchnerus*, *Petr. Lambecius*, *Herm. Conringius*, *Io. Henric. Boeclerus*, *Ioh. Andr. Boſius*, *Dan. Ge. Morhofius*, *Otto Menckenius*, *Conr. Sam. Schurzfleiſchius*, *Caſp. Sagittarius*, *Ge. Schubartus*, *Martin. Hanckius*, *Val. Henr. Voglerus*, *Vinc. Placcius*, *Henric. Meibomius*, *Chriſt. Thomaſius*, *Guil. Ern. Tenzelius*, nec non *Ioh. Reiskius*, Scholae quondam Guelpherbytanae Rector, quem iure huic inſerendum choro eſſe, contendit REIMMANNVS in *Catal. Bibl. ſuae T. II. p. 346.* vbi eiusdem *Partes IV.*

 de

Auguſtae, P. I. p. 272. vbi ſimul indicatur, vtramque libri editionem in Guelpherbytana etiam Bibliotheca exſtare. Nec Regia Dresdenſis eadem caret, docente GOETZIO in *illius Memorabilibus T. I. collect. 3. p. 263.* Multa profecto eruditione Mazarini, patroni ſui, famam adſeruit Naudaeus, et ſincerum de pleriſque libellis, in eum contumelioſis, iudicium tulit. Vid. GRYPHIVS de *ſcriptor. hiſtor. ſaec. XVII. illuſtrant. cap. IV. p. 259. ſq.* Vtiliſſima itidem alia paſſim intermiſcentur, e. g. *de Ludouico XIV.* Gallorum Monarcha, de *Ioh. Bapt. Morino*, Equite, de *Academiis Italorum* caet. Cf. IOH. BVRCH. MENCKENII *Catal. praecip. hiſtoric. Introductioni du Fresnoy* adiectus, *p. 274. edit. Germ.* itemque IOH. VOGTII *Catal. libr. rarior. p. 482. edit. nouiſſ.* Praecipue laudatur Naudaeus ob inſignem rei bibliothecariae notitiam; vnde Bibliothecariorum Alpha dicitur a COLOMESIO *in Gallia orient. p. 268.* et a CONRINGIO de *Biblioth. Aug. p. 164. in Schmidiana Collect.* incomparabilis condendarum Bibliothecarum artifex adpellatur. Cf. de eo, praeter alios plures, ANCILLONII *Memoires de plusieurs modernes celebres, p. 233. ſq.*

de rei litterariae statu per Europam praesente, Luneburgi 1673. et 1674. in forma quadripartita editas, mirifice laudat, nouisque dignas typis censet. Cf. Clar. IOH. CHRISTOPH. DOMMERICH. *Historia Scholae Ducalis Wolfenbuttelensis, Diatribe II. a. 1750.* in 4. excusa, *p. 47. sq.* quo loco singularem de huius viri vita commentationem, nec non opusculorum ab eo scriptorum syllogen, pollicetur. Ex nostro saeculo cum primis huc pertinent praestantissimi viri *Ioh. Mollerus, Ioh.* et *Ioh. Alb. Fabricii, Ioh. Franc. Buddeus, Ioh. Christoph. Wolfius, Burc. Gotthelf Struuius, Ioh. Burch. Menckenius, Nic. Hier. Gundlingius, Ioh. Gottlieb Krausius, Iac. Frid. Reimmannus, Gottlieb Stollius, Val. Ern. Loescherus, Ioh. Guil. Bergerus, Christian. Gottlieb Schwartzius, Iacob Burckhardus,* et, qui supersunt adhuc, *Christoph. Aug. Heumannus, Ioh. Henr. Seelenius, Christian Gottlieb Ioecherus, Ioh. Ge. Schelhornius, Iac. Bruckerus, Ioh. Erh. Kappius, Ioh. Christian. Wolfius, Frider. Otto Menckenius* et alii, quorum in has litteras merita cognouit dudum, semperque venerabitur, vniuersa eruditorum societas.

§. VI.

Inter viros clarissimos, qui magnum olim rei litterariae Opus meditati sunt, non eo tamen fructu, quem sibi promiserant, praecipuas gessit partes CONRADVS GESNERVS, Tigurinus patria, et Medicus ac Polyhistor sui temporis eximius, cuius non *Bibliotheca* solum, de qua infra, sed etiam *Pandectae* exstant, seu *Partitionum vniuersalium libri XXI. Tiguri apud Christoph. Froschouerum 1548. in f.* Secundus hic Bibliothecae Tomus dicitur, totius Philosophiae omniumque bonarum artium et studiorum locos communes, atque ordines vniuersales pariter ac particulares, continens. Ordo librorum in altera tituli pagina talis exponitur. Scilicet *Lib. I. de Grammatica et Philologia; liber II. de Dialectica; III. de Rhetorica; IV. de*

Poeti-

Poetica; V. de Arithmetica; VI. de Geometria, Opticis et Catoptricis; VII. *de Muſica;* VIII. *de Aſtronomia;* IX. *de Aſtrologia;* X. *de Diuinatione cum licita, tum illicita, et de Magia;* XI. *de Geographia;* XII. *de Hiſtoriis;* XIII. *de diuerſis Artibus illiteratis, Mechanicis, aliisque humanae vitae vtilibus;* XIV. *de naturali Philoſophia;* (quem optimum in hoc opere librum eſſe, REIMMANNVS exiſtimat in *Catal. Bibl. ſuae, Tomo II. pag. 24.*) XV. *de prima Philoſophia, ſeu Metaphyſica, et Theologia gentilium;* XVI. *de morali Philoſophia;* XVII. *de Philoſophia oeconomica;* XVIII. *de re Politica,* i. e. *ciuili ac militari;* XIX. *de Iurisprudentia, indices tres;* XX. *de re Medica;* ac tandem XXI. *de Theologia chriſtiana* inſcriptus eſt. Quilibet liber in certos titulos diſtribuitur, et ſub iisdem adnotantur non auctores tantum, qui data opera de quouis argumento egerunt, ſed ii etiam, qui aliis ſcriptis idem paullo fuſius expoſuerunt. Soli tamen librorum tituli ſine loco annoque editionis proferuntur, quandoquidem haec cum argumentis et cenſuris Auctorum ſingulorum in Bibliotheca ſua iam adiecerat Geſnerus, ad quam ideo in Praefatione, *Pandectis* praemiſſa, lectores ablegauit. Priores autem libri XIX, quamquam in Operis fronte omnium XXI. facta eſt mentio, tunc temporis editi ſaltim fuerunt, aperta ſtatim poſt titulum hac ratione: *Duo poſtremi libri, ob temporis anguſtiam in praeſentia non additi, ſeorſim quam primum licebit, Deo fauente, prodibunt: vna cum indice in totum hunc ſecundum Tomum: et fortaſſis etiam Appendice primi Tomi, quam ſatis luculentam habemus.* Stetit etiam Auctor promiſſis, quod ad librum viceſimum primum attinet, *ibidemque an. 1549.* exhibuit *Partitiones theologicas Pandectarum vniuerſalium* cum praefixo ad lectorem monito: *Pandectis noſtris, ſiue ſecundo Bibliothecae Tomo, cuius libri XIX. nuper editi ſunt, ſacro ſanctam Theologiam (hoc eſt, in veterum et recentiorum Theologorum*

libros indicem copiosissimum, ex quo in omne thema propositam amplam statim materiam colligere licebit) totius Operis colophonem hic adiungimus, medicinales etiam Partitiones, quae solae restant, alias seorsim, si Deus annuerit, locupletissimas edituri. Adiectus est hisce Partitionibus index alphabeticus, praesenti libro et superioribus XIX. communis, qui tertii Tomi, olim promissi, explere vicem debeat. Solae Partitiones medicinales, quas Gesnerus, Medicus ipse, dare constituerat amplissimas, lucem non viderunt. Caeterum has Pandectas, de quibus conferri meretur BVDDEVS (in *Isagoge ad Theologiam vniuersam Lips. 1727. 4. Libro I. p. 87.* haud satis recte cognitas habuit ADRIAN. BAILLETVS, alias in *Jugemens des Savans, T. II. P. I. p. 13. edit. Amstael. in 8.* non scripsisset haec: *Ce dernier ouvrage* (Pandectae scilicet Gesnerianae) *est compris en XIX. livres de Partitions universelles, en deux gros volumes in folio*, merito proinde erroris conuictus a MENAGIO in *Anti-Baillet P. I. p. 175. edit. cit.* quum libri isti vnicum saltim, idque mediocre, Volumen conficiant. Vulgo huc referri etiam solent CHRISTOPH. MYLAEI *de scribenda vniuersitatis rerum historia libri quinque*, primum excusi *Florent. a. 1548. in 4.* quae editio iam rarissima est; post iterum in *folii forma Basil. 1551. apud Oporinum;* deinceps in *Penu artis historicae ibid. 1579. Tomis II.* in 8. diuulgato, ac tandem *Ienae 1624.* 8. *a Ioh. Ge. Müllero*, sub titulo *Hermetis Academici*, prelo subiecti, et ab editore instructi sectionibus, summariis atque tabulis. Vid. REIMMANN. in *Catal. Bibl. suae T. II. p. 74.* Primus liber de naturae, alter de prudentiae, tertius de principatus, quartus de sapientiae, quintus de litteraturae historiis et historicis agit, ibique modus ostenditur componendae de vniuersa re litteraria historiae. Sed conatus fuit tantum; nec ipse Mylaeus in Praefatione diffitetur, librum hunc a se iuuene adhuc in itinere

esse

eſſe ſcriptum, vbi adminicula librorum neceſſaria habere non potuerit. Nec tamen vſus eſt opera haec plane nullius. Quod ſi enim REIMMANNO fides *l. c.* non in generalibus ſubſiſtit auctor, ſed ad ſpecialia etiam ſe demittit, et ſcientiarum origines ac fata ab orbe condito vſque ad ſua tempora enumerat, quod ante eundem nemo facile fuerat auſus. Praeclare etiam de rebus et perſonis eruditis iudicat. Cf. IDEM in *der Einleit. zur hiſtor. litter. P. I. p. 6.* vbi et ſtili laudat nitorem, librumque, ob rerum optimarum copiam, ſcriptis melioris notae addit, alioque loco *Ioh. Schefferi de ſtilo cap. XII. §. 2. p. 137.* circa hunc librum errorem detegit, quaſi in eo exponatur conſilium excerpendi, et locos communes adornandi. Vid. EIVSDEM *Idea ſyſtem. antiquit. litt. p. 561.*

§. VII.

Idem, quod Geſnero placuerat, inſtitutum animo concreperat etiam MICHAEL NEANDER, Sorauia-Sileſius, clariſſimus ſaeculo XVI. Ilefeldenſis Gymnaſii Rector, ex cuius ſchola, veluti ex equo Troiano, bene multi prodierunt, qui per totam Germaniam in erudienda iuuentute, reque litteraria propaganda, laudabilem paſſim operam nauarunt. Moliebatur is *Pandectas variorum auctorum et ſcriptorum*, in Catalogo lucubrationum promiſſas, quem *Erotematibus linguae Graecae* adiunxit, vbi *p. 416.* de harum argumento ita diſſerit: *Referuntur primo in illis Bibliothecae inſigniores et inſtructiores, quae ab initio in mundo fuerunt, et ſi quae adhuc hodie maxime celebratae ſunt, omneque genus ſcriptorum publicatorum, ac in Bibliothecis etiamnum vbicunque terrarum latentium, temporis etiam iniuria deperditorum, eorum etiam, quorum vel nomina ſolummodo apud veteres reperiuntur. Horum omnium ſcripta ac libri referuntur ſecundum materias ac argumenta, quae tractarunt, ſecundum artes, ſcientias,*

 pro-

professiones ac facultates: indicato etiam tempore, quando floruerint: simul etiam quando, et vbi locorum, cuiusque scripta sint excusa; numero quoque chartarum in plerisque indicato, quo facilius de pretio fiat iudicium. Censuris etiam doctorum virorum additis, vt sciatur, quo loco cuiusque scripta sint habenda, omnibus ordine, suoque loco positis ac distributis, vt in quacunque arte ac quacunque materia scriptorem requiras, mox, quaesito loco, pro vno innumeros reperias, vt adhibito iudicio potiorem, ac quem seu ipse maxime probes, seu aliis praecipue probatum fuisse intelligas, postea deligas. Videmus ex hisce, quam egregium fuisset opus, si edidisset Auctor, dolendumque propterea, Rei publicae litterariae non licuisse tam felicem esse, vt labore vteretur, qui multum certe profuisset. Sciagraphiam tamen quandam, et quasi prodromum, habemus in eruditissima *Praefatione*, *Erotematibus Graecae linguae* praemissa, et quidem in editione *Basileensi a. 1565. in 8.* iam longe rarissima. Recentiores enim editiones quasdam carere hac Praefatione, quae libro ipso duplo maior est, dudum obseruarunt eruditi. In ea non solum de Bibliothecis vetustis, ac temporis iniuria destructis, sed etiam de libris deperditis, agit Neander, ac litteraria res quomodo disponi queat, docet, indicatis sub quauis classe libris potioribus, additisque iudiciis non contemnendis; ita, vt multum lucis ex scripto hoc politissimo effulgeat. Pars eius inserta *Collect. Maderianae de Biblioth. p. 37. sq.* Vt fateamur, quod verum est, vir erat πολυμαθέστατος Neander, neque tamen solus par tanto labori, nisi forsan ex discipulis suis, inter quos multi exstiterunt clarissimi, socios sibimet adsciuisset. Cf. MORHOFIVS in *Polyh. Tom. I. lib. I. cap. 18. §. 11.* quem locum ante oculos habuisse Struuius videtur, vt iam in priori huius libri editione notauit reuer. KOECHERVS.

§. VIII.

§. VIII.

Superiori seculo de grandi Opere cogitauit FRANCISCVS BACO de VERVLAMIO, quod ipse inter desiderata proponit *lib. II. cap. 4. de Augmentis scientiarum.* En! integra eiusdem verba: *Argumentum,* ait, *non aliud est, quam vt ex omni memoria repetatur, quae doctrinae et artes, quibus mundi aetatibus et regionibus floruerint. Earum antiquitates, progressus, etiam peragrationes per diuersas orbis partes, (migrant enim scientiae non secus ac populi,) rursus declinationes, obliuiones, instaurationes, commemorentur. Obseruetur simul, per singulas artes, inuentionis occasio et origo; tradendi mos et disciplina; colendi et exercendi ratio et instituta. Adiiciantur etiam sectae et controuersiae maxime celebres, quae homines doctos tenuerunt; calumniae, quibus patuerunt; laudes et honores, quibus decoratae sunt. Notentur auctores praecipui, libri praestantiores, scholae, successiones, academiae, societates, collegia, ordines, denique omnia, quae ad statum litterarum spectant.* Haec illustris Anglus, *) merito inter ingenia praecocia relatus ab

*) Opera eius saepius iunctim prodierunt. Primum *Londini a. 1638.;* tum *Francof. a. 1648.* et *1665. in f.;* deinde *Amstael. 1684. Tomis VI. in 12.* ac *Lips. 1694. f.* scriptis Anglicis in Latinum versis sermonem a SIM. IOH. ARNOLDO: parum tamen adcurate impressa sunt multa; (Cf. *Catalog. Biblioth. Rinckianae pag. 976.*) post *Londini 1729. IV. Volum. in f.* quae editio praestantissima dicitur, partim ob varias accessiones, partim, quod omnia fere collata cum autographis ab Episcopo SANCROTIO. Praemissa quoque Auctoris vita. Tum Wetsteinius, celebris Amstaelodamensium bibliopola, *an. 1730. VII. Vol. in 12* Opera haec omnia exhibuit, qua de re legi meretur *Bibliotheque raisonnée Tomo V. P. I. num. 1.* Denique eadem typis iterum excusa *Londini* fuerunt *a. 1740. Tomis IV. in f.* et Anglice quidem, nouisque insignita praerogatiuis. Ad has duas editiones Londinenses, difficillime comparandas, quod attinet, fidem sequimur celeb. KAHLII in *Bibliotheca philosophica Struuiana T. I. p. 123.* et *T. II. p. 396.* Liber *de dignitate*

ab ampliſſimo viro, IOH. KLEFEKER, in *Biblioth. eruditor. praecoc. pag. 8.* Et maximi ſane momenti eſt palaeſtra haec, in qua, vt Morhofianis vtamur verbis, vel Hercules inueniet, quod agat, ideoque vix credendum, vnquam in lucem editum iri eiusmodi Opus. Vid. MORHOFIVS in *Polyh. l. c. cap. 2. §. 3.*

§. IX.

Aliquas inter deſiderata Verulamiana adimplere partes voluit PETR. LAMBECIVS, cuius vitam ac fata multi expoſuerunt. Sed nec eius conſilia ad optatum perducta exitum fuiſſe nouimus. Diuulgauit enim *Prodromum* ſaltim *hiſtoriae litterariae*, vsque ad libri II. capita priora quatuor, *Hamb. a. 1659. f.* Recuſi hi labores *ibidem eademque forma a. 1710.* fuerunt, curante IOH. ALB. FABRICIO, qui et adiecit, praeter Auctoris *iter Cellenſe*, et ALEXANDRI FICHETI *arcanam ſtudiorum methodum*, nec non *ideam locorum communium*, eximium librum, rariſſimumque antea, GVIL. LANGII, Profeſſoris olim Hafnienſis, *Catalogum ineditum librorum MStor. in Bibliotheca Medicea.* Occaſio, qua inuitatus Lambecius tale negotium ſuſcepit, haec eſt. Quum in Hamburgenſi Gymnaſio doceret adhuc, auditoribus ſuis introductionem in hiſtoriam litterariam ſuppeditare volebat, eamque ob rem ὁδηγὸν eligebat IOH. IACOBI FRISII *Bibliothecam claſſicorum auctorum chronologicam*, quam emendatiorem et locuple-

tate et augment. ſcient. de quo vid. *die Hälliſchen auserleſenen Anmerck. T. IV. p. 148. ſq.* primum Anglice fuit editus *Londini 1605. ibid. 1623. f. Pariſiis 1624. 4. Amſtael. 1662. 12.* alibique ſaepius Latine recuſus. Caeterum acutiſſime de hoc Britannorum Socrate iudicat RAPINVS. *Bacon,* ait, *eſt vn eſprit vague, qui n'aprofondit rien; ſa trop grande capacité l'empêche d'etre exact. La plûpart de ſes ſentimens ſont plûtot des ouvertures à mediter, que des maximes à ſuivre.* caet. Vid. *Reflexions ſur la Philoſophie p. 345. §. 18.* quem locum COLERVS adſcripſit.

pletiorem ſuis ipſe ſumtibus prelo ſubiecerat. Obſeruatis autem deinceps non lacunis tantum, ſed et quam plurimis in hocce libro erroribus, ſtatim plenioris operis aliquando edendi conſilium cepit, cuius Prodromum ſaltim, excreſcente praeter opinionem adparatu, in lucem emiſit, vt paullo ſupra memorauimus. Animus igitur erat, omnem hiſtoriam litterariam a prima ſcribendi origine componere, chronologiae ſimul ac temporis ratione habita. At non niſi hiſtoria exſtat ab orbe condito vsque ad aetatem Moſis, quem, reiectis aliis, quae proferuntur, ſcriptis, auctorem tam ſacrorum, quam profanorum, antiquiſſimum facit. Tum de libris Moſis et Iudicum agit: reliquorum autem, quae ſubiungenda erant, quandam modo ſciagraphiam exhibet. Vid. *die Neue Hälliſche Biblioth. T. I. p. 807. ſq.* Vir immenſi laboris erat Lambecius, dignus Vindobonenſis Bibliothecae inſpector, litterarumque amplificandarum ſtudioſiſſimus; ſed quum diffuſus eſſet ſaepenumero, plusque ingenii, quam iudicii, ad eiusmodi attuliſſe opus videatur, nemo forſan perſuadebit ſibi, tantam eum ſuſtinere molem potuiſſe. Imo recte Boeclerus, quid de Lambecii Prodromo, totoque Opere promiſſo, iudicaret, interrogatus aliquando, reſpondit: *vnus homo non eſt par tanto oneri.* Cf. REIMMANNI *Einleit. zur hiſt. litter. P. I. p. 5.* MORHOF. *T. I. lib. 1. cap. 16.* §. *77.* et HEVMANN. *Conſp. Reip. litt. cap. II.* §. *7.* quorum ſententia eodem redit. Tantum tamen abeſt, vt hos ipſos conatus improbandos plane exiſtimemus, vt potius haud inuiti album calculum adiiciamus peritiſſimi FABRICII ſuffragio in *Praefatione*, qua Lambecianum Prodromum exornauit. Ita ſcribit ille: *Lambecius corpus hiſtoriae litterariae non minus praeclaro auſu, quam Plinius naturae rerum hiſtoriam et amplecti animo, et delineare aggreſſus eſt, cuius licet partem tantum dedit elaboratam, tamen vel ipſa nec plane ſterilis*

illa

illa vniuersi corporis, quam exhibet, adumbratio simul ac prodiit in lucem, cepit eruditorum animos, ea commendat se quoque vtilitate varietateque rerum scitu dignissimarum, caet.

§. X.

Illustris superioris saeculi Polyhistor, HERMANNVS CONRINGIVS, merito etiam Polygraphorum catalogo inserendus, *) anno 1664. auditorum quorundam desideriis vt satisfaceret, priuatos intra parietes commentarium breuem de eruditionis a Christo nato propagatoribus calamo dictauit excipiendum, introductionis loco in chronologiam et historiam litterariam. Commendat Opusculum VOGLERVS sub finem *cap. II. Introd. vniuers. in notit. scriptorum*, de qua infra, idque multorum commodis opportunum fore dicit, si lucem videret, nisi quod, quae ad medicos spectant, iam legantur, et auctiora quidem, in ipsius in artem medicam Introductione. MORHOFIVS contra *l. c.* §. *6.* libellum vocat compendiarium, extemporalibus Auctori dissertationibus natum. Hunc vbi in manibus quorundam esse intelligeret, describentium culpa foede corruptum, emendatius edere adgressus est *Ioh. Gottlieb Mollerus*, Athenaei olim Gedanensis Professor, in quo plane inusitatam rem omnem litterariam iuuandi, etiam cum propriarum facultatum dispendio, cupidinem, laborandi industriam omnino ferream, inque proposito suo tenacem quandam constantiam fuisse, IOH. FECHTIVS testatur in *Praef. Isagog. ad Boecleri saecula IV. a nato Christo priora*, *p. 25.* De instituto illius, MStum hoc summi Con-

*) Opera eius, exceptis theologicis, medicis, physicisque scriptis, *Ioh. Guil. a Goebel*, celeberrimus quondam Academiae Iuliae Antecessor, *Brunsuigae a. 1730. Tomis VI. in f.* cum Indice vniuersali iunctim edidit, suisque passim illustrauit Obseruationibus. Praemissa est ampla *de vita auctoris* Commentatio.

Conringii quibusdam publicandi Diſſertationibus, v. *Noua litter. maris Balth. a. 1698. menſe Maio.* Sed abſoluere, quae tentauerat, non licuit Mollero, rebus quippe humanis, opinione citius, erepto. Quum itaque non reperiretur, qui laborem illum, ab eodem coeptum, continuaret, *Gottlob Krantzius* demum, Gymnaſii Eliſabethani apud Vratislauienſes tum Profeſſor, poſt Rector, denuo edendum curauit*) Opusculum, et hoc quidem titulo: *Hermanni Conringii de Scriptoribus XVI. poſt Chriſtum natum ſaeculorum commentarius, cum prolegomenis, antiquiorem eruditionis hiſtoriam ſiſtentibus, et additionibus, quibus ſcriptorum ſeries vsque ad finem ſaeculi XVII. continuatur. Vratisl. 1703. 4.* iterumque nouis Krantzii acceſſionibus *ibid. 1727.* ex qua editione in *Operum Conringianor. T. V. p. 762. ſq.* relatum etiam fuit. Cf. *die monathlichen Nachricht. von dem alten vnd neuen Zuſtand der Vniuerſit. Jena 1727. 8. p. 402. ſq.* Praemiſſa ſunt ab editore Prolegomena, quae hiſtoriam eruditionis ante Chriſtum natum

*) Fallitur ergo REIMMANNVS, in *hiſtor. litt. P. I. p. 237.* exiſtimans, Krantzium MSti Conringiani editorem fuiſſe primum, quum ipſe Krantzius in Praefatione ſuae editionis fateatur, ex Diſputationibus Mollerianis, cum aliis exemplaribus MStis collatis, Opus hoc enatum eſſe. Idem ſimul Reimmannus editionem Krantzianam minus adcuratam perhibet, et a Conringii autographo, quod ſe poſſidere addit, paſſim alienam. Probat illud ſpecimine ex §. I. MSti Conringiani petito, quod in plurimis a textu Krantzii differat. Sed, praeter ea, quae iam Reimmanno reſponderunt Auctores *des ausführlichen Berichts von neuen Büchern p. 676.* belle et ex aequo hanc litem dirimit STOLLIVS in *Prooemio ad hiſtor. Philoſoph. litterar. §. 48.* vbi haec verba exſtant, a LANGIO Latine reddita: *Quemadmodum haud adeo eſt inſolens, vt inter dictandum doctores variare ſoleant, nec minus probabile ſit, hoc a Conringio Collegium repetitis praelectum fuiſſe vicibus, ita ego pro certo adfirmare poſſum, eo eſſe Krantzium candore atque animi dexteritate, vt quiduis potius aliud tentauerit, quam litteram in Conringianis temere mutaſſet; vt et ipſe conteſtatus hoc eſt in praefatione.*

natum exhibent, ac de Hebraeorum, Barbarorum, Graecorum Romanorumque doctrina quatuor capitibus agunt. Sequitur ipse Conringii libellus, in quo scriptores per saecula distinguit, ita, vt in quouis quinque constituat classes, iisque complectatur Theologos, Philosophos, Iureconsultos, Medicos, Historicos, Poetas et Oratores. Adiecta est eadem methodo saeculi XVII. historia. Sed idem, quod Morhofius, monuit Krantzius, candideque professus est in fine Praefationis, non ex asse satisfacere exspectationi eruditorum Commentariolum hunc, in multis ob breuitatem nimiam frigidiorem, et cum aliis viri summi Operibus minime comparandum, imo in variis rebus emendandum poliendumque. Videtur tamen maioris operis prodromus fuisse, quem auditorum gratia conscripserat Conringius, haud inutilis tali ratione, dum singula vberioribus sermonibus explanaret. Praeter huncce libellum aliud Auctoris scriptum, quod Antiquitates Academicas exponit, huc esset referendum, si ex titulo iudicare velimus. Ita enim ille in editione altera: (prior anno 1651. excusa fuerat) *De Antiquitatibus Academicis dissertationes, plurimis locis secunda hac editione emendatae. Accessit supplementorum eiusdem argumenti liber vnus. Quibus reipublicae litterariae omnis aeui status illustratur. Helmst. 1674. 4.* At vere censet HEVMANNVS V. C. in *Conspectu Reipubl. litt. cap. II. §. 8. p. 17. edit. nouiss. quum historia scholarum*, scribens, *membrum duntaxat aliquod sit historiae litterariae, facile adparet, Conringianum illud opus non haberi posse pro compendioso historiae litterariae corpore.* Interim liber est doctus, et in hoc argumento vnicus propemodum, certe praestantissimus, ex quo, veluti riuulo, viros complures, alioquin egregios, sua prata irrigasse, nomine tamen Conringii dissimulato, REIMMANNVS indicat, facilique negotio se demonstrare id posse contendit, si eorundem detegere maculas vel ipsis, vel

vel ſibi laudi futurum opinaretur. Vid. illius *Catal. Biblioth. ſyſtem. critic. T. II. p. 149.* Poſt alteram, quam memorauimus, editionem, mirum eſt profecto, *Antiquitates* has *Academicas* per ſexaginta fere annos a nemine fuiſſe recuſas. Primus hoc ſaeculo nouis eas typis in *Operum Conringianorum Tomo V. p. 398. ſq.* diuulgauit GOEBELIVS, ſuasque, ni fallimur, (diu eſt enim, quum Tomos illos vſurpauimus) obſeruationes hinc inde adiecit. Verum non omnium, qui has amant litteras, ferre rationes videbantur, vt vnius libri cauſſa integrum Opus magnis ſibi ſumtibus compararent; ideoque multam a plurimis gratiam iniit laudatus HEVMANNVS, quo eximium illum ſummi Polyhiſtoris Tractatum producere ſeparatim et ſplendidius voluerit. Factum id *Gottingae a. 1739.* in *4. mai.* acceſſitque, praeter luculentam Praefationem, *Bibliotheca Academiarum hiſtorica*, doctiſſime ab editore diſpoſita. Hoc dolendum tamen, viri cuiusdam clariſſimi ad librum Conringianum notas, ſine dubio vtiliſſimas, quarum Heumannus in Praefatione ſpem fecerat, Auctoris nondum ſcriniis exiiſſe.

§. XI.

Magnum inter eruditos nomen eſt GE. HIERON. VELSCHII, Medici Auguſtani, qui vti plura alia, eademque neceſſaria omnino, ſibi propoſuerat; ita non minimas etiam in rem litterariam eſſe curas voluit. Proſtat eiusdem *Epiſtola de ſcriptis ſuis ad bibliopolas et typographos S. R. Imperii*, quam inſeruit quoque *Bibliothecae ſuae promiſſae ac latenti*, *Gaudae a. 1688. in 8.* editae, THEOD. IANSON ab ALMELOVEEN. In hoc ſcripto ſeptuaginta Opera offert librariis, atque inter illa *num. LXIX.* Notitiam Auctorum panglottam. De inſtituto ipſum audiamus loquentem: *Infiniti operis fuerit, ſi quis omnes omnino nominare voluerit, quod olim Geſnerus in Pandectis ſuis, deinde alii quo-*

que videntur ſpectaſſe. Non haec mea mens; ſed in ſingulis linguarum generibus, veteres tantum et probatos auctores, atque in caeteris meliores, non tantum nominare, ſed etiam praeſtantiores editiones indicare et de ſcriptis ipſis iudicia ferre inſtitui. Huius facti initium Ger. Io. Voſſius mihi ſuggeſſit, qui tale quid olim coepit, ac amicis et auditoribus diſtribuit. Ab his ego quoque accepi, et deinde plurimum a triginta iam annis auxi. Nec enim ipſe vltra Latinos et Graecos profectus eſt; ego Orientales et linguarum omnes addidi. Ingenue tamen laudem illi ſuam tribuo, quia tantundem, aut etiam amplius, mihi ſupereſſe poterit, ſi benignius accipiatur. Ex paucis autem initiis multa magna ſuccreuiſſe nemo ignorat. Haec a Velſchio dicta comprobant luculenter, quod ipſe fundamentis, a Voſſio iactis, ſuperſtruxerit, nec vniuerſum rei litterariae emetiri campum, ſed rerum potius tenere delectum voluerit, et illum quidem haud inutilem. Erat enim vir ingenii atque iudicii admirabilis, magnoque humanioris litteraturae adparatu inſtructus, quo eum elogio MORHOFIVS ornat *T. I. Polyh. cap. 6. §. 38.* At nimis multa ſuſceperat elaboranda, quae abſoluere nunquam potuiſſet. Tot ſane eius adfecta ſunt, vt, ſi prodiiſſent, integram pene Bibliothecam complecterentur. Sola haec, quae ad hiſtoriam ſpectant litterariam, praeter notitiam auctorum, iam nominatam, ſunt ſequentia: *hiſtoria litteraria Turcarum, ex Manuſcripto Conſtantinopolitano; Lipſii Bibliotheca, et Naudaei Bibliographia, nec non Lindanus de ſcriptis medicis, notis auctiores; Bibliotheca Medici erudita; hiſtoria Medicorum orientalium; chronologia Medicorum; de MStis medicis; de modo legendi et excerpendi*, hisque ſimilia, quorum videndorum ſpes cum Auctoris morte euanuit. Merito igitur iacturam hanc deplorat MORHOFIVS *l. c.* omnesque, in quorum manus ſupellex illa litteraria peruenit, obteſtatur, ne quidquam illarum chartarum perire ſinant:

typo-

typographos autem vt eripiant, quicquid earum ſupereſt, tineis ac blattis, monet. In Catalogo Spizeliano animaduerſum, MStis, quae reliquerat horum librorum poſſeſſor, accenſeri etiam vel quinquaginta Volumina Velſchiana, atque inter haec ea, quae ad litteraturam faciunt. Exſtitiſſe pariter horum aliqua penes Matth. Frid. Beckium, MEELFÜHRERVS memorat in *Acceſſionibus ad Almeloveeni Bibliothecam promiſſam ac latentem p. 9.* Idem ſciagraphiam Tractatus Velſchiani *de orientali litteratura*, ſiue hiſtoria Turcarum litteraria, ſubiunxit, ex quo et reliquis cognoſci facile poteſt, ſedulo collegiſſe Velſchium, quae ad Polymathiam pertinere videbantur. Similia tentaſſe IOH. CHRISTIAN. L. B. a BOINEBVRG, non ſolum Epiſtolae ipſius cum ad Prüſchenckium, tum ad Diericum ſcriptae, indicant, ſed MEELFÜHRERVS etiam *l. c. p. 12.* teſtatur. En! ipſa eius verba: *Illuſtriſſimus Baro de Boineburg, Eques auratus, S. Caeſ. Maieſt. Camerarius, Archiepiſcopi et Electoris Moguntini, nec non eiusdem Herbipolenſium Epiſcopi, Ducisque Franconiae, intimus Conſiliarius et ſupremus Mareſchallus, opus de vniuerſa re litteraria moliebatur, quod pro immenſa eruditione ſua feliciter dediſſet procul dubio, niſi mors ſubitanea deſtinatis eius interceſſiſſet.* Sane in Bibliotheca eiusdem, quae Moguntiae olim adſeruabatur, poſt ex legato filii ad Academiam Erfurtenſem peruenit, vix liber reperitur, cui non auctores paralleli, vel alia, quae Polymathiam iuuant, adſcripta crebro fuerint. Nec tamen contigit viro illuſtri, interque politicos longe doctiſſimo, vt, quum negotiorum ſingulis diebus obrutus mole eſſet, tantos recluderet theſauros, quibus alias res litterarum publica inſigniter poterat locupletari.

§. XII.

Eiusmodi etiam Opus vniuerſale in animo habuiſſe

 vide-

videtur IOH. HENR. BOECLERVS, Argentoratenſium praeterito ſeculo Polyhiſtor, in elegantiori litteratura, veluti dux quidam inter gregarios milites, eminens, quem ſolum, obſeruante ad hunc §phum LILIENTHALIO, vna cum Conringio cunctis doctrinae praeſidiis inſtructum eſſe iudicauit Morhoſius, vt litterariam condere hiſtoriam, eamque numeris omnibus abſolutam, potuiſſet. Coeperat is a. 1659. priuato ſermone ſuis exponere auditoribus *hiſtoriam priorum quatuor a Chriſto nato ſaeculorum*, quae deinceps ex libello Auctoris memoriali, eiusque ore a diſcipulis excepta calamo, primum a IOH. GOTTLIEB MOLLERO *cum* IOH. FECHTII *Praefat. iſagogica Roſtochii* edita fuit *a. 1695. 4.* vid. *Acta Erud. Lat. a. 1696. p. 74. ſq.* tum vero, poſt Molleri obitum, non auctior quidem, vt in Epiſtola dedicatoria adſeritur, at elegantior tamen, prodiit *Sedini a. 1699. 8.* omiſſa Molleri non Praefatione ſolum, ſed ipſo etiam eius nomine in fronte ſublato. Tantum in nouam hanc editionem librarius impendit induſtriae, vt maior, magisque anxia, vix locum habuiſſet. Quotquot enim nanciſci contigit MSta libri exemplaria, ea cum ſuo contulit exacte, ne infelix lolium, Boecleriano nomine indignum, irreperet. Omnia autem haec ſaecula in quinque claſſes diuidit Boeclerus, ita vt primum Chronologiam, deinde res Romanas, mox externas, tum eccleſiaſticas, poſtremo viros celebres, litteras, artes, inuenta, atque alia commemoret. Haec vera eſt hiſtoria vniuerſalis. Vellemus tamen, ipſe Boeclerus vltimam adhibere manum potuiſſet; ſine dubio enim fuſius tradidiſſet ſingula, maxime quantum ad inuenta et artes, de quibus perbreuis eſt. Interim haec ipſa quoque ſuis fructibus haud deſtituuntur. Plenior eſt et copioſior eiusdem *de rebus ſaeculi IX. ac X. Commentarius*, ſecundum ſeriem Imperatorum R. G. concinnatus, eodemque fere modo diſpoſitus, vt ſaecula priora

qua-

quatuor pertractauerat, nisi quod res litterarias, scriptoresque ac memorabilia caetera, non saeculorum, sed Imperatorum, ordini subiecerit. Ipse hunc librum Auctor edidit *Argent. 1656. 4.*; post non solum *a 1685.* repetitus est, sed etiam in *Dissertationum Boeclerianarum Tomo III. ibid. 1712. in 4.* excuso, locum obtinuit. Nostris in manibus versatur postrema haec editio, vbi *p. 95.* digna notatu est relatio de Anastasio, a Moguntinensibus ea parte, qua Iohannae Papissae historia continebatur, turpi fraude, contra MStorum auctoritatem ac fidem, castrato. Similem Boeclerus methodum obseruauit in suo *de rebus saeculi XVI. Libro memoriali*, qui primum, Auctore iam exstincto, *Vlrici Obrechti* studio lucem vidit *Argent. a. 1685.* iterumque recognitus, auctus, et ab innumeris, quibus scatebat, mendis repurgatus, indicibusque necessariis instructus a IOH. BVRCH. MAIO diuulgatus est *Kilon. a. 1697. in 8.* Solus eruditorum index integras complet paginas triginta sex, in quibus millenarius circiter nominum reperitur. Sed multo vberior futurus erat iste index, nisi Boeclerus consulto omisisset omnes, qui quamuis ingenii gloria saeculo XVI. floruerint, librisque editis facti sint nobiles, sequenti demum aeuo, cui et annum 1600. adnumerat, e vita excesserunt, quod inter naeuos libri refert HEVMANNVS, qui *sex Programmatibus*, *Gottingae* inde ab a. 1718. vsque ad annum 1723. in lucem emissis, Supplementa exhibere ad eundem coeperat. Primum horum Opusculorum recusum exstat in *Bibliotheca Acad. Halensi a.1718. p. 339. sq.* reliqua difficulter nunc parantur. Ad eruditos autem, a Boeclero adductos, quod attinet, cuiuslibet vitam paucis exponit, scriptoresque addit simul, ex quibus plura hanc in rem possint hauriri. Multa etiam suppleuit Maius, quae separatim vncis inclusa. Denique scriptis Boeclerianis, quae ad rei litterariae notitiam generatim spectant, adiungi mere-

tur eiusdem *Commentatio posthuma de ſcriptoribus Graecis et Latinis*, ab OBRECHTO primum *Argent. a. 1674.* deinde *Vltrai. 1700.* et *Argent. 1704. in. 8.* edita, itemque *Tomo X. Theſauri Antiquit. Graec.* inſerta, qua omnis generis ſcriptores ab Homero vsque ad initium ſaeculi XVI. complectitur. IOH. CLERICVS in *Biblioth. choiſie Tom. II. p. 362. ſq.* laudat commendatque Opuſculum hoc, ad id potiſſimum vtile, vt ſcriptores ſecundum ſaecula exinde dignoſcere diſcamus. Cf. KRAVSII *vmſtändl. Bücher-Hiſtor. P. I. p. 120. ſq.* Autographum exſtat Hamburgi in Bibliotheca Wolfiana, vti patet ex IOH. CHRISTOPH. WOLFII *Conſpectu ſupellectilis epiſtol. et litterariae, manu exaratae, p. 279.* Multa omnino praeſtitiſſet, pro ingenii bonitate, Boeclerus, ſi vocare ſub examen licuiſſet ſingula; haec ipſa enim, quae in illo ſtudiorum genere ab eo nomen habent, manca eſſe et inchoata tantum, intelligentium iudicio iam pridem confirmatum eſt.

§. XIII.

Quinquaginta nunc, et quod excedit, anni elapſi ſunt, quum VALENT. ERNESTVS LOESCHERVS, celeberrimus Saxoniae Theologus, anno 1749. Dresdae vocatus ad ſuperos, *Arcana litteraria, et alios triginta libros edendos*, Muſis conſecraret, datoque ſpecimine proponeret. Hoc duodecim paginarum ſcriptum *a. 1700. in 4.* prodiit, ac poſtea in eiusdem *Initiis Academicis, Vitemb. a. 1707. in 4. num. 7. et 8.* immutato paullum habitu, ſub titulo ſcilicet *Conatuum ſacrorum et litterariorum* recuſum eſt. Velſchianis ea promiſſis ſimilia ſunt, niſi quod maiorum adhuc voluminum Opera polliceatur. Inter haec, praeter alia, iam non memoranda, *num. VIII.* reperitur, quae huc pertinet, *hiſtoria litteraria*, de qua ita loquitur: *Hoc opus diu deſiderauimus, doctiſſimo Lambecio ſaltim rudimenta eius*

et

et initia nobis dante: ego, vt potui, ad noſtram vsque aetatem omnium ſaeculorum genium litterarium, inuenta, doctos, omnium artium fata, et quae praeterea ad hoc inſtitutum ſpectant, omni ſtudio interpretatus ſum, adiecique rariora, hiſtoriam Philoſophiae Scholaſticae a ſaeculo vsque duodecimo, hiſtoriam litterarum ſaec. XIV. et XV. renaſcentium, Germaniam eruditam eo tempore, quum Lutherus ſacra repurgare inciperet, diſſertationes de poetis theologis, Rabbinis recentioribus, reſtitutoribus auctorum claſſicorum, ſcriptoribus ſupplementorum, doctis ſycophantis, qui antiquis tot libros ſuppoſuerunt, et huius generis alia. Subſequitur *num. IX. vniuerſalis librorum notitia*, cui haec adiunxit verba: *Noua et ampliori methodo conſcripta, in partes diuiſa IV. quarum prima ſcriptores claſſicos Hebraeos, Graecos, Latinos, Arabes ab initio mundi vsque ad ſaec. XII. ordine chronologico, praeterea ἀχρόνους et ſuppoſititios percenſet: ſecunda libros ad quamlibet diſciplinam ſpectantes, tertia libros rariores, bonos ac malos, atheiſticos, obſcoenos, paradoxos, ſatyricos, enumerat, quarta denique miſcellanea varia, v. g. Scholiaſtas, Gloſſatores et Gloſſaria, ſcriptores nauticos, ruſticae rei, Hortulanos, Ampelurgicos etc. Bibliographos nationum, et itinerariorum conditores ſubiungit.* Promiſſa ſunt, quorum complere ſummam tantum abeſt, vt vni liceat homini, vt haec potius vel decem ampliſſimae doctrinae ferreaeque induſtriae viros omnem per aetatem occuparent. Cf. elegans de vanis promiſſis litterariis locus apud SALDENVM *de vſu et abuſu libror. p. 102.* Sub initium quidem horum *Arcanorum* obtuliſſe ſe Muſis, ait, Catalogum ſequentem ſcriptorum vel in Academia, vel in munere ſacro, quo fungatur, vel elaboratorum, vel tamen affectorum, quae, ſi quis ſumtus ferat, propediem lucem videre poſſint. Verum haec in iuuentute ſcripta ſunt, cui plerumque nimia virium fiducia, imo

et iusto maior gloriae auiditas adhaeret. *) Quum igitur de oblatis istis operibus sinistre quidam iudicarent, **) ipse, rei difficultate perspecta studiosius, *in*

*) Non pauca praeter haec, quorum iam iniecimus mentionem, orbi erudito pollicitus est b. LOESCHERVS in *Relationibus innocentibus.* (*vnschuld. Nachrichten.*) Cf. etiam eiusdem *Vorschlag dreyer höchstnöthigen Theolog. Schriften, 1700. 4.* nec non *Conatus sacros et litterarios*, de quibus supra, vbi vel octoginta ingenii sui foetus editurum se, recepit.

**) Audiamus *Collectorum Treuoltiensis Diarii* sententiam, dictam *a. 1704. mense Februario: Amuser*, scribunt, *le public par de beaux projets et de magnifiques promesses de livres, qui ne paroissent jamais, est l' artifice ordinaire de certains savans, à qui le travail coûte. Almeloven, docte Hollandois, a rempli un volume entier des titres de ces livres promis, et comme il en avoit encor omis beaucoup, son ouvrage a bientôt après été suivi d'un supplement. Il est avantageux aux belles lettres, qu'on publie le projet des ouvrages, dont les materiaux sont prets pour inviter les savans, qui ont travaillé sur la même matiére, à contribuer à la perfection de l' ouvrage et pour presentir le jugement des personnes de bon gôut. Mais quand après plusieurs années l'effet ne suit pas la promesse, on doit se defier de l' intention de celui, qui l' a faite. Mr. Loescherus a vû tout le hazard, qu' il couroit en publiant tant de projets à la fois. Il raconte même dans une espece de Préface, qu'on le cite au Parnasse comme un homme, qui promettoit plus, qu'il ne pouvoit tenir. Il croit, que pour se justifier il suffit de publier en detail les titres des livres, qu' il fera, dit il, imprimer si tot, que les libraires voudront s' en charger. Apparement la plûpart des livres, dont il donne ici les titres, ne ruineront aucun libraire. On ne peut cependant refuser à Mr. Loescherus la louange, qu'il merite, pour avoir imaginé les desseins de plusieurs livres fort utiles: d' autres profiteront de ses inventions.* Sub finem addunt dicti Collectores: *du moins pour cette fois il a tenu plus, qu'il n'avoit promis. Le titre de ce petit livre ne fait esperer que 31. desseins de livres, il en contient plus de 60.* Manet interim Loescherus semperque in hominum memoria manebit talis, qualem depinxit REIMMANNVS in *Catal. Bibl. suae T. I. p. 901. Huic viro,* inquit, *multum inest ingenii ac iudicii et orationis non inelegans copia, cum cogitandi labore coniuncta. Lectio autem tanta,*

in Academicis initiis plagula 19. folio 3. circa finem, ingenue profitetur Loeſcherus: *De conatibus meis litterariis olim ſcheda quadam Latina actum eſt; in qua non approbo omnia, fateorque ad iactantiae ſpeciem nonnulla trahi poſſe, nec ſatis cocta eſſe.* Et in fine *plagulae ſequentis folio 3.* ita mentem explicat ſuam: *Quae olim pollicitus eſſe videor opera diffuſiora Pandectarum eruditionis inferioris, hiſtoriae philoſophicae recentioris, Syſtematis antiquarii, Pandectarum Genealogicarum, hiſtoriae litterariae vniuerſae, notitiae librorum vniuerſalis etc. ſupra meas vires eſſe, et cum primis in hoc, quo fungor, munere perfici a me non poſſe, fateor. Colligo tamen et meditor etiam, quae ad haec inſtituta pertinent, quantum parerga iſta tractare mihi licet. Quin imo de conatibus meis omnibus ita exiſtimaturos eſſe aequos lectores arbitror, vt non plura me, quam praeſtari per aetatem, vires, otium et ſubſidia, a Deo conceſſa, poſſit, me pollicitum ſciant. Eo ſane conſilio promulgatos hos indiculos volui, non vt neceſſario prodire iſta omnia in publicum debeant; ſed vt de priuatis meis laboribus certiores faciam eos, qui vel monere me poterint, vel iuuare, vel tamen iisdem aliquando vti. Nam et hos boni publici cauſſa merito ſuſcipio, atque ad illud ipſum dirigo. Quare ſi quis fuerit in ſimili labore quodam occupatus, ei, quae a me ſunt collecta obſeruataque, lubenter tradam.* Cf. idem in *Epiſtola reſponſoria ad Chriſtian. Feuſtelium de ſtatu progreſſuque ſcriptorum ab ſe promiſſorum*, quae exſtat in FEVSTELII *Miſcell. ſacris et eruditis, Lipſ. an. 1715. 8.* inde *a p. 671. ſq.* vbi ſimul *p. 734. ſq.* apologia *conatuum Loeſcheri* reperitur. Sigillatim *de Arcanis litterariis* ipſe exponit *p. 710. ſq.* Add. LILIENTHAL. in *Machiauelliſmo litter. p. 94. ſq.*

Idem forſitan vniuerſalem litterariae rei hiſtoriam concinnandi conſilium inierat IOH. BVRCH. MAIVS, dum

ta, vt vniuerſum reipublicae litterariae Chartophylacium peruestigaſſe, et omnes in ea ſchedas excuſiſſe videri queat.

dum exeunte ſaeculo ſuperiori Societatem ſcrutantium inſtituebat, quae vero in primis itidem ſubſtitit conatibus, vt infra dicemus, vbi de Societatibus eruditorum ſermo erit. Aliter tamen in *manu ſcriptis ad hunc locum praelectionibus* exiſtimat celeb. RICHEY, vtpote qui *an ex hac*, inquit, *Societate ſcrutantium, etiamſi perſtitiſſet, plena aliqua et ordinata hiſtoria litteraria exſpectanda fuiſſet, equidem dubito; quin potius ſelecta quaedam capita a Maio, Kortholto, aliisque ſociis tentata fuiſſe, ex ſpeciminibus, ſiue Actis, a Societate editis, adparet.* Praeter eos variorum conatus occurrunt adhuc et produci hoc loco in ſcenam debent alii, qui Bibliothecas, vel Introductiones in hiſtoriam litterariam vniuerſalem, de qua iam agimus, meditati ſunt. Inter hos referendus eſt RAPHAEL. SAVONAROLAE, Patauini *) ex clericis Regularibus vulgo Theatinis S. Theologiae Profeſſoris, *Orbis litterarius vniuerſus, exhibens materias et ſcriptores in omni ſcientia et arte, hoc eſt, in ſacris Bibliis, Theologia, Iure vniuerſo, Philoſophia, Medicina, Chymia, Chirurgia, Anatome, Matheſi, Aſtronomia, Philologia, Hiſtoria, Coſmographia, Archaeologia, Ethica, Politica, Oeconomia, Dialectica, Rhetorica, Poeſi, Muſica, et reliquis omnibus ſcientiis et liberalibus ac Mechanicis artibus, in genere, ſpecie et indiuiduo, quocunque idiomate ab initio rei litterariae vsque ad praeſens, expreſſis vt plurimum anno, loco et forma editionis, librorum et in eos commentariis, notis caet.*

*) Obſeruat hoc loco COLERVS, ea, quae de Sauonarola, eiusque vaſtiſſimo, quod pollicitus eſt, Opere litterario, adferuntur a Struuio, deſcripta eſſe, vt permulta alia, ex Diario, cui titulus: *ausführlicher Bericht von neuen Büchern*, monetque ſimul, eundem Sauonarolam, ſub nomine transpoſito Alphonſi LASOR a VAREA, duobus Tomis ſuo ſumtu edidiſſe *vniuerſum terrarum orbem calamo delineatum* caet. *Patauii 1711. f.* Prouocat eam in rem ad *Part. XV. p. 216. des neuen Bücher-Saals.* Sed excuſum hoc Opus demum *a. 1713.* vti docetur in *Catalogo Biblioth. Bunav. Tom. I. Vol. 1. p. 731.*

caet. Opus ex mundi totius Bibliothecis concinnatum, ordine indicis generalis materiarum alphabetici diſpoſitum, et Characteribus linguarum Hebraicae, Chaldaicae, Syriacae, Graecae, Arabicae, Perſicae, Armenicae, Germanicae, Aethiopicae, Aegyptiacae, nonnunquam elaboratum: Italis, Gallis, Hiſpanis, Boemis, Pannoniis, Anglis, Belgis, et caeteris exterarum nationum ſcriptoribus plerumque Latino, interdum vernaculo ſermone appoſitis. Viginti annorum interuallo compoſitum eſſe hoc Opus, gloriatur Auctor. Tomus I. ſeu ſola forte Sciagraphia, *Patauii* prodiit *a. 1700. f.* teſte ECCARDO *in den Hannöveriſch. monathl. Auszügen, 1701. menſe Martio p. 78.* Cf. *la Galleria di Minerva T. III.* vbi etiam dicitur, octo illud ipſum conſtare Tomis debere. In *Lexico Eruditor. Menckenio-Ioecheriano, Tomo IV. p. 172.* legimus, quadraginta dicti Operis volumina manu ſcripta adſeruari Patauii in Bibliotheca Theatinorum. Titulus tam ſuperbus de inſtituto, et quid fuerit ſperandum, facile docebit. Quis enim tantis rebus par erit vnquam? Neque tamen, vt addit LILIENTHALIVS, non tam in Syſtematibus hiſtoriae litterariae, quam in Catalogis librorum omnis generis vniuerſalibus ponendum eſſet Opus hocce adfectum. Maiori huc pertinent iure GABRIEL NAVDAEVS et PHILIPP. LABBEVS, qui duumuiri praeſtantiſſimi de vniuerſali Bibliotheca olim cogitarunt. Et Labbeus quidem in *Praefat. ad Tom. I. Diſſert. de Scriptor. eccleſ.* ſequentibus vtitur verbis: *Iam pridem tibi, Chriſtiane Lector, ex antiquis meis Lectionibus depromtam adorno Bibliothecam vniuerſalem Scriptorum omnium, ſiue ſacrorum, ſiue profanorum, in tres partes diſtributam. I) ab orbe condito ad Chriſti domini natalem annum; II) ab eodem Seruatoris noſtri ortu ad MD. aerae Chriſtianae annum; III.) ab eodem MD. anno, ſi Deus votis noſtris annuerit, ad noſtram vsque aetatem.* Ibidem hanc ſuam de Scriptoribus eccleſiaſticis Diſſertationem vocat

cat *vastissimi illius operis breuem particulam*, *a reliquo veluti corpore seiunctam*. Idem Opus a Labbeo passim etiam promittitur in *Noua eius Bibliotheca MStorum*. Et inter initia librorum, quos editioni paratos habuit auctor, *Parisiis apud Claud. Cramoisy a. 1662. in 4.* speciminis instar excusa, referente TEISSERIO in *Catal. Auctorum p. 275.* hic Operis eiusdem titulus legitur: *Bibliotheca Chronologica omnis generis Scriptorum*, *sacrorum et profanorum*, *per saecula mundana*, *Romana*, *Christiana*, *seruato ordine alphabetico*, *eorumque morte*, *cum ea inuestigari potuit*, *charactere Italico designata.* Verum enim vero tantos conatus hi viri, etsi laboriosissimi doctissimique, perficere ante obitum non potuerunt. Debemus hanc obseruationem celeb. RICHEY *praelectionibus manuscriptis*. Cf. IOH. ANDR. BOSII *Introd. in notit. Scriptor. ecclesiast. p. 103. edit. Walchianae*, quo etiam loco memorat Bosius, *Specimen nouae Bibliothecae vniuersalis* dedisse aliquando, et *sacris Bibliothecarum illustrium arcanis*, *siue MStorum theologicorum designationi*, *praefixisse*, simulque difficultatem instituti, et modum conficiendae, ostendisse THEOPHIL. SPIZELIVM. Mentio insuper hic facienda VINCENT. PLACCII, inter cuius relicta ἀνέκδοτα non solum *Adnotationes in Verulamii libros IV. priores de dignit. et augmentis scientiarum* occurrunt, sed refertur etiam *historiae litterariae compendium vniuersale*, *migrationes artium et scientiarum varias summatim exhibens*. Vid. Catalogus operum ab eo edendorum, qui praemissus est *Theatro Anonymor. et Pseudonym.* Denique MEELFÜHRERVS in *Accession. ad Almeloueenii Biblioth. promiss. et latent. p. 65.* spem nobis fecit *Pandectarum litterariarum*, seu Commentariorum de vniuersa re litteraria.

§. XIV.

Sed omnia illa, quae homines doctrina etiam summi tentarunt, ad exitum perducta non fuere, nec

id ſane, ſi rem adcuratiori conſiderauerimus ſtudio, admodum debemus mirari. Tam arduus enim et infinitus labor eſt conatus eiusmodi, vt facilius ſit Atlanti, humeros orbi ſupponere, quam erudito, hiſtoriam adornare litterariam vniuerſalem. Legamus, quae Neander de Pandectis ſuis praedicauerat, quantus labor! Inſpiciamus Prodromum Lambecii, quanta difficultas! Certe vnus homo non ſufficit, ſi vel Geſneri ingenium, Neandri eruditionem, Verulamii ſagacitatem, Lambecii induſtriam, Conringii prudentiam poſſideat. Vix itaque tale opus exſpectandum. Nimis multa enim ad hoc requiruntur ſubſidia atque indicia librorum editorum et ineditorum, exterorum et vernaculorum, deperditorum et exſtantium, publicorum et arcanorum, notorum et ignotorum, documentorum ſingularium, et eiusmodi rerum, quarum vix vni e millibus copia conceditur. Praeter haec ingentibus adhuc defectibus et lacunis antiqua laborat hiſtoria, vt non niſi difficillime ex his monumentis vniuerſale conflari ſyſtema poſſit. Cf. IOH. ALB. FABRICII *Praef. de defectibus hiſt. litt. Prodromo Lambeciano* praemiſſa, quam et collocauit, notulisque illuſtrare ſuis conatus eſt IOH. IVSTVS VON EINEM in ſuccincta *in Bibliothec. hiſt. litter. introd. Magd. 1738. 8. p. 124. ſq.* Hoc interim, noſtra quidem ſententia, expeditiſſimum eſſet conſilium, ſi plures, quodam inter ſe collegio conſtituto, tantae moleſtiae viam ingrederentur. Tales eſſe tamen oportet, qui litterariae rei vnice dediti vel magnis praeſunt Bibliothecis, vel aditum ſaltim ad easdem liberrimum habent. Hi diſtributis inter ſe, pro cuiuscunque ingenio, laboribus negotium ſuſcipiant; his non denegetur cum aliis doctis viris commercium; hi elaborata ſua cenſurae ſingulorum, antequam typographis exhibeantur, ſubiiciant, dirigente omne ſtudium viro quodam, qui ob prudentiam non ſolum, ſed eruditionis quoque

que copiam auctoritate amplissima pollet. Hoc si factum fuerit, vel post decennii spatium vniuersale prodire Opus, idque egregium, posset. Sed vanae hae sunt, in quas incidimus, cogitationes. Vbi enim reperiemus viros, qui mutua id studiorum animorumque coniunctione agerent? Vbi patent semper Bibliothecae, vbi aditus ad eruditos alios, qui inuidentes communi bono arcana, si quae habent, plerumque sibi seruant? Germanis id praecipue crimini dedit exprobrauitque TENTZELIVS *in der curieus. Biblioth. Repositor. I. a. 1704. p. 427.* Quis concederet impensas? Non Principes certe, quum inter arma sileant leges ac Musae; multo minus bibliopolae, qui sumtibus ferendis impares sunt, alias lucri etiam cupidi saltim, quod ad eos tarde admodum esset peruenturum, quum tot volumina emtores bene nummatos requirerent. Optanda igitur res magis est, quam speranda. Haec quidem cogitata fuerunt olim Auctoris, qui praesentis Bibliothecae fundamenta iecit. At merentur iis adiungi, quae hic obseruauit laudatus RICHEY. En! ipsa eiusdem verba: *Consilio eiusmodi ante non est locus, quam de ratione scribendi operis constet. Potest enim historia litteraria vniuersalis duobus modis ab orbe condito deduci, vel chronologico ordine, vel alphabetico. Chronologicum ordinem, quem adfectauit Lambecius, fateor longe difficillimum esse atque intricatissimum. Quamuis enim eiusmodi operis lector indice alphabetico iuuari possit, et pensa etiam laboris inter plures viros doctos per saecula distribui; non desunt tamen rationes, cur dubitem, an talem historiam etiam a multis in societatem coeuntibus, vel post decennii labores (vt ait Struuius) vniuersalem, eandemque egregiam, liceat exspectare. Nam 1) vnumquemque sociorum in omnium gentium historia litteraria oporteret esse versatissimum; 2.) labor omnis ad vnum tandem directorem rediret, qui stili aequalitati consuleret, opus vniuersum*

conne-

connecteret, et editionem curaret; 3) moles operis, quod non compendiarium aut interruptum, ſed plenum et continuum eſſe deberet, in tot volumina excreſceret, vt non typographos tantum fatigaret, ſed bibliopolas pariter ac emtores facile deterreret. Itaque, ſi quid ego iudico, longe commodius tantum opus ordine alphabetico confici poterat, ſed ita, vt per patrias diſpeſceretur. Scilicet, vt ad exemplum Nicolai Antonii, quod in Bibliotheca ſua Hiſpanica praebuit, Germani aliquot, ſocietate inita, Germanicam, Itali Italicam, Galli Gallicam Bibliothecam *) *concinnarent; omnes vero omnium patriarum ſocietates inter ſe conſpirarent, et non ſine mutuo commercio agerent, vt idem operum tenor, eadem methodus, quantum fieri poſſet, ſeruaretur. Tum vero ſingulis illis ſingularum terrarum Bibliothecis ſeu hiſtoriis confectis index aliquis realis ac chronologicus vniuerſalis in totum opus, coniunctim ſpectatum, ſuccincte vel ab vno viro docto adornari poſſet, ſiquidem, vt neceſſum arbitror, ſingulis Bibliothecis indices chronologici ab auctoribus eadem opera iam fuiſſent ſubiecti. Atque ſic tandem plenum hiſtoriae litterariae vniuerſae ſyſtema produceretur, cuius partes variis in locis moderatiori ſumtu imprimendae facilius bibliopolam inuenirent; quippe ſeorſim ac ſigillatim, tamquam plena opera, poſſideri poſſent, ac partium reliquarum coniunctio, ſiue ſyſtematis totius integritas, a ſola emtoris facultate aut arbitrio ſuſpenderetur. Hoc conſilium ſi forte ex rebus extrinſecus circumſtantibus vanum futurum ſit, ſaltim ex ipſa rei ac inſtituti natura non erit impeditum.* Et paullo poſt ita pergit vir clariſſimus: *Si ex noſtro inſtituto moles operis per diſtributionem in patrias aequior facta fuerit, non deerunt etiam, qui partibus ferendis humeros ſupponant. Principum libera-*

*) Legenda hic et in vſus conuertenda MICH. LILIENTHALII *de hiſtoria litteraria certae cuiusdam gentis ſcribenda, conſultatio. Roſtoch. 1710. 8.* in qua ſingulas ſpecies, quae ad hiſtoriam cuiuslibet gentis requiruntur, haud indocte examinat.

beralitas inter arma non omnis emoritur. Gallia praesertim, Anglia et Borussia luculentis loquuntur exemplis. Bibliopolae, quod singuli non possunt, faciunt societate contracta. Qui enim operibus Patrum, thesauris antiquitatum, conciliis, theatris, Lexicis amplissimis, impendere sumtus potuerunt, quidni impenderent etiam operi, emtorem non frustra desideraturo? Sed quae haec sollicitudo de incunabilis, infante nondum nato?

§. XV.

Deficiente igitur vniuersali historiae litterariae Opere, iis vtamur libris, qui introducunt in eandem, huiusque fundamenta et praecipua capita proponunt. Inter hos quidem primus est labor ANTON. POSSEVINI, e Soc. Iesu, patria Mantuani, cuius *Bibliotheca selecta*, in libros XVIII. distributa, quorum aliqui iam separatim prodierant, primum *Romae* excusa *a. 1593. f. in typographia Apostolica Vaticana.* Auctior deinceps prelo exiit *Colon. Agripp. a. 1607. f. Tomis II.* quae editio est praestantissima, at in paucorum hodie manibus versatur. Excellit hic Auctor, iudice LILIENTHALIO *ad h. l.*, rerum grauitate et scriptorum copia, maiori tamen haberetur in pretio, nisi, Iesuitarum more, esset mordacior, et suae tantum religionis eruditos proferret, nostrates contra et Reformatos, de re litteraria optime meritos, damnaret passim, et inique perstringeret. Addit acutissimus RICHEY in *Collegio MSto* nimias ab instituto digressiones, quas in hoc Opere facit, plagii vitium, a non nullis ipsi obiectum, erroresque litterarios saepissime commissos. Cf. CONRINGII *Epist. dedicatoria*, *Animadu. eius in Machiauelli Principem* praefixa *p. 4. sq. edit. Helmst. a. 1686.* 4. Interim plura etiam habet notatu dignissima, et multa ad rationem studiorum, reique litterariae generatim, pertinentia iudicia interponit. Vid. MORHOFII *Polyh. T. I. lib. 1. cap. 16. p. 175. edit.*

edit. nouiſſ. et BVDDEI *Iſagoge ad Theol. vniu. p. 10.* Poſt eum honorifica iniicienda eſt mentio VALENTINI HENR. VOGLERI, Medici olim Helmſtadienſis, omnis encyclopaedias peritiſſimi, ac ſtudioſiſſimi litterarum propagatoris. Edidit is *Helmſt. 1670. in 4. Introductionem vniuerſalem in notitiam cuiuscunque generis bonorum ſcriptorum*, quae breuior licet ſit, nec, pro inſtituti ratione, omnem rem exhauriat, iuſtam tamen rei litterariae delineationem exhibet, maxime poſtquam in altera editione, *a. 1691.* adornata, luculentae HENR. MEIBOMII, iunioris, notae acceſſerunt. Recuſus eſt liber *ibid. 1700. 4.* denuo auctior ſtudio filii, HENR. DIETER. MEIBOMII, *) quam editionem poſtremam fuſe adcurateque recenſet, additis ſimul doctorum virorum de illa ſententiis, aequis omnino, IOH. FABRICIVS *in hiſtor. Biblioth. ſuae, Parte V. p. 395. ſq.* Cf. *Acta Erudit. Lat. 1691. p. 302.* Multa quidem in ipſo Voglero deſiderari, eumque in generali illa ſynopſi non omnio complexum eſſe, quae dici poterant, MORHOFIVS ſcribit *l. c. cap. 16. §. 3.* ſed recte monetur in laudato Lipſienſium Diario non eo auctorem animo compoſuiſſe Opuſculum, vt notitiam omnium ſcriptorum daret, ſed vt oſtenderet potius, qua ratione in eiusmodi cognitionem peruenire poſſint, qui eam expetunt. Sane, quod minus hic occurrit, ſi ad auctores libroſque reſpiciamus, id iudicii copia, cenſendique cura, compenſatur. Maiori deinceps adparatu ſtuduit hoc ſaxum voluere DAN. GEORG. MORHOFIVS, cuius *Polyhiſtor*, iam ſaepiuſcule a nobis adductus, libris duobus, bibliothecario ſcilicet ac methodico, edi coeptus *Lubecae* eſt *a. 1688.* 4. et ex ſcholis publicis priuatisque, quibus Auctor rem bibliothecariam, ſcriptorum notitiam

*) Additiones etiam ad Voglerum olim eſt meditatus VINC. PLACCIVS; ſed nihil earum lucem vidit.

titiam, criticam artem, et alia, expoſuerat, originem habuit. Anno ab obitu eius proximo 1692. *Polyhiſtoris Pars II.* quae videtur librum III eumque grammaticum, conplecti, acceſſit, ibidemque vna cum libris duobus praecedentibus *a. 1695*; ſeorſim autem triennio poſt recuſa eſt. Ab eo tempore partim ex ſchedis Morhofii, partim doctiſſimorum virorum ſupplementis, in politiorem ſubinde formam ac habitum mutatum eſt Opus. Foetum enim hunc, parente orbum ſuo, et ab Henr. Muhlio pariter ac Io. Burch. Maio, qui eius primum curam gerere voluerant, mox relictum, ſuſcepit liberaliter Peireſcius ille Lipſienſis, FRID. BENED. CARPZOVIVS, eundemque vt perfectiorem redderet, cohortatus eſt et excitauit IOH. FRICKIVM, Ordinis Philoſophici in Acad. Lipſienſi tunc Adſeſſorem, poſt Theologum apud Vlmanos celeberrimum. Complura etiam is praeſtitit, quae ad ornandum Morhofium conducere poterant, et libros IV. Tomi I. poſteriores futurae parauit editioni, neque tamen ea ipſa prius exhibita fuit eruditis, donec deuolueretur omne negotium ad IOH. MOLLERVM, ſcholae quondam Flensburgenſis Rectorem, verſatiſſimum in his litteris, ideoque ad curandas has ingenii Morhofiani reliquias prae caeteris idoneum. Ille igitur Tomum I. litterarium perlegit adcurate, omnia a mendis cum typographicis, tum ſcribentium, purgauit, ex Auctoris adnotationibus αὐτογράφοις et MStis aliis ſuppleuit paſſim auxitque, in Paragraphos diſtinxit, librorum IV. poſteriorum capita inſtruxit ſummariis, nonnullisque hypomnematis hiſtorico-criticis illuſtrauit, quae luce indigere videbantur. In Tomis autem II. ac III. efformandis quantum ei laboris fuerit exantlandum, ipſe docet Mollerus in *Praefatione ad eosdem*, §. 3. cuius et conſulantur *Prolegomena*, ipſi ſubiuncta, §. 93. *ſq.* vbi ampla Polyhiſtoris hiſtoria legitur. Ita *a. 1708. Lubecae* inte-

integrum publicatum est Opus Morhofii postumum, quae editio quum non paucis typographi erroribus esset maculata, repetita est aliquantulum correctior *ibid. a. 1714.* sed sine additamento vllo, nisi quod hypomnemata Molleriana, vt lectio fieret commodior, suis statim locis ac paginis subiecta sint. His etiam exemplaribus a bibliopola distractis, *a. 1732. 4. ibidem Polyhistor* ille prodiit non auctior quidem, at *Praefatione* tamen ornatior viri summi, IOH. ALB. FABRICII, *eiusdemque breui notitia alphabetica Ephemeridum litterariarum*, quod argumentum tribus tantum verbis attigerat Morhofius. Denique *a. 1747.* nouam ab eodem bibliopola Lubecensi editionem accepimus, priori simillimam, praeter notitiam Diariorum, quam auxit passim et vsque ad eundem annum continuauit, quamquam non pari semper industria, Clariss. IOH. IOACH. SCHWABIVS. Quid in vnoquoque Tomo contineatur potissimum, indicandum est adhuc paucis. Libros scilicet duos priores, *bibliothecarium* ac *methodicum*, sequuntur liber III. *de excerpendi ratione;* IV. *Grammaticus*, quo recensentur scriptores, qui de diuersis linguis, variisque scripturae modis, egerunt, Lexicographi Graeci, et linguae Latinae auctores, per quatuor illas aetates nemini ignotas; V. liber *scriptores criticos et antiquarios* memorat; VI. *oratorius*, et VII. *poeticus* est. Tomus II. philosophicus inscribitur, potioremque libri I. partem faciunt *scriptores de Philosophia Platonica, Aristotelica, et Scholastica;* liber autem II. ad *Philosophiam naturalem* spectat, et adcuratius concinnatus est reliquis; III. liber de *artibus diuinatoriis et magia;* IV. de *mathematicis*, V. denique de *logicis et metaphysicis scriptoribus*, sed nimia breuitate, differit. Tomus III. practicus est, librisque septem *Philosophiae moralis, Prudentiae ciuilis, rerum oeconomicarum, Historiarum, Theologiae, Iurisprudentiae ac Medicinae scriptores* exhibet; sed non

nisi primas hic cuiusuis disciplinae lineas duxit Auctor, ideoque Tomo illi supplementis opus est quamplurimis. Praelectiones enim Academicae, ex quibus desumtum est quicquid ibi conspicimus, extemporaneae maximam partem fuerunt, eque penu memoriae depromtae, et sic minori elaboratae studio, quam argumenti dignitas, et monumenta litteraria, luci destinata publicae, exigebant. Nihilo tamen minus commendandum est Opus, de cuius praestantia publicus ille et communis plausus, quo toties exceptum fuit, firmissimum perhibet testimonium. Debetur sane Morhofio, ad historiam litterariam nato prorsus factoque, cultura eiusdem feruentior, et quamquam non aequa partes omnes luce perfuderit, ita tamen illustrauit propemodum singula, vt, quae plane intacta reliquerit, paucissima inueniantur. Cf. HEVMANNI *Consp. Rei publ. litt. cap. II.* §. *10. pag. 19. edit. nouiss.* CHRISTIANVS MATTHAEVS KNESEBECK in *Prodromo Iuris publ. vniuers. Rodopoli* (i. e. Rostochii) *a. 1700.* plagulis nouem *in 4.* edito, *pag. 66. Morhofium illustratum*, et his quidem verbis, promisit: *Nam de hisce atque talibus Praetensionum scriptoribus fusius agam in Morhofio illustrato, siue in meo ad Polyhistorem eiusdem commentario, quod vir ille (cuius erudito hospitio, litterarumque commercio me olim vsum esse, in praecipua felicitatis meae parte deputo) tam in Commentario suo de notitia auctorum, ante annos aliquot edito, quam in priuatis praelectionibus MStis, hancce historiae litterariae partem, homini politico maxime necessariam, aut plane omisisse, aut breuiter attigisse videtur.* At labor iste cum fatali Knesebeckii morte interiit, dolendumque id eo magis est, quo certius haud proletaria exinde speranda erant. Simile quid tentauit IOH. GROENINGIVS, qui in *Catalogo Lipsiensium vernali a. 1700.* pollicitus fuerat *Polyhistorem bibliothecarium, siue thesauri Polyhistorico-legalis librum I. ea methodo adornatum, vt*

simul

ſimul vice ſupplementi in Morhofii Polyhiſtorem commode eſſe queat. Imo et plane *Faſtos rei litterariae*, ſeu *continuationem Polyhiſtoris Morhofiani vniuerſi* ab ſe iuſſit exſpectari, quo conſilio *Hamb. a. 1702. in 8.* prodire coeperunt *Relationes Rei publicae litterariae, ſeu apparatus ad hiſtoriam ſcientiarum, et artium, exhibens notitiam vniuerſalem celebriorum auctorum, epiſtolas, diplomata, et obſeruationes, maxime antiquarias, et phyſico-mathematicas, cum figuris aeneis, ſingulari methodo ac inſtituto, vt ſimul vice ſupplementi in D. G. Morhofii Polyhiſtorem litterarium eſſe queat.* Iuuabit, vt Clar. RICHEY *ad h. l.* verbis vtamur, Groeningium ipſum in Praefatione de inſtituto ſuo loquentem audire, vt intelligatur etiam viri ambitio, qua ſperare auſus eſt, ipſo Morhofio ſe copioſiorem et lectoribus gratiorem eſſe futurum. *Promiſi*, inquit, *iam ante biennium in Catalogo Lipſienſi Faſtos rei litterariae, ſeu Continuationem Polyhiſtoris Morhofiani. Quo ipſo neceſſitas quaedam mihi impoſita, datam fidem ſpecimine quodam liberare. Verum ne varietate et multitudine rerum, quod aliis accidit, forte obruar, rectius me facturum credidi, ſi omnia in compendium contraherem, et primo quidem Relationes ſeu apparatum diuerſis tomis, ſtatisque temporibus, diuulgarem, et ex eo poſtea hiſtoriam ipſam, in breui quaſi tabula pictam, (quae ad Relationes iſtas perpetuo ſe referet, tamquam Referens ad Relatum) methodo ſtiloque hiſtorico deſcriberem. Reduxi inde ſingula argumenta ad certa capita, et methodo conſpicua ita digeſſi, vt ſtatim vno intuitu legentium oculis occurrant, et ſimul vice ſupplementi in Morhofii Polyhiſtorem litterarium inſeruiant. Cuius tamen enarratio arctior eſt, noſtra laxior. Illa ſcientias tantum reſpicit, haec vero et artes. Noſtra quoque vberius contenta auctorum recenſet, ſimulque epiſtolas et obſeruationes rariores cum inuentis phyſico-mathematicis exhibet; atque ſic, ni fallor, magis Lectori ſe commendat varietate, vtilitate et nouitate re-*

rum: quem Oceanum omnes huc vsque transmiſerunt, et nemo littus legit. Sed deſiit in piſcem mulier formoſa ſuperne; recteque de his Relationibus MOLLERVS iudicat in *Prolegomenis ad Morhofium* §. *97. p. 77.* vbi easdem dicit exiguo ſelectu congeſtas, ac in plerisque ſcientiis nihil noui in medium adferentes, ſed ab aliis dudum occupata, et ne quidem plene ſatis aut adcurate, iterantes. Imo ipſum Groeningium, quantum ad ingenium, iudicium, ſtili nitorem et eruditionem variam atque elegantiam, Morhofio longe credit eſſe inferiorem.

§. XVI.

Iſti quidem ſcriptores ad aetatem ſuperiorem pertinent. Recenſebimus nunc eos, qui hoc noſtro ſaeculo, quid humeri valerent in re litteraria, experti ſunt. Statim *a. 1702. Dresdae in 8.* lucem adſpexit CASPAR. GOTTSCHLINGII *Einleitung zur Wiſſenſchaft guter und meiſtens neuer Bücher.* Verum libellus eſt vulgaris, in quo nec diſpoſitio librorum adcurata, nec ſelectus obſeruatur, ita, vt parum vtilis ſit labor, titulus licet totius ſcripti nil niſi magnifica promittat. Aegre hoc olim iudicium tulit Auctor, et in Praefatione ſecundae editionis, quam *ibidem a. 1713. 8.* perfectiorem dedit, hanc eluere maculam adniſus eſt. An vero recte ſe habeant, quae *hoc loco* aeque ac in libro ipſo *p. 282.* adfirmat, multa nimirum ex introductione ſua exſcripſiſſe Struuium, viderint alii. Morhofio duce ipſe ille STRVVIVS *Ienae a. 1704.* primum diuulgauit *Introductionem in notitiam rei litterariae et vſum Bibliothecarum*, in qua aliquot hiſtoriae litterariae capita, ſcriptoresque praecipuos, breuiter recenſuit. De hoc tamen libro multa hic dicere nihil attinet, quum in Praefatione noua, huic editioni praemiſſa, eius iam hiſtoriam, et quae noſtra ſit de ipſo ſententia, expoſuerimus. Accedimus igitur ad

IACOB. FRIDER. REIMMANNVM, ſacrorum quondam Hildeſienſium Antiſtitem, cuius Opus iam ſaepius a nobis adductum, *Verſuch einer Einleitung in die hiſtoriam litterariam ſo wohl insgemein, als auch in die hiſtoriam litterariam derer Teutſchen inſonderheit, Halae Magd. a. 1708. ſq. Tomis VI. in 8.* prodiit. Multa praefatur Auctor de defectu introductionum in hiſtoriam litterariam, ac proinde ſe primum perhibet, qui in hoc ſtudiorum genere ingenii vires tentauerit. Verum, vt fateamur quod res eſt, mediocris eſt *Pars I. generalis*, nihilque in hac praeſtitit, quod non ab aliis iam dudum ſit ſcriptum, imo eorum non nunquam ſequutus errores eſt, nouosque adiecit, notatus ideo a IOH. MOLLERO *in dem ausführlich. Bericht von allerhand neuen Büchern P. VII. p. 690. ſq.* vbi ampla eiusdem *Epiſtola apologetica contra Reimmannum* exſtat, continens, praeter alia, ſpeciminis loco centuriam errorum in Introductione generali obuiorum. Methodum Franc. Baconi de Verulamio debet, ita, vt *Sect. I. de hiſtoria litteraria generatim, Sect. II. de fine illius*, ac *Sect. III. de mediis ad eandem perueniendi* agat. Vbique alias oſtendit, quae adhuc in hiſtoria litteraria deficiant, et ſub finem huius libri *p. 477.* facili ſe negotio integrum de libris deſideratis catalogum conficere, exemploque Speneri, cuius pia proſtant deſideria theologica, piis etiam deſideriis in hiſtoria litteraria iuſtum implere volumen poſſe contendit; at praeter neceſſitatem ſaepe aliquid deſiderat Auctor, vnde MICH. RICHEY V. C. *Programma* edidit *Stadae 1709. 4. de eo, quod nimium videtur in Iac. Frid. Reimmanni piis deſideriis hiſtoriae litterariae*, ad quae pauca reſpondit in *Tomo V. Operis ſui p. 788.* Generalia haec excepit *Verſuch einer Einleitung in die hiſtoriam litterariam derer Teutſchen I. und II. Theil. Halae Magd. 1709. Prima Pars* eruditionis atque eruditorum hiſtoriam apud Germanos a Chriſto nato vsque ad

ad Caroli M. aeuum, altera eandem hiſtoriam ab hoc Imperatore ad inuentam vsque typographiam complectitur, et praeter hiſtoriam generalem ſtatum etiam progreſſumque eruditionis circa diuerſas diſciplinas, hiſtoriae in primis ac iurisprudentiae Germanorum, exponit. In Praefatione contra Io. Mollerum et alios diſputat, eorumque labefactare iudicia ſtudet. Reliqui Tomi hiſtoriam litterariam Germanorum nouam ab inuenta arte typographica ad noſtram vsque aetatem exhibent, *Partem*que III. conſtituunt, quae in *quatuor capita* diuiſa eſt. Et *primum* quidem *eodem anno* lucem adſpexit, hiſtoriamque Theologiae theticae, polemicae, exegeticae, moralis et aſceticae, Philoſophiae generatim, et Grammatiſticae, Gymnaſticae, Muſicae, Graphicae ſpeciatim, item Grammaticae, Rhetoricae, Logicae, Poeſeos et Phyſicae pertractat. *Caput alterum*, quod *a. 1710.* excuſum eſt, de hiſtoria Metaphyſicae et Matheſeos cum generatim, tum Arithmeticae, Geometriae, Muſicae, Opticae, Aſtronomiae, Meteorologicae et Apoteleſmaticae, Chronologiae, Geographiae et Mechanicae ſpeciatim, pariterque Philoſophiae moralis agit. Praefatio, copioſa ſatis et acerba, ad Mollerum tota pertinet, eiusque Homonymoſcopiam acriter examinat. *) *Caput tertium* itidem foras datum eſt *a. 1710.* Legitur in eo hiſtoria Politicae et Hiſtoriae tam vniuerſalis, quam, ſigillatim, Hiſtoriae ciuilis, et, quae arcta eam cognatione attingunt, Chronologiae, Geographiae, Gene-

*) En! breuem belli huius litterarii hiſtoriam: MOLLERVS in *Praefat. ad Tom. II. Polyhiſt. Morhof. §. X. pag. 13.* REIMMANNI *critiſirenden Geſchichts-Calender von der Logica* vt ſcriptum titulo *ridiculo* atque *abſono* inſignitum notauerat. Quod iudicium quum concoquere non poſſet Reimmannus, in *Introductione in hiſtor. litterar. generali p. 126. ſq.* idem in MOLLERI reiiciebat *Homonymoſcopiam*, variosque in illa errores indicabat. Tum *Epiſtola* Molleri *apologetica* in *dem ausführl. Bericht*

Genealogiae, Heraldicae, Numiſmaticae, et Antiquitatum, nec non Hiſtoriae eccleſiaſticae, litterariae ac naturalis. Riuos claudit *Caput quartum*, *an. 1713.* typis impreſſum, quod hiſtoriam Iuris naturalis atque ciuilis, et Romani, et Germanici, Iuris feudalis, publici ac eccleſiaſtici, item hiſtoriam Medicinae generalis, tum ſpeciatim Arabicae, Graecae, Paracelſiſticae, Diplomatico-Hermeticae, Iatro-Mathematicae, Mechanicae, Eclecticae, Scepticae et Empiricae, hiſtoriam Anatomiae, Phyſiologiae, Pathologiae, Semeioticae, Therapeuticae, Pharmaceuticae, Chirurgiae ac Diaeteticae complectitur. In hoc argumento admiratur Auctoris ingenium ac diligentiam CHR. GVIL. KESTNERVS in *Bibliotb. medica ſelecta*, *c. l.* §. *20. p. 25.* Eodem etiam anno adiunxit Reimmannus Adpendicem triplicem ad Opus hoc litterarium, in qua occurrit *1.) Compendium illius concinnum*, *cum indice vniuerſali*, *2.) Hiſtoria litteraria antediluuiana*, *Halae 1709.* edita, *3.) Specimen criticum, quo Dictionarium Baelianum ſub examen vocatur*, *ibid. 1711.* euulgatum. Maiori omnino induſtria, meliorique adparatu, quam Introductio generalis, compoſita eſt haec Germanorum hiſtoria litteraria, ea ſub vno quaſi adſpectu ponens, quae diſperſa apud tot ſcriptores inueniuntur. Nec tamen negari poteſt, multa hinc inde vel emendari debere, vel ſuppleri, imo gratiora fore omnia, ſi modeſtius non nunquam de ſe dixiſſet Auctor, ſi de aliis quibusdam mitiorem pronuntiaſſet ſententiam, iuſtaeque admonitionis fuiſſet patientior. Sunt etiam, quibus Socratica methodus, ſeu Catechetica diſplicet;

Bericht von neuen Büchern prodiit, vt iam ſupra memorauimus, quam excepit tandem Praefatio illa Reimmanniana, plena irarum calidaeque rixae. Infelices homines, qui aliorum ferre diſſenſum nequeunt! At infeliciſſimos eos, qui ordini ſacro adſcripti, tument ſuperbia, ſtatimque maledicunt ac turbas concitant, ſi alteri vel vnum exciderit verbum, ipſis non honorificum!

cet; at rationem de hoc inſtituto ipſe reddit REIMMANNVS in *Praefat. Tomo II. Operis litterarii* praemiſſa. *Anno 1709. Roſtochii in 4.* edidit CAROLVS ARNDIVS *rudem delineationem Syſtematis ſelecti ſcientiae litterariae, et quidem hiſtorico-pragmatici, vſibus theologicis et philoſophicis inſtructi.* Cf. LILIENTHALII *Conſultat. de hiſtor. litt. certae gentis ſcribenda p. 40. ſq.* vbi legere poſſunt argumenta ſingula, quibus Auctoris Opuſculum ad manus non eſt. Sed vix prelo excuſa erat delineatio illa, quum in Diario Halenſi, *Neue Bibliothec* inſcripto, *T. I. P. 2. p. 135. ſq.* verbis admodum aculeatis perſtringeretur. Defendere quidem ſeſe conatus eſt Arndius contra rigidam hanc cenſuram diuulgato *a. 1710.* ſcripto, cui titulus: *Abgenöthigte Antwort auf die unverſchämte grobe und ungegründete critique des Autoris anonymi der neuen Bibliothec über die rudem delineationem Syſtematis litterarii*, ſed reſponſum tulit in *eodem Tomo, p. 405. ſq.* quo loco non ſtilus ſolum Arndianus exagitatur, ſed prior etiam ſententia de promiſſo illo Syſtemate confirmatur. Imo GVIL. TVRCKIVS, vnus ex auctoribus huius Diarii, *ibidem p. 412. ſq. Epiſtolium*, vt vocat, *dulciſſimum*, ad Arndium ſubiecit Latina lingua, in quo illius coecitatem, ac rei litterariae ignorantiam oratione incitata, plenaque ſcommatibus, omnium ante oculos ponere ſtuduit. Inuictus tamen aduerſus ea, quae terrere caeteros, calamumque de manibus excutere poterant, Arndius edidit ipſum *Syſtema litterarium, idque hiſtorico-pragmaticum Lipſ. et Roſtoch. 1714. 4. Tres* tantum *Sectiones* hic exhibentur quarum *prima ad ipſam ſcientiam manuductionem quandam* complectitur, *altera Catalogum doctorum virorum*, iuxta ſaecula confectum, expromit, *tertia* vero *hiſtoriam Religionum* breuiſſimo compendio enarrat. Reliquae Sectiones decem lucem non viderunt, nec dolent id eruditi, quum ſpecimen hoc vulgare ſit atque ieiunum. Quodſi quaeras, qui-

bus

bus inſtructus ſubſidiis tantum Opus moliri coeperit, ipſe non poteſt diffiteri Auctor, ſibi curtam admodum ſupellectilem fuiſſe, tum pro conditione loci, vbi viuat, nimis remoti ab illis locis, vnde ſubſidia rariora petenda; tum pro conditione bibliopoliorum eiusdem loci, ſufficienti ad praeſens Opus adparatu deſtitutorum; tum pro conditione Bibliothecarum eiusdem loci, et priuatarum et publicarum, pauciſſimis Scriptoribus ad Syſtema hoc ſpectantibus repletarum; tum denique pro conditione ipſius auctoris propriae Bibliothecae, nondum exoptatis omnibus refertae ſcriptoribus, ad praeſens exornandum farciendumque Syſtema conducentibus. Haec ipſe Arndius; vnde facile patet, eum non ſatisfeciſſe exſpectationi orbis litterati. Cf. *Neuer Schauplatz der gelehrt. Welt, Lipſ. 1714. 8. Parte III. art. 2. Journal des Savans 1717. m. Febr. art. 1. Memoires de Trevoux 1718. m. Octobr. art. 4.* et REIMMANNI *Catal. Biblioth. ſuae T. II. p. 122. ſq.* Qui *a. 1715. Vltraiecti forma* 8. in publicum prodiit IOH. GE. GRAEVII *cohors Muſarum, ſiue rei litterariae hiſtoria*, ea plane hic locum non meretur, tam puerilia et abſurda ſunt omnia. LVDOLPH. KVSTERVM plurimi verum credunt auctorem, qui haec ad vſum priuatum congeſſiſſe videtur, ideoque famae illius editor conſuluit peſſime. Recte enim cenſent *Acta Erudit. Lat. a. 1716. p. 524.* quaeuis propoſita eſſe turbatim, vt nullius temporis, nec vllius rerum connexionis ratio ſit habita, ſiue auctorum, ſiue librorum, aliorumque argumentorum notitiam reſpiciamus; praeter haec non omiſſa ſolum, quae maxime neceſſaria erant, ſed craſſiſſimis etiam totum librum oppletum eſſe erroribus. Eo magis igitur miramur, praefixum eidem celeberrimi Graeuii nomen fuiſſe, quod tam aegre tulit olim PETR. BVRMANNVS, vt in *Praefat. Orationib. Graeuianis L. B. a. 1717. 8. mai.* praemiſſa ſequentia ei verba exciderint: *Vtinam vero eadem religio*

Grae-

Graeuiani nominis et famae tenebrioni cuidam, et ſtolidisſimo ludi magiſtro, fuiſſet, qui nuper ſtultitiam ſuam, quae ſolis adhuc diſcipulis et pueris erat notiſſima, publico riſui expoſuit, dum ſub inepto et nihil ſignificante indice cohortis Muſarum *paedagogici ingenii foetum produxit, et tam inepto libro Graeuii nomen inſcripſit* caet. Melioris formae partus eſt venerabilis Ienenſium Theologi, IOH. GE. WALCHII Opuſculum *Lipſ. a. 1718. 8.* hoc excuſum titulo: *Entwurf der allgemeinen Gelehrſamkeit und Klugheit zu ſtudiren.* Tribus libris omnis abſoluitur tractatio, primusque *de eruditione ac ſtudiis generatim*, alter *de litteris humanioribus*, tertius autem *de Philoſophia* lemmata breuiora exhibet, quae ſubiectis obſeruationibus illuſtrantur. Vid. *Acta Erud. Lat. a. 1718. pag. 561.* Tam pulchra haec ſunt, quae praelectionum Academicarum cauſſa celeb. Auctor adumbrauit vnice, vt, cuius iam pridem ſpes facta eſt, nouam editionem, acceſſionibus vberioribus locupletatam, vehementer exſpectent Walchianae Muſae cultores. Eodem anno bini adhuc viri doctisſimi his de ſtudiis optime promeriti ſunt, GOTTLIEB nimirum STOLLIVS, et CHRISTOPH. AVG. HEVMANNVS, alter Ienenſis quondam, alter Gottingenſis Academiae etiamnunc lumen et ornamentum. Nemo ignorat Stollii *Introductionem in hiſtoriam eruditionis*, Germanica conſcriptam lingua, editamque primum *Halae Magd. in 8.* deinde *Ienae a. 1724* multis ſupplementis hic illic inſertis, tum *ibid. a. 1727.* emendatius modo, non auctius, ac poſtremo *a. 1736. eodem loco in 4.* recuſam, quae editio eſt praeſtantiſſima. Acceſſerunt ſeparatim *Additamenta et correctiones*, ita diſpoſitae, vt ab iis quoque ſine incommodo adhiberi queant, qui ſecundam tantum tertiamue editionem poſſident. Exteris etiam, linguae noſtrae ignaris, ne inutilis eſſet Stollianus labor, clariſſimus vir, CAROL. HENR. LANGE, iam Lubecenſis Gymnaſii Conrector, ver-

versionem Latinam dextre adornauit, *Ienae* foras datam *a. 1728. in 4.* Auctor methodum elegit syntheticam, tribusque Partibus cum Philologiae, tum Philosophiae omnis, historiam felici successu exposuit. Merito igitur rei litterariae studiosis commendandum est Opus, vtpote eleganter, concinne, interspersisque iudiciis singularibus, conscriptum, non omnia licet pari sedulitate elaborata sint. Optat REIMMANNVS in *Catal. Biblioth. suae T. II. p. 117.* vt capita quaelibet ea arte et mentis acumine essent expolita, qua id, quod agit de Poësi. Hoc enim ex omnibus nitidissimum dicit, et gemmam quasi in aureo isto annulo. Nec aliter sentit HEVMANNVS in *Consp. Reipubl. litt. cap. II. §. 2.* his quidem verbis: *Mihi quum maxime laude digna videatur ista historia litteraria, tamen singula capita inter se comparanti visa est historia Poëseos supremum laudis tenere locum, historia Criticae vltimum.* De eiusdem *historia Theologiae, Iurisprudentiae et Medicinae litteraria* infra dicendi occasio erit. Iam ad hunc ipsum, cuius modo titulum nominauimus, accedendum est Heumanni libellum. Primum is prodiit *Hannouerae a. 1718.* 8. *Altera editio*, a priori non diuersa *a. 1726.* sequuta est, *tertia* pariter ac *quarta*, passim adaucta, *a. 1732. et 1735. quinta* denique *a. 1746. ibidem*, nouis ornata accessionibus. Abiecte quidem de hoc Opusculo, mira venustate praestabili, CAMVSATVS differit in *Iudiciis de Germanis quibusdam historiae litterariae conditoribus*, quae *Ciacconianae Bibliothecae* praemissa sunt, *pag. 24*; sed aliter haud dubie, vt ibidem iam Celeb. KAPPIVS monuit, iudicasset vir doctus, si recentiores ipsi adspicere editiones licuisset. Rectius igitur sentiunt eruditi Parisienses, qui in Diario suo, *Journal des Savans* dicto, *m. Aug. a. 1719.* adplaudunt Auctori, candideque mirantur, qui fieri potuerit, vt tot bonae frugis obseruationes tam angustis exiguisque finibus includeret.

Vid.

Vid. *Leipz. gel. Zeit. a. 1719. p. 608.* *Septem* ſunt libelli, methodo analytica compoſiti, *Capita.* Primo quidem *de natura et partibus hiſtoriae litterariae*; altero *de ſcriptoribus hiſtoriae litterariae vniuerſalis*; tertio *de arte ſcribendi*; quarto, quod omnibus reliquis palmam praeripit, *de ortu et progreſſu ſtudiorum litterariorum vsque ad hanc noſtram aetatem*; quinto *de fatis diſciplinarum, ſiue de earum origine et incrementis*; ſexto *de notitia librorum*; vltimo denique *de notitia auctorum* concinne agitur. Cf. tamen *die critiſche Bibliothec,* quod nuper Diarium *Lipſiae* inceptum, *P. V. pag. 393. ſq.*, quo loco quin omnia probent aequi iudices, merito dubitamus. Ampliſſimos commentarios in Compendium iſthoc Academicum, ex NIC. HIERON. GVNDLINGII praelectionibus germanicis congeſtos, *Frf. et Lipſ. a. 1734. ſq. Tomis V. in 4.* edidit CHRIST. FRID. HEMPELIVS, quos excepit *ibid. an. 1746. eademque forma die fortgeſetzte Hiſtorie der Gelahrheit.* Certum eſt, Gundlingium vti in plurimis diſciplinis, ſic in hiſtoria etiam litteraria longe verſatiſſimum fuiſſe, cuius *Sciagraphia hiſtoriae litterariae*, *Halae 1703. 8.* lingua Germanica excuſa, non obſcure indicat, quantum praeſtare potuiſſet, ſi ea, quae in ſcholis ſuis expoſuerat, ipſi placuiſſet ad communem eruditorum vtilitatem producere. In his autem, quae Hempelius, renuentibus Muſis, emiſit, vbique fere ſummi viri ingenium deſideratur. Omnia corraſit editor, vt Operis moles creſceret, eoque conſilio ex libris vulgo cognitis ac ſemper obuiis, e. g. *Nouis litterariis Lipſienſibus*, integras ſaepe paginas deſcripſit ſine iudicio. Hinc, interrupto paſſim rerum ordine, multa hic falſa memorantur, multa ſuperuacua, vt infinitos typographorum errores, miramque editoris orthographiam, et interpungendi rationem, ſilentio praetereamus. Vno verbo: nihil laudandum videtur, praeter *vitam Gundlingii* Tomo V. adiectam, in qua merita illius et ſcripta haud

haud inepte recenſentur. Quum igitur Opus hoc poſt fata Gundlingii imprudenter conſarcinatum ſit, parcere cineribus illius merito debeat, quicunque ſub SINCERI HOLLANDI nomine in *Miſcell. obſeruat. criticis in auct. veter. et recent. Vol. V. Part. 3. p. 129. ſq.* Epiſtolam ad Editores dictarum obſeruationum dedit. Cf. *Leipz. gelehrt. Zeit. a. 1735. p. 571.* Proſtant etiam STOLLII *Obſeruationes in Heumanni Conſpect. Reipubl. litterar. Ienae a. 1738. in 8.* typis impreſſae lingua vernacula, quas qui acuto perluſtrauit oculo, in eam forte nobiscum opinionem diſcedet, Auctorem non amplificaſſe hoc ipſo libro gloriam, aliis olim ingenii monumentis partam. Interim inſeruire poteſt tironibus. *Ibid. a. 1728. octaua forma* editus a MARTINO SCHMEIZELIO, Salanae tunc temporis, poſt Halenſis Academiae Profeſſore meritiſſimo, *Verſuch zu einer Hiſtorie der Gelahrheit*, qui liber pro pleno quidem iuſtoque hiſtoriae litterariae ſyſtemate haberi nequit, quin potius neruoſam et egregiam ad encyclopaediae ſtudium introductionem, optimis regulis, doctisque obſeruationibus refertam, exhibet. Quum tamen omnium artium diſciplinarumque, ad quas introducit, origines, fata, incrementa caet. ſuccincte eruditeque delineet: potiſſimam vtique nobiliſſimamque hiſtoriae litterariae partem tradit, atque vel hoc nomine inter Compendia de hiſtoria litteraria vniuerſali commendari laudarique meretur. Cf. HEVMANNI *Conſp. Rei publ. litt. Cap. II. §. 17.* vbi ſic ſcribit vir reuerendus: *Schmeizelius in vniuerſum contemplatus eruditionem, commentatusque de natura, fontibus, vſibus et abuſibus, cauſſis, gradibus, et adiumentis eruditionis, tum demum ſingulas diſciplinas perſequitur pragmatice, adiuncto Catalogo meliorum de ſingulis librorum, optime merens non ſolum de Gymnaſiorum ſtudioſis, quibus in titulo ſuam dicat operam, ſed de omnibus, ſapienter ac prudenter tractaturis litteras. Quamquam, vt verum fatear, maiori*

iure hic liber inſcriptus fuiſſet Introductio in eruditionem, quam Hiſtoria litteraria: *id quod vel ex vltimo eius capite apparet.* His accedat IOH. FRID. BERTRAM, a quo accepimus *Anfangs-Lehren zur Hiſtorie der Gelehrſamkeit, Brunſuigae 1730. in 8.* Auctor ex fontibus Heumannianis ſuos paſſim hortulos irrigauit, ipſe praeſtitit parum, adeoque libellus ad ſolas inferioris ordinis ſcholas ablegandus, quibus etiam conſecratus vnice fuit. Quid exſpectandum ſit a IOH. ANDR. FABRICIO, viro clariſſimo, qui *Sciagraphiam hiſtoriae litterariae vniuerſalis*, Germanice exaratam, ac *Tomis III. in forma octaua* edendam, librariis nuper obtulerat, fuſius docetur in *der critiſchen Bibliothec, P. V. p. 385. ſq.* Poſtea *Lipſ. a. 1752. in 8. mai.* prodierunt *Tomi II.* huius Operis, *Abriß einer allgemeinen Hiſtorie der Gelehrſamkeit* inſcripti, ex quo ſingularem Auctoris diligentiam obſeruare licet. Cf. *die zuverläſſigen Nachrichten P. CLVII. p. 36. ſq.*

§. XVII.

Facit huc quoque *Bibliographia hiſtorico-politico-philologico-curioſa, quid in quouis ſcriptore laudem cenſuramque mereatur, exhibens, cui praefixa celeberrimi cuiusdam viri de ſtudio politico bene inſtituendo diſſertatio epiſtolica poſtuma. Germanopoli a. 1677. in 8.* ſeu *Francofurti ad Moenum* potius, editore, vt creditur vulgo, SAM. SCHOTTELIO, Poëſos tum in Acad. Argentoratenſi Profeſſore. Ipſa haec Bibliographia, *anno 1696.* nec emendatior, nec comtior, recuſa, vna cum praemiſſa epiſtolica Diſſertatione, docta profecto et ſtudioſe legenda, ac proinde merito in *Vol. III. Diſſertationum Boeclerianarum p. 341. ſq.* typis repetita, ſine dubio BOECLERI eſt, qui eandem in calamum auditoribus dedit. Idem ex ſtili conuenientia, conſueta ipſi proponendi ratione, aliisque indiciis euincit IOH. FECHTIVS in *Praef. iſagogica ad Boecleri hiſtor. IV.*

ſtor. IV. poſt Chr. nat. ſaeculor. p. 14. Exhibet non ſolum rei litterariae diſpoſitionem, ſed ſelectum etiam ſcriptorum docet, additis hinc inde breuibus iudiciis. Verum labores iſti licet non ſine vtilitate ſint, nec ita comparati tamen, vt Boeclerus edi eosdem voluiſſet. Accedit, librum ex tam deprauato MSto eſſe in lucem prolatum, vt nomina praeſertim propria plerumque ſint corrupta. Nihilo minus propter multa iudicia, quae acumen et grauitatem Boecleri ſapiunt, omnino aeſtimandus eſt, monente MEIBOMIO in *Addition. ad Vogleri Introductionem p. 193.* paulloque copioſius laudato FECHTIO *l. c.* vbi, poſtquam ſcripſerat, nonnunquam nec nomina auctorum recte expreſſa, nec in rebus ipſis eum, qui excepit, docentis ſenſum ſemper adſequutum eſſe, quandoque mendoſam comparere transpoſitionem, aut aliquid, quod neceſſarium fuerat, omitti, ita pergit: *ſed hi defectus tanti non ſunt, quin caeterorum inaeſtimabili vtilitate compenſentur. Nec enim quicquam ſimile in hoc Bibliographiae genere, quodque maioris vſus eſſet, vllibi occurrit. Non poſſunt viri πολυμαθῆς hoc libro carere. Et ne ex qualibuscunque naeuis aliqua ad Boeclerum macula rediret, nomen viri non expreſſit editor: cui de caetero ob hoc bene de re litteraria merendi ſtudium, quicquid dicant, qui aliter ſentiunt, multum debent vniuerſi.* Rigidior cenſor eſt IOH. MOLLERVS *in Homonymoſcopia p. 16. Boecleri,* ait, *Bibliographia ἀνονύμως publicata, ex Voſſio et aliis maximam ſui partem verbotenus eſt compilata, mendoſiſſima inſuper, et paucis admodum auri ramentis, ex ſtercore colligendis, Lectori ſe commendans.* Non deterrere tamen haec poterant viros quosdam doctiſſimos a noua libri editione adornanda. Meditati ſcilicet eandem ſunt IOH. HENR. FELZIVS, ICtus Argentoratenſis, et Boecleri ex filia nepos; IOH. FRIDERIC. PFEFFINGERVS, et HIERON. AVG. GROSCHVFFIVS, a quo multa ſperare praeclare licuiſſet, niſi in flore

 aeta-

aetatis rebus humanis eſſet ereptus. Add. REIMMANNI *Cat. Bibl. ſuae*, *T. II. p. 491.* Sed relictus erat partus hic poſtumus curae IOH. GOTTLIEB KRAVSII, cui nouiſſimam, eandemque optimam, debemus editionem *Lipſienſem*, *a. 1715. in 8.* hac inſcriptione prolatam: *Ioh. Henr. Boecleri Bibliographia critica*, *ſcriptores omnium artium atque ſcientiarum percenſens*, *nunc demum integra et emendatius edita*, *acceſſionibusque ex reliquis ſcriptis Boeclerianis aucta. Recenſuit Ioh. Gottl. Krauſe*, *qui etiam Praefationem*, *animaduerſiones et indices adiecit.* Quid praeſtiterit editor hiſtoriae litterariae peritiſſimus, partim ipſe docet in Praefatione ſatis ampla, partim *Acta Erud. Lat.* referunt *a. 1715. p. 543. ſq.* vbi inter alia recte iudicatur, ſi cum antecedentibus conferatur recens haec editio, eam nouam plane, et nunc denique vere ingenuum tanti parentis foetum poſſe videri. Add. tamen *die Neue Hälliſche Biblioth. T. V. p. 292. ſq.* Ipſe Krauſius in Praefatione integrum et perfectius Opus bibliographicum ex ſcriniis ſuis promittit, quae certe opera nobilior erat futura lucubrationibus iſtis, quas in Boeclerum expoliendum impenderat; ſed mors obſtitit conatibus viri, cuius memoriam nulla vnquam obſcuratura eſt obliuio. Acceſſerat binis prioribus Bibliographiae editionibus *Bibliotheca politica contracta*, *hoc eſt*, *recenſus et iudicia de ſcriptoribus politicis*, *et ad politicam pertinentibus*, *in primis autem hiſtoricis.* Verum hunc tractatum non Boecleri, ſed IO. ANDR. BOSII eſſe, plane nullum reſtat dubium. Statim enim ac Bibliotheca iſta contracta, prout ex Boſii ore excepta calamo fuerat, ſed admodum deprauata, prodiret, mouebatur Boſiana vidua, vt hunc beati mariti laborem ex autographo emendatiorem atque auctiorem edendum curaret, opera ad id vſa GEORGII SCHVBARTI, qui Opuſculo, *Ienae 1678. in 4.* diuulgato, titulum fecit *diatribae hiſtoricae de prudentia et eloquentia*

tia ciuili comparanda. Inde a THOMA CRENIO insertum est *Tomo II. Collectionis de Philologia et studiis liberalis doctrinae*, variis insimul adnotationibus illustratum. *) Denique cura Schubarti repetitum typis est, adiectisque non nullis locupletatum, *Ienae 1698. in 4.* IOHANNES quidem FECHTIVS in *Praefat. ad Boecleri histor. saeculor. IV. priorum*, re non pensitata satis, Boeclero etiam hunc adscribere foetum conatur, quem male sequitur CAROL. ARNDIVS in *Biblioth. Politico-Heraldica p. 33.* Sed maior fides habenda Schubarto, discipulo quondam Bosii, editorique et curatori vti plurium scriptorum Bosianorum, sic huius ipsius quoque lucubrationis. Legatur Praefatio priori secundaeque editioni praemissa, et res omnis patebit. Ipsi STRVVIO Bosianum videre MStum contigit. Superfuerunt praeterea tot discipuli, qui Bosium haec in calamum dictantem audiuerunt. Imo quis tantae apud Ienenses audaciae fuisset, vt huic tribueret viro, quae ad eum plane non pertinebant? Schubartus profecto sub eius nomine non edidisset libellum, et Bosius aliunde famam nactus est, si vel hoc scriptum non exstaret. Certum igitur, nec vocari amplius in controuersiam debet, Bibliothecam politicam contractam, ac Diatriben de comparanda prudentia ciuili, non nisi titulo atque emendatione differre. Cf. STRVVIVS in *Praef. de formandis studior. scriptor. Guarini libello praefixa de ordine docendi ac studendi p. 23. et 24.* itemque KRAVSIVS in *Praef. ad Bibliogr. Boecler. pagina*, si numeres, *32. sq* Is ea de caussa nec Bibliothecae politicae contractae, vero quippe restitutae auctori, in Bibliographia Boecleri locum concessit,

 nec

*) Sequutus est Crenius hanc ipsam editionem Ienensem, et Praefationem quoque, a Schubarto ἀνονύμως praefixam, retinuit, quam per errorem, cum ARNDIO *in Biblioth. Politica p. 29,* Crenio tribuit LILIENTHALIVS in *priori huius Bibliothecae editione, p. 74.*

nec eidem adiecit Diſſertationem ſupra laudatam *de ſtudio politico bene inſtituendo*, quum totam prope iis inſeruerit capitibus, quo, ex iuſti ordinis lege, omnino erat referenda.

§. XVIII.

Alii in ipſa rei litterariae atque Bibliothecarum diſpoſitione fuerunt occupati. Ita FLORIANVS TREFFLERVS, Benedictenburanus Coenobita, vti ſe adpellat, librum edidit, cuius titulum integrum hic adponemus. *Methodus, exhibens per varios indices et claſſes ſubinde quorumlibet librorum, cuiuslibet bibliothecae, breuem, facilem, imitabilem ordinationem. Qua ſane peraccommode, et ſine multa inquiſitione occurrat ſtudioſis, optata inuentio et lectio eorundem. Auguſtae 1560. 8.* Hic et de diſponenda Bibliotheca, et huius conficiendo indice, regulas praeſcribit, ſed abſurda plerumque ſunt, quae profert, diſpoſitio nimis generalis, ſaepe etiam parum congrua. Interim rariſſimus eſt liber, quae tamen raritas non praeſtantiae, ſed eius potius futilitati adſcribenda, quum bibliopegis magis inſeruiret et ſalſamentariis, quam eruditis. Vid. STRVVII *Biblioth. antiqua, a. 1706 p. 40.* ac WENDLERI *Diſſ. de variis raritatis librorum cauſſis §. 26.* Melius aliquantulum, obiter licet, colligendae ac diſponendae Bibliothecae modum commonſtrat IOH. BAPT. CARDONA, Epiſcopus Tortoſanus, in *conſilio de inſtituenda atque amplificanda Bibliotheca regia Scorialenſi*, quod cum aliis eius Opuſculis *Tarraconae* diuulgatum *a. 1587. in 4.* et nunc rariſſime conſpicitur. Paullo frequentior eſt editio ANDR. SCHOTTI in *Hiſpan. Bibliotheca, Frf a. 1608. 4. T. I. p. 68. ſq.* In hoc itidem genere occupatus potiſſimum fuit GABRIEL NAVDAEVS, praecipuus olim inter litteratores Gallorum. Proſtat eius *Avis pour dreſſer une bibliotheque, preſenté à Mr. le Préſident de Mème, à Paris*

ris 1627. 8. quod ſcriptum recuſum eſt *ibid. 1644.* vna cum LVD. IACOBI a S. CAROLO Tractatu Gallico *des plus belles Bibliotheques publiques et particulieres.* In *Catalogo librorum Naudaei* verſio etiam Latina nominatur ab Erico Mauritio adornata, cum Praefatione, notis et Epiſtolis duabus de praecipuis et ineditis nonnullis Galliae ac Germaniae Bibliothecarum MStis, *Hamburgi a. 1658. 12.* Sed non prodiit eadem, in Catalogo ſaltim Francofurtenſi promiſſa. Gratiſſimum igitur fecit eruditis IOH. ANDR. SCHMIDIVS, dum libellum, haud frequenter obuium, Latine exprimendum curauit, eique locum dedit in *noua Acceſſione, Collectioni Maderianae de Bibliothecis* adiuncta, *p. 71. ſq.* Adhibita fuit editio prior, qua alteram *anni 1644.* longe auctiorem dicit Celeb. KOELERVS apud STOLLIVM in *der Hiſtor. der philoſoph. Gelahrheit, p. 62. pr. edit. nouiſſ.* Et certum eſt, in titulo haec exſtare: *Seconde Edition revûë corrigée et augmentée*; ſed quantum ex celeri lectione et collatione animaduertere licuit, vix erit diſcriminis aliquid inter vtramque editionem. Multa ibi de officio Bibliothecariorum, qualitate librorum et ſimilia notabilia, tum quod ad erectionem, tum quod ad conſeruationem Bibliothecae attinet, quae recentiores de hoc argumento ſcriptores ſtrenue exſcribunt. Quod autem in titulo pollicitus erat Auctor artificium ordinandae Bibliothecae, illud ſane nil niſi generalia complectitur. Docet, quoscunque libros eſſe comparandos, atque aliqua media praeſcribit, quae in hoc obſeruare negotio conueniat: at haec ex MORHOFII *Polyh. lib. I. cap. 4.* melius hauriuntur. Laudanda potius ſunt quae de loco atque ornatu Bibliothecae habet. Caeterum libellum hunc aureum vocat IANVS CAECIL. FREY, et ſynopſin eius vno exhibet capitulo in *Via ad ſcientias artesque,* quod Opuſculum *Pariſ. a. 1628.* primum editum, poſt *Ienae a. 1674. 12.* et nouiſſime, ſecundum *Biblioth. Rin-*

ckianam p. 3. Waldenburgi 1715. recusum est. Iustum Naudaeus ordinem seruauit in concinnando *Catalogo Bibliothecae Cordesianae*, qui *Parisiis a. 1643. 4.* lucem adspexit, et iam insignis est raritatis. In eo historicorum distributio pro Bibliothecae conditione adcuratior est, licet pro vniuersa rei litterariae ratione plures adhuc sectiones, quam Naudaeus fecit, potuissent immisceri. Cf. tamen BAILLET *Jugemens des Savans T. II. P. I. p. 223. edit. Amst. in 8.* vbi et meliorem ordinem, et commodiorem methodum desiderat. Subiungimus huic Auctori CLAVDII CLEMENTIS *Museum, siue de Bibliothecae, tam priuatae, quam publicae, exstructione, instructione, cura et vsu libros IV. Lugduni 1635. 4. mai.* Sed bene cum Bailleto MORHOFIVS iudicat, *quod multa ad hoc argumentum coaceruet Claudius, in alienis potius occupatus et generalibus, in externis, quae spectant ad ornamentum bibliothecae, in picturis et similibus.* Vid. *Polyh. T. I. lib. 1. cap. 17. §. 8.* Allotria ergo si resecentur, pauca remanent, quae ad rem faciunt. *Emblematum sane*, vt clarissimus RICHEY hoc loco obseruat, *sententiarum, ornatuumque studiose excogitatorum, nulla hic inopia: conuicia in haereticos confertissima. Quae vero ad maxime necessarium bibliothecae adparatum, optimorum scilicet librorum notitiam ac delectum spectant, ea frustra hic quaesiueris.* Litterarios quidem scriptores dispertiri docet, sed generalis saltim est dispositio. Plenius de hoc libro, qui iam in paucorum est manibus, egerunt GEORG. HENR. GOETZIVS singulari *Programmate Lips. 1699.* quod et exstat in eius *Meletemat. Annaeberg. p. 148. sq.* itemque celeb. von SEELEN in *Epist. ad Bernh. Möllmannum*, Professorem Hafniensem, quae integra legitur in KOHLII *Hamburg. Berichten von gelehrt. Sach. a. 1748. num. 42. p. 330. sq.* Add. omnino REIMMANNI *Idea Systém. Antiqu. litt. p. 356. sq.* et MENCKENII *Charlatan. eruditor. p. 28. edit. Amst.*

Post

Post hosce IOH. HENR. HOTTINGERVS *Bibliothecarium* scripsit *quadripartitum*, *Tigurique a. 1664. in 4.* edidit. In eo praemisit Bibliothecae vniuersalis ideam, vbi disserit de Bibliothecarii officio, Bibliothecarum instructione, aliisque, modum conficiendi Catalogi exponentibus. Multa desumsit ex Naudaei libro de instruenda Bibliotheca. Quae vero habet de instituendis rei litterariae locis communibus, in iis Lambecii sequitur methodum, dum Bibliothecam ita adornare iubet, vt seruato materiarum ordine illa ipsa dispositio instar locorum communium esse possit; quae non quidem negligenda sunt, paullo tamen videntur operatiora. Eadem fere methodus Marqu. Gudio placuit. Vid. GVNDLINGII *Antwort-Schreiben auf etliche Frag-Stücke eines gelehrten Edelmanns*, quod scriptum adpendix plerumque est *Obseruationum Selectar. Halensium*, lingua Germanica vulgatarum, vbi *p. 184.* sic loquitur: *Gudius hielt in seiner Bibliothec folgende Ordnung; Er rangirte die Bücher nach den Disciplinen. Die Disciplinen theilte er in sonderliche Titel. Vnter einem ieden Titel stunden die Folianten, Quartanten, Octav und Duodez; iedoch von einander vnterschieden. Denn die Methode des Lambecii, welcher Zwerg und Riesen zusammen gesetzt, stehet vielen nicht an.* Cf. MORHOFIVS *l. c. Lib. I. cap. 5. §. 2.* in quo idem refertur de Domino Croix de la Maine. Caeterum Bibliothecarii Hottingeriani argumenta adcurate copioseque, subnexis animaduersionibus quibusdam, recenset IOH. FABRICIVS in *Hist. Bibl. suae, Parte V. p. 493. sq.* ex CRENII *Animaduers. philolog. P. VI. p. 143.* simul obseruans, editionem hanc Tigurinam esse mendosam valde, qua tamen non detur melior; Hottingerum quoque haud adeo adcuratam vbique Scriptorum et Auctorum Lutheranorum habuisse notitiam, nec illos inspexisse semper. Add. BVDDEI *Isagoge in Theol. vniuers. libro priori cap. III. §. 22. p. 87. sq.* Idem

FABRICIVS *P. IV. p. 105. ſq.* vitam Hottingeri, atque aliorum de eo iudicia, ſtudioſe enarrat. Hac noſtra aetate IOH. CHRISTIAN. KOCH *Schediaſma de ordinanda Bibliotheca, Lipſ. a. 1713. in 8.* luci expoſuit. Nec tamen et hoc Opuſculum ſatisfecit eruditis. Auctor enim peruulgata tantum in hoc decantauit argumento, haud inique igitur, at motu animi paullo vehementiore, a celeberrimo KOELERO his verbis notatus: *Edidit quoque Ioh. Chr. Koch, Paſtor in pago Lentz, Schediaſma de ordinanda Bibliotheca, verum in eo nihil attulit praeter vulgaria, et ab aliis iam ad nauſeam dicta. Quid enim Saulus inter Prophetas, et Paſtor paganus inter Bibliothecarios? Res libraria non eſt ſtudium, in quo decurrat iſtiusmodi miniſter eccleſiae, cuius officium eſt, fideliter curare animas ruſticorum, easque paſcere inſtitutione doctrinae chriſtianae, ne curioſitate ſui Paſtoris, eiusque pruritu inclareſcendi, in alieno a ſuo munere ſtudio plane obbruteſcant. Praeſtitiſſet tamen ſe virum fortaſſe in compilanda Bibliothecula homiletica, vel catechetica compendiaria, ſummo procul dubio applauſu excipienda a ſuis reuerendis Confratribus.* Vid. *Praefatio* viri doctiſſimi *ad Syllogen Scriptorum de bene ordinanda et ornanda Bibliotheca, Frf. 1728 4.* Cf. *die Neue Haelliſche Biblioth. Tom. III. p. 506. ſq.* Illa ipſa *Sylloge Koeleriana* praecipuum hic ſibi locum vindicat. Quatuor in ea exſtant Opuſcula, quae ob raritatem pauci oculis vſurparunt. Scenam aperit IOH. GARNERII, e Societate Ieſu, *Syſtema Bibliothecae Collegii Pariſienſis e Soc. Ieſu, Pariſ.* antea *1678. in 4.* editum, de quo conſuli poteſt MAICHELIVS *de Bibl. Pariſ. p. 128. ſq.* Illud ſequitur *Projet d'une nouvelle methode pour dreſſer le Catalogue d'une Bibliotheque, ſelon les matieres avec le Plan, par* FREDERIC ROSTGAARD, *ibid. 1698. in f.* Quod quidem ſcriptum non ſine pulchro certamine ingenii et iudicii compoſitum, et in Italicam quoque linguam ſtudio Abbatis FRESCOTTI translatum fuit. Legi-

Legitur haec verſio in *Galleria di Minerva*, *Tom. III. p. 124. ſq.* Tum occurrit IVSTI FONTANINI *Diſpoſitio Catalogi Bibliothecae Cardinalis S. R. E. Ioſephi Renati Imperialis*, ſubiecta olim *Indici huius Bibliothecae alphabetico pag. 583. ſq.* Finem imponit DAN. GVIL. MOLLERI *Comment.* Academica *de Technophyſiotameis*, *vulgo von Kunſt-vnd Naturalien-Kammern*, *Altorfii a. 1704. in 4.* diuulgata. Cf. *Acta Franconiae erud. et curioſa*, *Collect. XIV. p. 146. ſq.* Quam *de recte ordinanda Bibliotheca* V. C. IOH. NICOL. FROBESIVS *Catalogo Bibl. Meibomianae Helmſt. an. 1742. 8.* praemiſit *Proluſionem* philoſophicam, in ea docte diſquiritur, quae natiua librarii ordinis indoles ſit, varietas item ac dignitas, ſiue perfectio; quis librorum ordo praeſtantiſſimus habeatur; quibus regulis aut legibus idem contineatur; quibus ad illum opus ſit adminiculis; quam multiplices atque egregios idem vſus praeſtet, quibusque tandem naeuis ac praeiudiciis turbetur. Sub finem pollicetur Auctor de ordine Bibliothecarum Commentationem hiſtoricam, nondum editam tamen, quantum ſciamus. IVLII CAESARIS BECELLI Opuſculum *de Bibliotheca inſtituenda ac ordinanda*, *Veronae a. 1747. in 4.* typis impreſſum, inſpicere non licuit. Vid. interim *die Leipz. gelehrt. Zeitung. a. 1747. p. 907.* Nouiſſime prodierunt *Conſeils pour former une Bibliotheque peu nombreuſe*, *mais choiſie*, *par Mr.* FORMEY, *ſeconde edition, corrigée et augmentée à Berlin 1750. in 8.* Libellus eſt lectu dignus, iisque placebunt dicta viri clariſſimi, qui de conquirendis libris ſelectioribus cogitant. Addi debet omnino, qui nec hoc argumentum intactum reliquit, illuſtris a LOEN in *den freyen Gedancken zur Verbeſſerung der menſchlichen Geſellſchaft*, P. *IV. p. 67. ſq.* Agunt etiam de librorum in Bibliothecis diſpoſitione et collocatione, vt ſtatim inueniri queant, POSSEVINVS in *Biblioth. ſelecta lib. I. cap 53.* et ANGEL. ROCCHA in *Bibl. Vatican. Adpend. p. 404. ſq.*

 Cf.

Cf. *Catalogus Biblioth. Bunauianae, Tomi I. Vol. 1. p. 835.* De loco autem ac ſitu, qui erigendae Bibliothecae conueniens eſt, adeundus NAVDAEVS *l. c. pag. 118. ſq. apud Schmidium.* Proſpero carebunt euentu, quamquam ingenioſa ſunt, maximaeque vtilitatis, conſilia, quae CHRISTIAN. FRIDER. SCHMIDIVS propoſuit in *Paradoxis Bibliothecariis.* Programma hoc ſcholaſticum excuſum eſt *Luneburgi a. 1736. in 4.*

§. XIX.

Paeter illos vero, qui rem litterariam atque Bibliothecas docent diſponere, hic nominandi ſunt alii, qui Catalogos ſcriptorum ediderunt. Optandum ſane, vt perfectum haberemus Catalogum vniuerſalem omnium Auctorum, ordine alphabetico collocatorum, in quo notata eſſent fuſius, quae ad vitam, ſcripta et ſtatum cuiuslibet eruditi ſpectant. Vſus huiusmodi Catalogi multiplex foret. 1.) enim eſſent hi litteratis quaſi loci communes, ſuggerentes, quinam libri de certis materiis in celebrioribus Bibliothecis inueniantur, quique in praecipuis lateant bibliopoliis; 2.) ſciremus, quos libros hi vel illi auctores ſcripſerint, et quae proſtent editiones; 3.) pateret ſtatim, ſi noua dogmata ab aliquo protruduntur in publicum, an illa recocta ſint, vel per plagium ſurrepta; 4.) hominibus iis plura inueniendi ſubminiſtraretur occaſio, qui proni ſunt ad imitandum, quando vident, alios hoc illoue libro egregio laudem ſibi acquiſiuiſſe, quod in Phyſicis cum primis ac Mechanicis fieri poſſet; 5.) Bibliothecarii ac bibliopolae taedioſo labore prolixos Auctorum et materiarum indices conficiendi leuarentur, Catalogo quippe inſtructi, iam typis impreſſo, nouoque librorum adparatu ſubinde augendo; 6.) multa ſcripta vindicarentur ab interitu, quae alias, etiam quoad titulum, e memoria penitus elabuntur. *A. 1710. Ienae in 4. Cogitata de Bibliotheca materiarum et auctorum,*

rum, moderno ſaeculo conficienda et vſurpanda per epiſtolam cum eruditis communicauit MAVRIT. HVSELITT, Med. Doct. Stargardiae olim in Pomerania degens. At ſumma eſt iſtiusmodi laboris difficultas, viribusque vnius ingenii longe maior. CONRADVS GESNERVS primus eſt omnium, qui tale quid fuit conatus. Hic enim *Tiguri apud Froſchouerum a. 1545. in f. Bibliothecam*, ſiue *Catalogum vniuerſalem*, in tribus linguis, Latina, Graeca et Hebraica ſecundum litterarum ordinem diſpoſitum edidit, in quo Auctorum et veterum, et recentiorum, nomina ac libros, eorundemque, antiquorum praeſertim, argumenta ſaepius adiiciuntur, non raro cenſurae cum ipſius Geſneri, tum aliorum, adſcribuntur, plerumque aliquod ſtili Auctorum ſpecimen exhibetur, imo et alia quaedam adduntur interdum, nec inutilia, nec iniucunda ſcitu. Anno deinceps 1548. ibidem ſequuti ſunt *Pandectarum, ſeu Partitionum vniuerſalium*, libri, qui Bibliothecae *Tomum* quaſi *alterum*, priori tamen, ſi Partit. theologicas exceperis, longe minorem, repraeſentant, et a nobis ſupra §. *VI.* vberiori ſermone fuerunt memorati, ad quem igitur locum, ne ſemel dicta repetantur temere, Lectores noſtros remittimus. Hoc ipſum autem Opus quum vel magnitudine ſua, vel pretio, deterreret plurimos, CONRADVS LYCOSTHENES, ſeu, vt verum ei nomen erat, Conr. Wolfhartus, primum redegit in epitomen, et non ſolum IOH. BALEI *de Scriptoribus Angliae* libros inſeruit, ſed multa etiam ſubiunxit de ſuo, diligentia tamen parum laudabili, praetermiſſis nimirum librorum forma, loco annoque editionis. Lucem adſpexit illud Compendium *Baſileae a. 1551. in 4.* ſequenti inſignitum titulo: *Elenchus ſcriptorum omnium, veterum ac recentiorum, exſtantium et non exſtantium, publicatorum, atque hinc inde in Bibliothecis latentium.* Inſcio autem Geſnero hoc factum eſt; ideoque inſtinctu eius IOSIAS SIM-

LERVS

LERVS aliam ſuſcepit Epitomen, plusquam bis mille auctorum acceſſione locupletatam, additis paucis paralipomenis cum aliorum, tum *Gilberti* ſpeciatim *Cognati.* Edita haec *Tiguri a. 1555.* iterumque, duplo quam ante auctior, *ibid. 1574. f.* Vid. Praefat. Geſneri *priori editioni Simlerianae* praefixa. Idem tamen de vtraque hac Epitome non adeo fuit contentus, in *Epiſtolá de libris a ſe editis*, quae *vitae Geſneri*, *a Simlero ibid. a. 1566. in 4.* publicatae, *) acceſſit, *p. 23.* ita ſcribens, poſtquam de Bibliotheca ſua, et quae in eadem inueniantur, praecipua memorauerat: *Haec in compendiis poſtea excuſis non meo quidem conſilio omiſſa ſunt; poterant enim breuius quidem exponi, non tamen prorſus omitti. Sed ſuum plerumque lucrum ſpectant typographi potius, quam vel auctorum voluntatem, vel vtilitatem lectorum ſolidam. In compendiis quidem illis, poſtea impreſſis, permulta auctorum nomina noua, recentiora praeſertim, acceſſerunt: ſed omnis illa acceſſio ſeorſim etiam a Froſchouero noſtro excuſa eſt,* (Epitome ſcilicet Lycoſthenis ac Simleri, idque factum *a. 1555.* ſub titulo *Adpendicis Bibliothecae) vt, qui primam editionem emerunt, aut deinceps etiam emturi ſunt, fructu illo non fruſtrentur.* Guilielmus Canterus, teſte BAILLET *Jugem. des Savans, T. II. P. 1. p. 18.*, notas conſcripſit in Bibliothecam Geſneri a Simlero contractam, nunquam editas tamen; vnde quae Bailletus, et ex ipſo Morhofius, de iis dixerunt, videntur ex PHILIPPI LABBEI *Biblioth. bibliothecar. p. 232. edit. Lipſ. a. 1682. in 12.* deſumta eſſe, qui, more ſolito, hic etiam ex Catalogis nundinalibus et fama notarum iſtarum mentionem facit. Audiuimus de Lycoſthenis pariter ac Simleri laboribus ipſius Geſneri querelas, quibus tantum abeſt vt locum dederit, vt vtriusque potius veſtigia ſit perſequutus, et ſcriptorum

*) Integra fere, paucis mutatis, inſerta haec vita eſt MELCH. ADAMI *Vitis Germ. Medicorum pag. 146. ſq. edit. Heidelb. a. 1620. in 8. mai.*

rum numerum auxerit quidem mirifice, caetera vero omnia neglexerit IOH. IAC. FRISIVS, cuius *Epitome Bibliothecae Gefnerianae Tiguri a. 1583. in f.* fic infcripta prodiit: *Bibliotheca inftituta et collecta, primum a Conrado Gefnero: deinde in epitomen redacta, et nouorum librorum acceffione locupletata, tertio recognita, et in duplum poft priores editiones aucta per Iofiam Simlerum: iam vero poftremo aliquot mille cum priorum, tum nouorum, auctorum opufculis ex inftructiffima Viennenfi Auftriae Imperatoria Bibliotheca amplificata per Ioh. Iac. Frifium, Tigurinum.* Cauffae igitur nihil eft, cur BAILLETVS dubitet, an typis impreffum vnquam fit Frifianum Opus: MENAGIVS contra id plane neget in *Anti-Baillet P. I. p. 176. edit. nou. Amftael. in 8.* Vide, qui de illa editione vberius differit, multosque eiusdem errores obferuat, IOH. FABRICIVM in *Hiftor. Biblioth. fuae, P. III. p. 95. fq.* Nimiam enim Catalogis, vndique congeftis, fidem adhibuit, et opera pariter ac nomina fcriptorum mutilata plerumque attulit Frifius. Tum ab ANTON. VERDERIO *Lugd. a. 1585. in f.* accepimus breue *Supplementum epitomes Bibliothecae Gefnerianae*, cui adiecta ob argumenti fimilitudinem *Bibliotheca Conftantinopolitana*, qua eiusdem vrbis antiquitates, et permulti libri MSti, in ea exftantes, recenfentur nec tamen fine plurimis mendis, tefte LAMBECIO *libro I. de Biblioth. Vindobon. p. 147.* Adcuratius eft Supplementum, in quo Gallici potiffimum fcriptores exhibentur, a Gefnero ac Simlero praetermiffi, quique poft illius tempora inclaruerunt. Bonauenturae Vulcanii notulae in illud manufcriptae apud Marqu. Gudium olim fuerunt, prout docet MORHOF. *Polyh. lib. I. cap. 18. §. 10.* fed vbi nunc lateant, et quid complectantur boni, definire non licet. Iungi his commode poteft ROBERTI CONSTANTINI *Nomenclator infignium Scriptorum, quorum libri exftant vel manufcripti, vel impreffi, ex Bibliothecis Galliae et*

An-

Angliae, *indexque totius Bibliothecae atque Pandectarum Conr. Gesneri*, *Paris. ap Andr. Wechel. a. 1555. in 8.* Omnia autem haec, quae recensuimus, Opera rarissime inueniuntur integra, et ipsa maxime Gesneri Bibliotheca in paucorum est manibus; ideoque rem eruditis gratissimam fecerit clar. vir, IOH. CASPAR HAGENBVCHIVS, Graecae ac Latinae linguae apud Tigurinos Professor, si, quam meditatur, nouam illius, eamque longe auctiorem, editionem absoluerit, vti quidem intelligimus ex KAPPII *Epilogo de Ciacconio et Camusato*, *illius* praemisso *Bibliothecae*, *pag. 49.* Add. *Thesaur. epistolic. La Crozianus T. I. p. 313.* Subsidio venire posset, praeter aliorum industriam exemplar illud Gesneri, plurimis auctoribus librisque adscriptis a nescio quo locupletatum, quod in publica Norimbergensium Bibliotheca adseruari IOH. ANDR. BOSIVS testatur *Introd. in notit. scriptor. eccles. p. 103. edit. Walchianae.* Add. GE. HIERON. VELSCHII *Specimen supplementorum ad Bibliothecam Gesnero-Simlero-Frisianam* apud SCHELLHORN. *Amoenit. litter. Tomo VI. p. 490. sq.* Non deerunt quidem, qui hunc doctissimi Hagenbuchii conatum leuem atque ignobilem iudicent, quum isti boni Gesneri labores vt non adcuratae satis, et inferioris ingenii, chartae, traduci vulgo soleant. Verum nulla eiusmodi censurae ratio habenda. Ipse Auctor in *Bibliotheca sua*, *p. 180. b. edit. primae* ingenue profitetur, se scriptorum suorum partem maximam πρὸς τὰ ἄλφιτα, seu panis caussa, et a magnis Deabus, *Inopia* scilicet ac *Necessitate*, coactum elucubrasse; addit autem statim: *At ne quis ideo nos contemnat*, *nihil exstare adsero de laboribus meis*, (*sic enim illos non immerito adpellauerim*,) *cuius me pudeat*, *aut poeniteat*, *et quod non aliorum eodem in genere scripta aliquibus modis excellat.* caet. Cf. *Patiniana*, *p. 43.* itemque CRENIVS *Parte V. Animaduers. philolog. p. 133. sq.* Neque hic militem gloriosum sequutus est Gesnerus.

rus. Omnis profecto posteritas ob summos et Herculeos in re litteraria labores ei obstricta manet. Infinita sunt enim et incredibilia propemodum, quae vir ille nondum quinquaginta annos natus, quum ex hac vita discederet, in quocunque studiorum genere perfecit. Hoc MORHOFII iudicium est in *Polyh. T. I. lib. I. cap. 18. §. 8.* prouocantis paullo post ad THVANVM *Histor. lib. XXXVIII. p. 255. sq. edit. Paris. a. 1609. in 12.* Add. VOGLERI *Introd. p. 25.* MOLLER. in *Homonymosc. p. 14.* HOTTINGERVS in *Biblioth. quadrip. p. 8. 9.* itemque CAMVSATVS in *Praef. ad Ciacconium*, de quo mox plura, *p. 19.* vbi *leuem*, inquit, *super ossa terram Morhofio precor, eximii viri, C. Gesneri, memoriam vindicanti a lepidulorum illorum hominum iniuriis, qui praegrandia horrent volumina, deprehensisque vel in pulcherrimo opere quibusdam naeuis, illud ad vendentes thus et piper migrare iubent. Meliore fide cum doctissimis illis viris, qui litteras paene sepultas labore improbo, et indefessa diligentia excitarunt, agendum est; eorumque fama acriter tuenda contra recentiores quosdam, qui cum vnum aut alterum libellulum patrio sermone conscripserunt, iam iam se mortius leonibus barbam impudenter vellere posse confidunt, eosque ab hominum memoria prorsus delendos clamitant: quae μανία nisi radicitus euellatur, de scientiis actum puto.* Post Verderium IOH. HALLERVORDIVS, Borussus gente, vir peritissimus rei librariae, at praematura morte orbi litterato subductus, *Bibliothecam* suam *curiosam Regiomonti a. 1676. 4.* edidit, quae nihil aliud est, quam Additamentum Operis Gesneriani. Audiamus ipsum, in Praefatione ad lectorem de instituto suo sic differentem: *Cum viderem, multorum votis nouum aliquod, si non accuratum, saltim aliquale post Simleri et Frisii diligentiam Auctarium ad Conr. Gesneri Bibliothecam Vniuersalem efflagitari: neque vero hactenus, (si Verderium excipias, cuius libellus paucorum foliorum rarissime hodie reperitur,)*

exsti-

exſtitiſſe, qui id oneris ſubire, tamque exoptatum pariter ac proficuum laborem in ſe ſuſcipere, aggreſſus eſſet, ipſe quaedam circa negotium hoc tentare, ac de continuatione laudati operis cogitare occoepi. Inſcripſit vero Auctarium hoc *Bibliothecam curioſam* bibliopolae, fratris ſui, gratia. Quodſi enim auctarium vocaſſet, apud imperitos librarios et emtores Opus mutilum, vel pars ſolum maioris voluminis, adparuiſſet, ſicque neglectum fuiſſet. Ampliſſimos quidem Auctor labores meditatus eſt, ſed indulgendum fuit cum bibliopolae, impenſas ſuppeditanti, tum typographo, qui ob imminentes nundinas plura tunc temporis abſoluere non potuit. Cf. *die aufgefangenen Briefe, Ravage III. erſtes Paquet p. 83.* Caeterum liber hic indicis quaſi loco eſt ſcriptorum recentiorum maxime, quorum patriam, aetatem, munera, diem emortualem, ſcripta, et meliores eorundem editiones, recenſet. Iudicia tamen rariſſime, nec niſi paucis, ſubiiciuntur. Mitiori cenſura dignus eſt Halleruordius, quam plures opinantur, qui non diligenter ſatis videntur eum inſpexiſſe. Sane REIMMANNVS *non facile*, inquit, *Bibliotheca eſt, in qua plures producantur ſcriptores, et ſcripta exotica, Hiſpanica, Luſitanica, Italica, Arabica, Syriaca, Perſica caet. MSta etiam et inedita, et quae rariora ſunt inuentu, ſiue ea ipſa ſpecies, ſiue eorundem editiones. Annum aetatis triceſimum primum vix egreſſus, lucis vſuram amiſit auctor, inde praeſtare non potuit, quae promiſerat, plures ſcilicet Bibliothecae huius Tomos, itemque Syntagma de claris Bibliothecariis eorumque ſcriptis.* Vid. *Catal. Biblioth. Reimmann. T. II. p. 108.* Denique mentio hic iniicienda, qui ad lacunas in Geſneriana Bibliotheca ſupplendas animum adpulit, eoque conſilio Simleri Epitome vſus eſt, ALFONSI CIACCONII, Monachi Dominicani ſaec. XVI. apud Hiſpanos celebris. Reliquerat is manuſcriptam *Bibliothecam, libros et ſcriptores fere cun-*

ctos

ctos ab initio mundi ad annum vsque 1583. ordine litterarum complectentem, primum cum obseruationibus eruditis FRANC. DIONYS. CAMVSATI *Paris. a. 1731. in f.* typis impressum. Ob impedimenta tamen nobis ignota, prohibita statim venditio fuit, ideoque liber rarissimus factus, donec exemplarium mancorum pars quaedam in manus perueniret nobilissimorum bibliopolarum, *Arkstée* et *Merkus*, qui ne plane perirent hae chartae, amplissimum virum, IOH. ERH. KAPPIVM, rogarunt, vt earundem susciperet curam, et quae deerant ex integro exemplari restitueret. Ei ergo debemus frequentiorem vsum huius Bibliothecae, quae *a. 1744. Lipsiae* exhibita fuit, maxime ornata celeb. Editoris Epilogo *de auctore libri*, *et Camusati vita ac scriptis*, itemque accessione duplici, iudicia Camusati continente, *de Germanis quibusdam historiae litterariae conditoribus*, ac *de quibusdam scriptoribus elogiorum*, quibus iudiciis Kappius eruditas passim notas subiunxit. Legantur de huius editionis, nouae quodammodo, ratione die *Leipz. gelehrt. Zeit. a. 1745. p. 104.* Ipsum autem Ciacconii Opus nec ad finem perductum est, quum in voce *Epimenides* desinat, nec ita comparatum, nostra quidem sententia, vt eo amator historiae litterariae nequeat carere. Multa enim exscripsit Auctor ex Gesnero, Trithemio ac Baleo, imo ipsam Praefationem ex dedicatione et praefatione Simleri, secundae editioni Gesnerianae Bibliothecae in epitomen redactae praefixa, paucis tantum mutatis, omissisque, quae ad rem pertinere non videbantur, luculento plagio compilauit. Cf. MABILLONII *Mus. Ital. T. I. Parte 1. p. 96.* In vsum studiosorum collectus est *Catalogus vniuersalis librorum in omni facultate linguaque insignium et rarissimorum, non solum ex Catalogis Bibliothecarum Bodleianae, Lugduno-Batauae, Vltraiectinae, Barberinae, Thuanae, Cordesianae, Tellerianae, Slusianae et Heinsianae, sed etiam ex omnibus fere aliis prelo*

impreſſis. Londini a. 1699. in 8. Tomis II. Huc facit etiam GEORG. MATTHIAE KOENIGII *Bibliotheca vetus ac noua, quae Altorfii* prodiit *a. 1678. in f.* In ea Ebraeorum, Chaldaeorum, Syrorum, Arabum, Perſarum, Aegyptiorum, Graecorum et Latinorum per vniuerſum terrarum orbem ſcriptorum, theologorum, iureconſultorum, medicorum, philoſophorum, hiſtoricorum, geographorum, philologorum, oratorum, poetarum, patria, aetas, nomina, libri, ſaepe etiam eruditorum de iis elogia, teſtimonia et iudicia a prima mundi origine, vsque ad nominatum annum, ordine alphabetico recenſentur. Apud plerosque inuidiam fere excitauit magnificus libri titulus. Hinc variae, maximam partem duriores, de eo ſententiae feruntur. MORHOFIVS in *Polyh. litter. T. I. lib. 1. cap. 18. §. 15. totus ille liber*, ait, *exigua plane induſtria congeſtus, e catalogis variis vndiquaque et vndique corraſus. Hiſtoria, quae breuiter annectitur, non nunquam de viris doctis falſa eſt: libri affinguntur quibusdam, de quibus nunquam forte illi cogitarunt: omnia manca ſunt et mutila. Nam de viris celeberrimis, qui hodie viuunt, vel nuper deſierunt viuere, leuiora quaedam ſcripta referuntur, praeteritis dignioribus.* Nec mitiora ſunt, quae IOH. MOLLERVS dixit in *Praef. Iſagoges ad hiſtor. Cherſon. Cimbric.* Quocunque tamen ſe res modo habeat, non ſolum labor viri optimi aequi bonique conſulendus eſt, ſed et ipſa illa Bibliotheca Koenigiana haud contemnendos in hiſtoria litteraria vſus praeſtat, quales BAELIVS quoque expertus eſt et laudat in *Diction. hiſtor. crit. v. Koenig.* Cf. IOH. ALB. FABRICIVS in *Scriptor. recent. Decade num. 10.* vbi a Morhofio diſſentit, et hanc Bibliothecam longe prolixiorem MStam fuiſſe, quam nunc edita habeatur, multaque ex illa didiciſſe ſe, fruſtra alibi quaeſita, commemorat. In ea adornanda quodnam Koenigio conſilium fuerit, exponit IOH. FABRICIVS in *Hiſtor. Bibl. ſuae P. III. p. 108.*

p. 108. ipſe demum ſententiam ſuam *p. 109.* his exprimens verbis: *Fatetur Baelius vſum adhuc praeſtare hunc librum, tam ad euoluendum, ſi quid de hoc vel illo auctore ſine mora ſcire velis, quam vt tibi ſeruiat inſtar locorum communium, in quos ea referantur, quae in variorum lectione ſcriptorum ſunt obſeruata, et pro notabilibus habentur. In eundem finem et ego adhibeo hunc librum, gratoque profiteor animo, eum ad praeſens opus adornandum mihi ſaepe vſui fuiſſe. Eſto, Koenigium multis in locis erraſſe; id quod in tanta auctorum copia, tantaque rerum varietate certe non mirum; bene autem viri eruditi de publico merebuntur, ſi obſeruationes ſuas, quarum bonum numerum dare poterit clar. Ioh. Mollerus, qui tres earum centurias in parato habet, et codex inſignis quondam theologi, Ioh. Frid. Mayeri, de quo in Biblioth. Mayer. p. 781. mentio ſit, cum orbe litterato communicauerint, iisque nebulas lapſuum diſpulerint. Nos quidem ſymbolam noſtram hic ſtatim conferre neutiquam grauabimur,* Quibus dictis largiſſimam caſtigationum copiam ſubnectit inde a *p. 110.* vsque ad *p. 138.* litteratiſſimus Fabricius. Plures, praeter Mollerum ac Mayerum, eruditi hunc librum, de quo plane ſingularia habet FEVSTELIVS in *Miſc. ſacr. et erud. p. 40.*, obſeruationibus ſuis locupletare pariter et emendare ſtuduerunt. Exemplar Schurzfleiſchianum in Bibliotheca Vinarienſi exſtat. God. Vockerodt illum duplo reddidit auctiorem, quod Supplementum vidit, preloque dignum cenſet IOH. IVSTVS von EINEM in *Biblioth. hiſtor. litter. Magdeb. 1738. in 8. p. 42.* Eundem librum Ioh. Wulferus, Theologus Norimbergenſis, Koenigii gener, innumeris ab ipſo Auctore locis amplificatum emendatumque poſſedit, quod quidem exemplar vbi hodie lateat, ignoramus. Nouam aliquando editionem, vt ex *Theſauro epiſtol. La Croziano T. II. epiſt. 15. p. 25.* perſpeximus, parare voluit Ioh. Chriſtophor. Wolfius, non frater Ioh. Chri-

ſtianus, adhuc apud Hamburgenſes Profeſſor, quod per errorem dixit CAMVSATVS *in Praef. ad Ciacconium p. 18.* Sed receſſit mox vir laborioſiſſimus, a. 1739. ad ſuperos vocatus, ab hoc propoſito, nec magni nunc intereſſe videtur Rei publicae litterariae, ab alio has ſuſcipi partes poſt *Lipſienſe Lexicon eruditorum*, de quo, ferente ſic occaſione, verba ſunt facienda. Primum illud, auſpiciis IOH. BVRCH. MENCKENII, cuius memoriam omnes poſteri recolent, *a. 1715. in forma octaua maiori* ſecundum litterarum ordinem Germanice prodiit. Sudarunt in eo concinnando Iacobi, Magdeburgenſis, Menckenius quidam, et Chriſtian. Schoettgenius, indicante id REIMMANNO in *Catal. Bibl. ſuae T. II. p. 459.* Gallicam verſionem Batavi meditati ſunt olim; at in conatibus res ſubſtitit. Vide interim *Projet de la traduction et de l' augmentation du Dictionaire des Savans de Mr. Mencken, à la Haye 1721.* *Altera editio a. 1726.* induſtriae demandata fuerat V. C. CHRISTIANI GOTTLIEB IOECHERI, qui et in expoliendam *tertiam a. 1733.* non parum laboris impendit. Varios quidem naeuos notauit REIMMANNVS *l. c. p. 461. ſq.* notarunt etiam alii; ſed quando vnquam proſtabit eiusmodi Opus, omnibus numeris abſolutum? Suſtulit tamen hos, aliisque incommodis mederi pro viribus, poſt vltimam editionem, ſtuduit Ioecherus, magnum ſaeculi noſtri ornamentum, ac generatim vniuerſale illud eruditorum Lexicon per tria, et quod excurrit, luſtra adeo emendauit auxitque, vt Opus nunc videri plane nouum queat. Abunde hoc teſtatur *Tomus primus*, qui *Lipſiae a. 1750. in 4. mai.* prelo exiit, et Praefatione, omnem inſtituti rationem eleganter exponente, inſtructus eſt. *Alterum* accepimus eodem anno: *tertius* autem ac *quartus*, isque vltimus, paullo poſt ſubſequuti ſunt. Spes etiam facta triplicis indicis, geographici nimirum, chronologici et realis, a viro quodam erudito confici-

ficiendi; qui ſi non in octaua, vti quidem laudatae *Praefationis* §. *XIV.* ſignificat, ſed eadem potius, qua ipſum Lexicon excuſum eſt, forma acceſſerit, plurimorum forſitan deſideriis ſatisfiet. Sub finem ſuperioris ſaeculi CHRISTOPH. HENDREICH, Principi Electori Brandenburgico tunc temporis a Bibliotheca, inſtitutum coepit, Catalogum Berolinenſis Bibliothecae alphabeticum adornandi, et quae de ſcriptoribus ſingularia collegiſſet, ſubiiciendi ſingulis; at creſcente materia mutauit conſilii rationes, et Opus longe difficilius adgreſſus eſt, vniuerſalem quippe Auctorum indicem, ordine alphabetico digeſtum. Primas duas litteras A et B. ſub titulo *Pandectarum Brandenburgicarum Berol. a. 1699. in fol.* edidit, et promittuntur in eo, praeter Bibliothecam Auctorum impreſſorum et manuſcriptorum omnium ſcientiarum et linguarum, indices materiarum praecipuarum, aetatum mundi, quibus auctores vixerunt, nationum, vitae generis caet. nec non deſcriptio praecipuarum mundi Bibliothecarum, et Tractatus de claris Bibliothecariis. Sed morte praeuentus Hendreichius abſoluere non potuit Opus hoc in ſenio coeptum, et vnius hominis vires excedens, quod, ſi qua linea inchoauit, perfeciſſet Auctor, viginti minimum ſpiſſa volumina impleuiſſet in folio, quae REIMMANNI ſententia eſt *Biblioth. ſuae T. II. p. 19.* Caeterum non pauca praeſtitit in recenſendis Scriptoribus, horumque ingenii monumentis, ita, vt varia adducat, quae ad vitam ac ſtatum eorundem ſpectant, et ſaepius remittat ad alios, qui pluribus de illis egerunt; quamquam et negari nequit, infinitos prope errores commiſſos, multos Scriptores, horumue libros, neglectos plane, de vita etiam eorum, quos attulit, breuius, quam par erat, dictum, ſcripta denique ſine iuſto ordine, ſine ſelectu in medium prolata eſſe. Hinc exſtincta apud pleroſque videndae continuationis cupiditas. Licebit verba IOH.

FRANC. BVDDEI adſcribere in *Praefat. ad primam editionem Lexici hiſtorici vniuerſalis, num. 2.* vbi ſic de hoc Opere iudicat: *Hendreich hat in ſeinen Pandectis etwas vollkommenes praeſtiren wollen; aber auch ein Exempel hinterlaſſen, daß es leichter ſey, ſolche Wercke zu projectiren, als auszuführen. Wiewohl ers an ſeinem Fleiß nicht hat ermangeln laſſen, vnd wenn nur in dieſem Werck ein beſſerer ſelectus vnd Ordnung in Anführung der Schriften gehalten wäre, würde man ſich deſſen gar nützlich haben bedienen können.* Add. REIMMANN *l. c.* Nihilo tamen ſecius haud contemnenda prorſus et explodenda eſt Auctoris cura, vt multi parum aequo faciunt animo, quin potius mirari debemus ſtupendum eius laborem, qui, ſi non in omnibus adplauſu dignus videtur, paſſim vtilitate ſua neutiquam eſt deſtitutus. Cf. FABRICIVS in *Praefat. Prodromo Lambeciano praefixa.* THEOPHILVS SPIZELIVS in *Sacris ſuis Bibliothecarum arcanis retectis, ſeu MStor. theologicorum in praecipuis Europae Bibliothecis exſtantium deſignatione, Aug. Vind. 1668. in 8. Specimen* exhibuit *nouae Bibliothecae vniuerſalis*, qua omnes Auctores a ſyllaba AB incipientes enumerat. Id quidem agit, vt doceat potiſſimum, quem Catalogorum de MStis collectio vſum praeſtet; ſed facile hoc ipſum ſpecimen ad impreſſorum quoque Bibliothecam vniuerſalem poterit conducere, dummodo plures, rei litterariae peritiſſimi, et qui magis praeſunt librorum theſauris, coniuncta manu eiusmodi Opus adgrederentur. Prodiit *a. 1686. in 12.* GE. FINWETTERI, (ſeu potius Godofr. Wegneri, Regiomontani Theologi, teſte IOH. CHR. KRÜSICKE *Vindem. litter. Spec. I. p. 17.*) *Biblidion de Bibliothecis per ſocietatem augendis et colligendis ad Martin. Hanckium*, vbi poſtquam varia de Bibliothecis Catalogisque Auctorum ac materiarum adduxerat, tandem *p. 74. ſq.* conſilium ſuppeditat conficiendae feliciter Bibliothecae ſeu Catalogi vniuerſalis, vt ſcilicet

cet quaedam ineatur ſocietas inter Germaniae Bibliothecarios, qui auxiliatrices ſibi inuicem ferrent manus, aliosque inſuper adiutores laborioſos in partes vocarent. Sed quando vnquam haec ſperanda erunt? Nouiſſime THEOPHIL. GEORGI, bibliopola Lipſienſis, confecit *allgemeines Europaeiſches Bücher-Lexicon, in welchem nach Ordnung des Dictionarii die allerneueſten Autores oder Gattungen von Büchern zu finden* caet. *Bey iedem Buche ſtehen die vnterſchiedenen Editiones, die Iahrzahl, das Format, der Ort, der Verleger, die Anzahl der Bogen, und der Preiß, in IV. Theile abgetheilet.* Editum hoc Opus non ſolis librariis, ſed eruditis etiam, adcommodatum *Lipſ. a. 1742. in f.*

§. XX.

Hactenus de Scriptoribus, qui ordine alphabetico, ſecundum Auctorum nomina, Bibliothecas compoſuerunt. Pergimus ad eos, in quorum Bibliothecis habita ratio fuit diſciplinarum, ſiue materiarum. Praeter Geſneri Pandectas, de quibus ſupra, primus hic loci eſt, quantum ſciamus, GEORG. DRAVDIVS, cuius *Bibliotheca claſſica Frf. a. 1611. in 4.* prodiit, *ibidem a. 1625. cum ſupplementis Vol. II.* recuſa. In ea ſecundum diſpoſitionem litterariam libros omnium diſciplinarum ac diuerſarum linguarum indicat, maxime ſi iungatur eiusdem *Catalogus officinalis librorum peregrinis liguis vſualibus ſcriptorum, ibid. 1610.* et *1625.* nec non *Bibliotheca librorum Germanicorum claſſica, iuxta materiarum ordinem inſtructa, ibid. a. 1610. 4.* Solum vero nomenclatorem, et ne quidem fide dignum, agit Draudius, in quo reperias multa plane falſa, librosque, qui nunquam editi, et in ipſo conceptu parturientis cerebri ſuffocati. Laudanda tamen methodus eſt, ob quam maiori eſſe vſui poteſt, quam caeteri librorum indices, etſi adcuratius inſtituti. Vid. MORHOFIVS *Polyh. T. I. lib. 1. cap. 18. §. 13.* Cf. HOTTIN-

GERI *Bibliothec. quadripart. p. 9.* THOM. CRENII *Animaduerſ. philol. P. XI. p. 194.* et REIMMANNI *Catal. Bibl. ſuae, T. II. p. 99. ſq.* Sub idem tempus, quo prior Draudianae Bibliothecae editio diuulgata eſt, FABIANVS IVSTINIANVS ſcripſit *Indicem vniuerſalem alphabeticum, materias in omni facultate conſulto pertractatas, earumque ſcriptores et locos deſignantem, adpendice perampla locupletatum: Elenchum item auctorum, qui in ſacra Biblia vel vniuerſe, vel ſigillatim, etiam in verſiculos, data opera ſcripſerunt, iuxta eorundem Bibliorum ordinem diſpoſitum.* Prodiit *Romae ex typogr. Camerae Apoſtol. a. 1612. in f.* teſte LABBEO in *Biblioth. Bibliothecar. p. 81. edit. Lipſ.* et BAILLETO *Jugem. des Savans, T. II. P. 1. p. 20. et 91. ſq.* vbi vtriusque libri raritatem notat, in Indice tamen vniuerſali, (qui in nouiſſima *Bibliographiae Boeclerianae* editione *p. 398.* male dicitur *Bibliothecae Genuenſis Index vniuerſalis,*) debitam deſiderat ἀκρίβειαν, quodque nomina pariter ac ſcripta Auctorum ſaepius falſo adducta ſint. Magis ei Elenchus placet ob ſingularem induſtriam et vtilitatem. Iungendus his eſt PAVLVS BOLDVANVS, qui edidit *Bibliothecam theologicam; Ienae 1614.* et cum continuatione *Lipſ. 1622. in 4. Bibliothecam philoſophicam, Ienae 1616. in 4.* itemque *Bibliothecam hiſtoricam, Lipſ. 1620. in 4.* Integros horum librorum titulos vide apud LABBEVM *l. c. p. 284.* Auctor erat verbi diuini miniſter in quodam Pomeraniae pago, vir ſuo ipſius tempore non adeo celebratus, neque ſubſidiis ad conatus tantos neceſſariis inſtructus, habitans quippe loco incommodo, et ad comparandam librorum notitiam non apto ſatis, quod etiam de Draudio dicendum, qui eodem munere in Bauaria fungebatur. Inde manca ſunt omnia, ieiuna, et vndique, cumprimis ex Catalogis nundinarum Francofurtenſium, ſine ſelectu atque iudicio corraſa. Prae reliquis tamen Bibliotheca hiſtorica eminet, meliore digeſta ordine, quae rudimen-

dimentum non penitus ſpernendum notitiae hiſtoricae praebere poterit. Viliſſima e contrario eſt Bibliotheca theologica. MORHOFIVS *l. c.* Add. BVDDEVS in *Iſag. ad Theol. vniuerſ. lib. I. p. 89.* ac REIMMANNI *Catal. Biblioth. theol. p. 107.* Noſtra aetate, vbi alia huius generis in promtu ſunt, facile caremus hisce laboribus. Eorum librorum, quos in officina ſua venales habuit, non quidem excellentium praeter caeteros, ordine tamen ſyſtematico concinne ſatis diſpoſitorum, Catalogum, *hiſtoria litteraria* perperam inſcriptum, *Argentor. a. 1671. 8.* excudendum curauit SIMON PAVLI, *Simonis*, Medici Hafnienſis celeberrimi, filius, et fanatici illius, *Oligeri*, frater. Vid. REIMMANNI *Einleitung in die hiſtor. litter. P. I. generali, p. 189.* et *eiusd. Catalogus Biblioth. T. II. p. 688.* In prioribus huius libri editionibus varia etiam Opuſcula CORN. a BEVGHEM, Senatoris quondam ac bibliopolae Emmericenſis in Ducatu Cliuiae, adducuntur. Luci nimirum expoſuit *Bibliographiam iuridicam et politicam, ſeu conſpectum librorum iuridicorum et politico-legalium, quotquot ab anno 1651. per vniuerſam Europam in quauis lingua prodierunt. Amſtael. 1678.* repetitam auctamque *a. 1680* et *1685. in 12; Bibliographiam medicam et phyſicam nouiſſimam, ibid. 1681. 12.* auctius a. 1696. recuſam; *Bibliographiam mathematicam et artificioſam ibid. a. 1685. in 12.* nouisque *a. 1688.* locupletatam acceſſionibus; *Bibliographiam hiſtoricam, chronologicam et geographicam, ibid. a. 1685. 12.* continuatam vsque *ad a. 1710. quatuor Partibus;* ac denique *Adparatum ad hiſtoriam litterariam nouiſſimam, ſeu Bibliographiae eruditorum critico-curioſae conſpectum, quinque Tomis ab a. 1689. vsque ad a. 1710.* de quibus infra ſermo erit, in Capite de *Ephemeridibus eruditorum.* Sed libri cuiuscunque notae, ſiue vtiles ſint, ſiue nullius momenti, ſine delectu et eorundem argumentis congeſti, adeoque omnes hi labores librariis magis,

 gis,

gis, quam eruditis, inferuire poſſunt. Cf. IOH. GE. IOCHIVS in *Prodromo Biblioth. polit. cap. II. §. 7. p. 25.* Maiori iure huc referendus eſt MARTIN. LIPENIVS, Scholae olim Lubecenſis Conrector, cuius variae exſtant *Bibliothecae*, ſecundum diſciplinas atque materias, ordine alphabetico *in folii forma* compoſitae. Prima fuit *Bibliotheca realis iuridica*, edita *Francof. ad Moenum a. 1679.* quam *ibid. eodemque anno* ſequuta eſt *Bibliotheca realis medica;* tum prodiit *Bibliotheca realis philoſophica ibid. a. 1682.* Tom. II. tandemque *Bibliotheca realis theologica ibid. a. 1685.* Tomis itidem II. Vere reales hae ſunt Bibliothecae, in quibus vno quaſi obtutu ſub cuiuslibet materiae titulo libri cognoſci poſſunt, qui eandem fuſius pertractant. Sed quum Polyhiſtorem ingentemque librorum adparatum requirant eiusmodi Opera, facile perſpicitur, ad ſuſtinendam tantae rei molem infirmos nimis boni Lipenii humeros fuiſſe. Hinc tot, quae in vaſtiſſimo hocce corpore eruditorum oculos offendunt, maculae. Ex vno ſcripto ac ſcriptore interdum facti ſunt plures: ex pluribus vnus. Nomina Auctorum, Operum atque locorum corrupta. Anni impreſſionis deprauati. Inedita habita pro editis. Omiſſa etiam ſaepius, quae omnium prima cenſenda erant, et alia adducta inferioris plane, vel nullius ordinis, vel ſi omiſſa non ſunt, eo tamen loco non producta, quo debuiſſent. Vid. REIMMANNVS, cuius hic verbis vſi ſumus, in *Catal. Bibl. theolog. p. 90.* Cf. TENTZELIVS in *den monathlich. Vnterredung. a. 1689. p. 99.* et in *Praef. ad Exercitationes ſelectas*, quas idem vno volumine iunctas edidit, vbi oſtendit luculenter, quod Lipenius ex Tentzelio, patre ac filio, quinque diuerſos finxerit ſcriptores. Sed, vt recte monet MORHOFIVS *T. I. Polyhiſt. lib. 1. cap. 18.* §. *16.*, fieri vix poteſt, vt in iſtis argumentis Opus omnibus abſolutum numeris exſpectare liceat, quandoquidem δευτέραι φρον-

φροντίδες, nouique labores, ſemper hic locum inueniunt. Haec generatim dicta ſunto de Lipenii Bibliothecis. Subiiciamus adhuc paucis, quae ad ſingulas pertinent. Bibliothecam iuridicam auctiorem atque emendatiorem FRIDER. GOTTLIEB STRVVIVS *Ienae a. 1720. in f.*, quamquam ſucceſſu parum felici, exhibuit. Inde motus eſt vir in his ſtudiis verſatiſſimus, GOTTLOB AVGVSTVS IENICHEN, iam Ictus Giſſenſis, vt recenſeret Opus poſt Struuii curas, innumeros errores tolleret, vltra dimidiam partem optimis libris ac diſſertationibus fere omnibus augeret, et adcuratum ſcriptorum indicem adiiceret, quae praeſtantiſſima editio *Lipſ. a. 1736. in f.* typis nitidis excuſa. Neque tamen haec ſola ſunt, quae celeberrimi Ienichenii induſtriae debemus. Complures enim, qui ſcripſerunt ἀνωνύμως, aut ſub fictis latere nominibus voluerunt, ex tenebris in lucem protraxit: ſaepius memoratu digna quaedam de libri vel diſſertationis Auctore, eius pariter et Operum fatis, diuerſisque editionibus, obſeruauit: omnes autem, quos prae caeteris ſub vnoquoque titulo conſulendos eſſe putat, ſcriptores, maiuſculis litteris diſtinxit a leuioris armaturae militibus. Acceſſit *Vita Lipenii* a clariſſimo IOH. HENR. *von* SEELEN ſcripta, quam ſuis vbique notis illuſtrauit doctiſſimus Editor. Cf. *Acta Erudit. Lat. a. 1738. p. 580. ſq.* itemque *Germanica*, *P. CCXXII. p. 409. ſq.* et *Noua Acta Ictorum Vitembergenſia, P. I. p. 1. ſq.* Perſpiciens deinceps boni publici ſtudioſiſſimus Ienichen, Supplementis paſſim et emendationibus nouis indigere Lipenium ſuum, talia parauit mox ediditque *ibidem a. 1742.* et *1743. Tomis II.* exiguae molis *in folio.* Mutauit hic priſtinum inſtitutum, omniumque nomina ſcriptorum, ſine vllo diſcrimine, litteris maioribus typis curauit imprimenda, de quamplurimis tamen, quid ſentiat, ingenue profeſſus eſt. Maximam ſane haec Adpendix laudem meretur, cui

nec

nec alphabeticus Auctorum index deest, vtilior futurus atque commodior, si prioris in ipsa Bibliotheca exemplo confectus fuisset. Nuper illustris vir, AVGVSTINVS a BALTHASAR, Acad. Gryphiswald. Antecessor, Regiique Director Consistorii, adiecit *Partem I. Supplementorum ad Bibliothecam Lipenio-Ienichianam*, cui praemissa sunt *de vsu historiae litterariae in Iurisprudentia* Prolegomena, *Gryphiswaldiae a. 1752. in 4.* Plures Partes sequentur in posterum; *prima* enim haec tres tantum priores Alphabeti litteras continet. Ad Bibliothecam Lipenii medicam quod attinet, eam reliquis praefert MEIBOMIVS in *Additam. ad Voglerum p. 190;* philosophicam contra et theologicam optimam esse REIMMANNVS existimat in *Catal. Bibl. suae T. II. p. 66.* quod etiam iudicium MORHOFII est, *l. c.* Cf. IONAE CONR. SCHRAMMII *Progr. de scriptor. Biblioth. theologicar. Helmst. 1710. 4.* Alia non adcumulamus, duo monentes tantum, prius scilicet, Lipenium tam late capere Philosophiae vocem, vt omnem quoque linguarum, antiquitatumque notitiam, omnem item veterum ac recentiorum criticam, omnem historiam, philologiam, oratoriam, poeticam, et quicquid πολυμαθείας aut πανσοφίας nomine venit, includat, quae IOH. FABRICII verba sunt *Histor. Biblioth. Fabric. P. III. p. 177.;* tum autem, quod Ioh. Alb. Fabricius ad vtramque hanc Bibliothecam, philosophicam pariter ac theologicam, varias reliquerit accessiones et castigationes, facile impetrandas a doctissimo genero, si quis Hercules, Ienichenianis insistens vestigiis, ad purgandum hoc Augiae stabulum accedere vellet. Vid. REIMARI *Vita Fabricii p. 210.* Sub huius saeculi initium BARTHOLD. HENR. WÜSTHOFIVS, Theologiae studiosus, noua methodo Bibliothecas disponere studuit. Primum eius scriptum est *Bibliotheca iuridico-politica, ordine alphabetico distributa, Lips. a. 1704. in 4.* Hanc statim sequuta fuit

Biblio-

Bibliotheca theologico-philologica, per modum tabularum confecta, ibid. 1705. in 4. eidemque acceſſit eo ipſo anno *Bibliothec theologiſcher und philologiſcher deutſcher Bücher.* Denique *ibid. a. 1707. in 8.* lucem vidit *Vniuerſalis Bibliotheca, ſiſtens omnium Facultatum, ordine alphabetico, libros nou-antiquos, tam manu exaratos, quam typis impreſſos, caet.* Promiſit etiam *Bibliothecam Rabbinico-philologicam; Bibliothecam hiſtoricam, profano-eccleſiaſticam; Bibliothecam philoſophico-mathematicam; Bibliothecam litteratorum et antiquariorum; Bibliothecam medico-phyſicam; Bibliothecam miſcellaneorum; Bibliothecam diſputationum, iuxta ſeriem Facultatum recenſitarum; Bibliothecam concionum feſtiualium, temporalium, funebrium caet.* Imo in continuatione libros omiſſos ſe poſthac eſſe additurum confirmauit. Sed mons, gemitus immanes ciens, murem peperit, Auctorque, vt REIMMANNVS in *Catal. Bibl. theol. p. 112.* obſeruat, propter irruptionem Suecorum in Saxoniam, et controuerſiam, quae ipſi interceſſit cum Thoma Fritſchio, bibliopola Lipſienſi, et aeris, qua laborauit, inopiam, editas pariter animoque tantum conceptas Bibliothecas ad vmbilicum perducere non potuit. Nec magnum adeo eſt naufragium, quod Res publica litteraria iactura horum Catalogorum paſſa eſt. Quamquam enim adcuratiores hinc inde ſint, quam aliae, de quibus diximus, Bibliothecae; non tales tamen fructus oſtendunt, quales TENTZELIVS ſperare iuſſerat *in der curieuſen Bibliothec, Repoſitorio I. im fünften Fach, p. 472.* Interim fecit Auctor, quantum poterat, et praeter bibliopolam, quem addit, titulos ſolito prolixiores recenſet, typorum characterem per notas, item ſi marginalia, indices vel ſummaria adiecta ſint, ſignificat, et in Bibliotheca theologica patriam Scriptorum ſtatumque exponit. Quae omnia non ſufficere eruditis, certum eſt, adeoque iis conducent modo, qui Catalogum librorum vniuerſalem, ſecundum

dum alphabeti ordinem, concinnare voluerint. Ex pleniore nimirum tituli commemoratione de libro ipſo conſtat quandoque, non ſemper et ſine exceptione vlla, ſaepius materia libri titulum non adaequante. Vt taceam, quod de operis cuiusdam praeſtantia ex ſola inſcriptione iudicari explorate nequeat. Ita Struuius ſentit de Wüſthofio, quem tamen excuſat TENTZELIVS *l. c. Repoſitorio III. p. 187.* quo loco ſcribit: *Den Catalogum Wüſthofii habe ich ehemahlen ſchon recommendiret, worinnen zwar Herr Struue diſſentiret, aber vielleicht die groſſen Hinderniſſe nicht weiß, wodurch der Autor bisher abgehalten worden, ſeine Catalogos völlig ausgehen zu laſſen, und dem, was er verſprochen, in allen nachzukommen.* Communi excepta plauſu fuit ſummi viri, IOH. ALB. FABRICII, *Bibliographia antiquaria,* in qua multo labore congeſſit libros et opuſcula, omnem antiquitatem illuſtrantia. Comparuit primum *Hamb. a. 1713. in 4.* recuſa deinceps *ibidem 1716.* aucta paſſim, duplicique indice inſtructa. Vid. *Acta Erud. Lat. 1713. p. 254.* et *die neue Hälliſche Biblioth. P. XXVI. p. 542. ſq.* Praeſtolamur editionem nouam, copioſa b. Auctoris Supplementa continentem, de quibus legatur REIMARVS in *Vita Fabric. p. 142.* Quae *a. 1727. Norimbergae in 4.* prodiit *Bibliotheca iuris Imperantium quadripartita, ſiue Commentatio de ſcriptoribus iurium, quibus ſummi Imperantes vtuntur, naturae et gentium, publici vniuerſalis et Principum priuati,* ea ordine ſyſtematico plurimos complectitur Auctores, quorum calamus in argumento tam illuſtri occupatus fuit. Varia hic occurrunt haud quotidiana, ac praeter maiorum Deorum vitas et ſcripta, aliorum etiam de iis iudicia in medium proferuntur. Non ſine cauſſa igitur Bibliothecam hanc commendant *Acta Erudit. Lat. a. 1727. p. 356.* verbis ſequentibus: *Inſtitutum eſt nobile, vtiliſſimum et quauis laude dignum, cuius conſcientia et publico plauſu fruatur, qui latere maluit, Auctor doctiſſimus,*

mus, ni coniectura fallit, librorum iuridicorum et historicorum censuris, per aliquot fasciculos editis, clarus. Moſerum intelligi, nemo ignorat. Sed contradixit is ipſe in *dem erläuterten Würtemberg, P. I. p. 307.* neque interea temporis verus explorari Auctor potuit. *Genealogicam Bibliothecam* ſtudio IOH. HÜBNERI, iunioris, accepimus *Hamburgi 1729. in 8.* Lucernam olet CHRISTIANI GODOFR. HOFFMANNI, ſummi quondam in Academia Viadrina ICti, *Bibliotheca Iuris publici, quae exactam conſignationem ſcriptorum, in quibus S. R. Germanici Imperii Ius publicum traditur, ſolicita methodo, ſecundum materiarum argumenta, diſpoſitam exhibet.* Praemiſſa eſt eiusdem *Einleitung in das Ius publicum,* ſcriptum aliquot plagularum, excuſum cum ipſa Bibliotheca *Francof. ad Viadr. 1734. in 8.* Huius tamen exemplaria quaedam in forma etiam quadripartita proſtant, quale noſtrum eſt, quod in manibus habemus. Vid. *Acta ICtorum Vitembergenſia, Parte I.* quae *a. 1734.* lucem adſpexit, *p. 46. ſq.* itemque *Biblioth. Lipenio-Ienichiana P. I. p. 48.* vbi recte dicitur, virum egregium hanc Bibliothecam non ex Catalogis, aut aliis eiusmodi farinae libris, conſcribillaſſe, ſed propriis, non alienis, vſum eſſe oculis, Auctores interdum anonymos indicaſſe, maiorum Operum contenta exhibuiſſe, et varia ad librorum hiſtoriam pertinentia adnotaſſe. Id modo aegre fert vnusquisque, *primo* huic *Tomo* generali, ſcriptores producenti, qui leges Imperii fundamentales, et Imperatoris Regisque Romanorum electionem ac reſeruata expoſuerunt, *alterum* non acceſſiſſe, materias ſpeciales percenſentem, quem nunc, poſt Ioh. Guilielmi Hoffmanni, fratris, obitum praematurum, ſperare vix licet. *Iuris naturae et gentium Bibliothecas* ordine alphabetico adornarunt illuſtris ADAM. FRID. GLAFEY, et conſult. CHRISTIAN. FRID. GEORG. MEISTERVS. Ille labores hos *Iuri naturae et gentium Frf. et Lipſ. a. 1723. et 1732. in 4.*

poſt

poſt *Lipſ. a. 1739. ampliori iuris naturalis hiſtoriae eadem forma* editae, ſubiunxit: hic vero, quum *anno 1740. et 1741. duobus additionum et emendationum Speciminibus* Glaſeyanam collectionem reddidiſſet vtiliorem, tandem ipſe maius adgreſſus Opus eſt, cuius *Pars I. Göttingae 1749. 8.* prelo exiit. Laudandum omnino inſtitutum, optandumque, vt coeptam telam perficiat mox vir doctrinae elegantiſſimae copia inſtructus.

§. XXI.

Initio praeſentis ſaeculi particularibus ſuis, quas edidit, Bibliothecis famae non nihil conſequutus eſt CASPAR THVRMANNVS, ICtus et Conſiliarius quondam Saxo-Lauenburgicus. Primum prodiit *Bibliotheca Academica de rebus et iuribus non tantum Academiarum, et Academicorum, ſed etiam Doctorum, aliorumque eruditorum, extra Academias viuentium, imo vniuerſae rei litterariae immunitatibus, priuilegiis atque praerogatiuis* caet. *Halae Magdeb. a. 1700. 4.* In ea ſub ſuis titulis, ordine alphabetico diſpoſitis, ad Scriptores remittit, qui de ſingulis materiis aut integro libro opuſculoue, aut in aliis ſcriptis ſuis egerunt. Praefationem praemiſit SAM. STRYCKIVS, in qua tamen, vt plane ex ſententia noſtra iudicat REIMMANNVS, *in Catal. Bibl. theolog. p. 109.* Opus triginta annorum, quo ſpatio ter Elephantus peperiſſet, ex amore potius in Auctorem laudatum eſt, quam ex veritate. Sceleton enim eſt tantummodo corporis litterarii, quod carne ac ſanguine deſtituitur. Nec Bibliotheca eſt Academica, ſed farrago rerum variarum ad Academias ſpectantium; cuius tituli admodum ieiuni, interdum et illepidi, rebusque vel quotidianis, vel perpaucis, referti, vt Opus vix triginta dierum, nedum annorum totidem, videri queat. Simile inſtitutum ſeruauit Thurmannus in *Bibliotheca Canonicorum*, vbi de *Canonicis et Canonicatibus, eorumque Collegiis ſeu Capitulis,*

ſtatu

ſtatu et officiis, reſidentiis, ſtatutis, priuilegiis, praebendis, vicariis et quae eo pertinent, remiſſiue tractatur. *Ibidem eodemque anno* haec edita eſt cum Praefatione IOH. CHRISTOPH. HEROLDI. Sic exhibuit etiam *Bibliothecam Duellicam, ſeu Scriptores de barbara ac belluina duellandi conſuetudine, et quae eo ſpectant. Hal. 1700. 4*; *Bibliothecam Statiſticam, ſeu de auctoribus praecipuis, qui de ratione Status, Statiſtis, ſeu Status aliisque Miniſtris aulicis et Conſiliariis, nec non de Ambaſciatoribus, Reſidentibus et Mediatoribus Pacis, vt et de caſibus Miniſtrorum aulicorum tragicis et denique de bonis domanialibus ſcripſerunt, cum Praefat.* AHASV. FRITSCHII, *ibid. 1701. in 4*; *Bibliothecam Salinariam, de ſalibus, Salinis harumque iuribus. ibid. 1702. in 4.* Meditabatur alias *Bibliothecam Mercatoriam, Maritimam et Nauticam*, in qua quidquid ad Mercatorum negotia facit eadem congerere methodo volebat, eamque propediem euulgatum iri promiſerant Collectores *Nouorum litterariorum Hamburgenſium, m. April. a. 1703. p. 157.* Verum interierunt cum morte Auctoris, variis agitati fatis, haec atque alia, ſcilicet *Bibliotheca Bellica, Cameralis, Conſuetudinaria et Statutaria, Criminalis, Conſulentium, Decidentium, Diſputatoria, Feudalis, Fiſcalis, Hiſtorico-Iuridica, Imperatoria, Iurisdictionalis, Matrimonialis, Medico-Iuridica, Monetaria, Pacificatoria, Pontificia, Practica, Praecedentiarum, Publiciſtarum, Religioſa, Theologico-Iuridica*, itemque *Catalogus omnium ICtorum*, cuius meminit KOENIGIVS in *Biblioth. vet. ac noua, p. 806.* Cf. MEELFÜHRERI *Acceſſiones ad Almeloueen Bibl. promiſſ. ac latentem, p. 144. ſq.* En, Lector, conatus hominis, qui otium ſuum rebus conſecrare maioris momenti debebat! Quamquam enim, ſi editas ſpectemus Bibliothecas, iis non prorſus inutilis labor ſit, qui, dum certis inſudant materiis elaborandis, fontes quaerunt, quibus ſua irrigare prata poſſint; ad rei

tamen litterariae notitiam, quum nullus feruatus fit delectus, et promifcue Scriptores quicunque producti, non adeo proficit, quidquid per diuturnum aetatis curriculum collegerat Thurmannus.

§. XXII.

Agendum nunc de iis eft Bibliothecis, quae exquifitiores tantum eruditorum lucubrationes iufto ordine recenfent. Qua in re primas facile tenet ipfe STRVVIVS, cuius *Bibliotheca Iuris felecta* prodiit *Ienae, a. 1703. in 8.* poft *1705. 1710. 1714. 1720. et 1725. ibidem* recufa. Duas poftremas editiones emendauit paffim auxitque illuftris vir, CHRISTIAN. GOTTLIEB BVDERVS. Eidem nouam debemus, *Ienae 1743. in 8. mai.* diuulgatam, quae inter priores excellit, velut luna minores inter ignes, Scriptoresque in omni iure praecipuos adcurate indicat. Subfequuta eft *Bibliotheca felecta philofophica, in fuas claffes diftributa, ibid. 1704. 1707. et 1712. 8.* Acceſſerunt *a. 1714.* IOH. HENR. ACKERI *Supplementa*, ipfius Auctoris, Struuii, confilio typis impreffa, quae fuae deinceps editioni, denuo auctae, magna ex parte inferuit IOH. GE. LOTTERVS. Comparuit haec *ibidem a. 1727. in 8.* Tandem LVDOVIC. MARTIN. KAHLIVS V. C. precibus Struuii locum relinquens ornandae huius Bibliothecae curam fufcepit, eamque in *Tomos duos* difpertitam, quorum *primus* Philofophiae theoreticae, *alter* practicae Scriptores complectitur, *Gottingae a. 1740. in 8. mai.* edidit. Emendauit librum diligenter, et vltra dimidiam partem auxit, vt nunc demum fatisfactum eorum fit defideriis, qui ad guftandas hasce dapes accedunt. Vid. *die zuverläßigen Nachrichten T. I. P. 10. p. 725. fq.* Bibliothecam philofophicam excepit *hiftorica Ienae a. 1705. 8.* deinde aliquoties repetita, anno tamen primae editionis femper praefixo, Nouiffime foras data eft *ibid. a. 1740. Tomis II. in 8. mai.* a laudatif-

datiſſimo BVDERO ſic perpolita et inſtructa, vt vere ſcribere potuerit in Praefatione, vix prioris laboris veſtigia remanſiſſe. Cf. *Leipz. gel. Zeit. a. 1740. p. 532. ſq.* Hae ſunt Bibliothecae Struuianae, in quibus errores non paucos, temeraria iudicia permulta, ſphalmata fere infinita occurrere, GVNDLINGIVS notat *Hiſtor. philoſ. moral. cap. II. p. 18. in fine.* Quod verum quidem, ſi priores inſpiciamus editiones; interim tamen cauſſam Auctoris egit humaniſſimus Buderus in Praefatione, modo adducta. In re theologica habemus IOH. CHRISTOPH. DORNII *Bibliothecam criticam, ſecundum ſingulas diuinioris ſcientiae partes diſpoſitam*, cuius *Pars I. Frf. et Lipſ.* ſeu *Ienae* potius *a. 1721. Pars II.* autem *1723. in 8.* lucem adſpexit. Opus ob ſingularem, qua congeſtum eſt, induſtriam commendari meretur, quamquam nec ad finem perductum ſit integrum, nec naeuis quibusdam careat inſignioribus. Vid. *Acta Erud. Germanica T. VI. P. 72. p. 1084. ſq.* et BVDDEI *Iſagoge ad Theolog. vniuerſ. p. 91. in fine.* Iungi commode poteſt CHRISTOPH. MATTH. PFAFFII *Introductio in hiſtoriam Theologiae litterariam*, quae *Tomis III. in 4. Tubingae 1724. ſq.* prodiit. Primam enim editionem *a. 1720. ibid. in 8.* vulgatam, nemo forſan vſurpabit hodie, quum feſtinanti omnia calamo tunc temporis effuderit Auctor celeberrimus. Ad librorum theologicorum notitiam comparata maxime haec eſt Introductio, in qua ſaepius etiam obſeruationes ampliſſimae, et lectu digniſſimae exhibentur. Plura de eadem qui noſſe voluerit, is adeat *Acta Erud. Lat. a. 1724. p. 525. ſq.* et *a. 1725. p. 509. ſq.* *Theologiae ſymbolicae et catecheticae Bibliotheca*, concinno diſpoſita ordine, variisque obſeruationibus illuſtrata, ſtudio viri reuerendi, IOH. CHRIST. KOECHERI, diuulgata eſt *Wolfenbütteli, a. 1751. in 8.* Medicae autem artis cultoribus vtilem nauauit in hoc genere operam CHRISTIAN. GVIL. KESTNERVS, com-

 poſita,

poſita, *Ienaeque a. 1746. in 8. mai.* excuſa, *Bibliotheca medica, optimorum per ſingulas Medicinae partes Auctorum delectu circumſcripta, et in duos Tomos diſtributa,* quorum *prior* generalis eſt, varia de hiſtoriographis, biographis, bibliothecographis, lexicographis et methodographis medicis, de ſcriptoribus rei medicae claſſicis, de nouatoribus, reformatoribus, ſcepticis medicis caet. commemorans: *alter* vero ſpecialis praeſtantiſſimae farinae libros, pro diuerſitate partium Medicinae, in ſcenam producit. Adplaudunt Auctori doctiſſimo *Acta Erud. Lat. a. 1746. p. 620. ſq.* et ſub finem recenſionis ita iudicant: *Medendi ſcientiae cultoribus de meliori nota commendamus hanc Bibliothecam, non ſolum inſtructiſſimam, ſed etiam vbique fere conditam ſale ſani iudicii, adeoque dignam vbique, quae inter tot editas Bibliothecas variarum diſciplinarum locum teneat praecipuum. Sed vti fieri vix poteſt, vt tales ingenii foetus, qualis hic eſt, primo ſtatim partu pleni et maturi excludantur, nec quidquam per totum corpus macularum oſtendant, ita ſperandi cauſſam habemus, futurum, vt in hoc etiam libro, ſiue augendo et perficiendo, ſiue modis omnibus exornando, priuato ſtudio occupari pergat auctor optimus et de bonis litteris meritiſſimus;* quae vana tamen nunc ſpes eſt, eo a. 1747. viuentium ſocietati praemature erepto.

§. XXIII.

Sed praeter eos, qui generalem methodum praeſcribunt diſponendae rei litterariae, hic etiam inſeruire poſſunt, quos editos habemus, Catalogi Bibliothecarum, et priuatarum quidem; nam de publicarum Catalogis hoc loco nihil dicemus. Eiusmodi librorum notitiam ita neceſſariam eſſe viris doctis, vt mapparum Geographicarum cognitio peregrinaturis eſt, bene monet MORHOFIVS *Polyh. T. I. lib. I. cap. 18. princ.* ad CONRINGIVM ſimul prouocans et SPIZELIVM,

LIVM, qui hoc argumentum praecipue illustrarunt, hic nimirum in *Diss. praelim. Sacris Bibliothec. arcanis* praemissa, *§. 11. 12. et 13*; ille vero sub *Epistolae de Bibliotheca Augusta initium.* Inter hosce librorum indices vel ob iustam secundum disciplinas earundemque classes dispositionem, vel ob librorum praestantiam, non pauci aestimari debent, quos ordine chronologico iam recensebimus. Primus sit *Catalogus Bibliothecae Cordesianae*, hodie perrarus, quem GABR. NAVDAEVS, incomparabilis ille condendarum Bibliothecarum artifex, (vti eum CONRINGIVS vocat *l. c. p. 164. Collect. Maderianae*) adcurato ordine digestum edidit *Paris. a. 1643. 4.* Iohannes Cordesius enim, Canonicus Lemouicensis, heluo sane librorum, omnes opes suas impenderat in Bibliothecam hanc, eandemque insigni historicorum, praesertim exoticorum, quorum rarior alias est notitia, adparatu instruxerat. Laudatur igitur Naudaei opera a COLOMESIO in *Bibliotheque choisie, p. 458. sq. Operum, a Fabricio a. 1709. 4. collectorum*, et a MORHOFIO *l. c. cap. 5. §. 7.* vbi et librorum dispositio exhibetur. Cf. tamen quae supra hanc in rem dicta sunt *§. 18.* Succedat PETRI SCAVENII, Consiliarii quondam Regii, et Antecessoris in Academia Hafniensi, *Designatio librorum, in qualibet Facultate, materia et lingua rariorum, summa cura tum quoad librorum editionumue perfectionem, tum quoad eorundem compactionem, variis in locis in amorem patriae, et supplementum instructissimae Bibliothecae Regiae conquisitorum. Hafniae 1665. 4.* Accessit in fine Catalogus nonnullorum librorum, qui vel suppresso, vel ficto, Auctorum nomine prodierunt. Eorum vera indicantur nomina, indexque simul scriptorum alphabeticus subiicitur. Non conuenit hic inter COLERVM et LILIENTHALIVM. Ille enim in Analectis suis ad hunc locum ita differit: *De Scauenio vid. Bartholinus de script. Danor. p. 124. Errat*

autem Auctor noster, dum allegat Scauenii Designationem Bibliothecae Regiae Hafniensis, sed errauit, vt subinde alias, errorem Morhofii, quem detexit iam clar. Mollerus. *) Hic e contrario in Obseruationibus ad hunc Struuii librum *fallitur*, ait, *Morhofius lib. I. cap. 18. §. 70. quando Catalogum hunc Bibliothecae Regiae Hafniensis, a Scauenio confectum, existimat esse Catalogum Bibliothecae Scauenianae priuatae. Eundem errorem videtur Auctor noster errare, quod exinde liquet, quod inter catalogos bibliothecarum priuatarum, (quos vnice se hoc §. adducere voluisse dicit,) hunc etiam Catalogum referat, quum sit Catalogus Bibliothecae publicae.* Satis probabile est, neutrum hunc librum vidisse; nec ipsi inspeximus, rarissimum quippe ob exscriptorum exemplarium paucitatem, vti plures docuerunt, et nuper demum Collectores *der Vermischten Hamburg. Biblioth. Tomo III. p. 816.* Quantum tamen iudicare licet ex integro, quem protulimus, titulo, recte hic Scauenianus librorum index in priuatarum Bibliothecarum Catalogis reponitur, quum isthaec supellex a Scauenio collecta primum fuerit, post Bibliothecae Regiae Hafniensi adiuncta. Quocunque se res modo habeat, id certum est et exploratum, boni ordinis caussa magno in pretio hunc esse Catalogum eruditis. Eadem se ratione commendat omnibus *Catalogus Bibliothecae Thuanae, a Petro et Iacobo Puteanis ordine alphabetico primum distributus; tum ab Ismaele Bullialdo secundum scientias et artes digestus; denique editus a Iosepho Quesnell, Bibliothecario. Parif. 1679. in 8. Tomis II.* quae editio parum est obuia. Nouam parauit Christian. Liebezeit, bibliopola, *Hamb. et Lauenburgi a. 1704. in 8.* non Bremae, vt per errorem dicitur in GVND-

LIN-

*) Vid. *Morhofianus Polyhist. T. I. p. 212. edit. Fabric.* vbi autem sole clarius adparet, Colerum non intellexisse veram MOLLERI mentem in subiecta notula, ambigue scilicet expressam.

LINGII *Sermonibus litterar. ad Heumanni Conſpectum T. I. p. 568* Proſtant etiam exemplaria in *folii forma.* Cauendum ab hac eſſe ſecunda editione, vtpote valde vitioſa, contendit hoc loco COLERVS, teſtemque nominat ITTIGIVM *de Biblioth. et Catenis Patrum p. 127.* Aliter autem ſentit vir doctus, qui Catalogum Thuanum laudat in *Biblioth. hiſtorica Hamb. Centur. II. p. 44.* Et ſane credi quodammodo poteſt, nouam hanc editionem non adeo negligenter eſſe excuſam, eo nimirum, qui corrigendi negotium ſuſceperat, in monito eidem praemiſſo adfirmante, ex Pariſino exemplari, currente prelo, eoque extero, perfunctoria ſaltim opera aliquot millia ſphalmatum et errorum primigeniorum ſublata eſſe, quamquam per feſtinationem ob aduentantes nundinas, et ſubſidiorum defectum, omnes delere maculas non licuerit. Praeter ordinem autem litterarium, in quo ſectarum etiam, nationum atque aetatis ſcriptorum habita ratio fuit, locatis praeterea ſub ſpecialibus titulis Auctoribus, vt ſtatim occurrant, qui de eodem argumento egerunt, quod locorum inſtar communium eſſe poteſt, varias ob cauſſas quam plurimis aliis anteponendus eſt vtique Catalogus iſte, et 1.) quidem ob ingentem librorum numerum, quandoquidem, QVESNELLIO referente *in Praefatione*, ſola eorundem compactio viginti millibus ſcutatorum nummorum et amplius conſtitit: 2.) ob ſtupendum MStorum Codicum, tam antiquorum, quam recentiorum, qui recenſentur illic, adparatum: 3.) ob ſelectum librorum in eo conſpicuum; non enim niſi optimi et praeſtantiſſimi omnium ſcientiarum artiumque ſcriptores exhibentur: 4.) ob delicatiſſimas ſplendidiſſimasque Auctorum editiones, quorum cultui nequid deeſſet, vbi deerat candida et maior charta, in regiones etiam longinquas talem mitti non ſine ſumtu curatum eſt. Mirifice igitur, propter has, ſimilesque dotes, Catalogus hic eruditis placuit. Sic LV-

DOV. IACOBI a ST. CAROLO in *Traité des plus bell. Biblioth. p. 567.* inter alia *Cette Bibliotheque*, ait, *possede plus de 8000. volumes des plus rares et curieux, qui ont été recherchez dans l'Europe, avec une dépense excessive, lesquels sont tous reliez en marroquin et veau dorez, qui est encore une autre grande sumptuosité de ce Parnasse des Muses. Quant aux Manuscrits, il y en peut avoir milles tous de grande consideration, lesquels servent journellement aux impressions, comme il se voit par les livres.* Cf. BAILLET *Jugem. des Sav. T. II. P. I. p. 227. edit. Amst. in 8.* MORHOF. *lib. I. c. 5. §. 11.* et *c. 18. §. 69.* CASIMIR. OVDINVS in *Supplem. ad Bellarm. p. 177.* et IOH. FRID. MAYERVS in *Biblioth. biblica p. 16.* Nec tamen venustum hoc corpus plane est sine naeuis, quorum aliquos memorabimus, quamquam non diminuant illius dignitatem. In *Parte* quippe *I. p. 167.* Theodor. Cornhertius inter Lutheranos, paulloque post Ioh. Gerhardus inter Caluinistas refertur, item *p. 309.* Iustini Pertuchii Chronicon Portense *(von der Schul-Pforte bey Naumburg)* rerum Neapolitanarum scriptoribus additur; quod in Lauenburgensi editione mutatum, Chronico isto rectius inter Historicos Saxoniae collocato: Tum in *Parte II. p. 222.* Laurent. Antiquus, scriptor recentior, inter Grammaticos veteres exstat; et *p. 413. sq.* ex vno Angelo Roccha duo sunt facti: Alia exempla, ne multi simus, silentio praeteruehimur. Vid. praeter MAYERVM *l. c.* MEIBOMIVS *Ad itam ad Voglerum p. 163.* et Auctores *des ausführl. Berichts von neuen Büchern p. 962. Barberinianae Bibliothecae Catalogum* neque Morhofius, neque Struuius, neque alii rei litterariae Scriptores tetigerunt, forte quia tam rarus est, vt in paucissimorum apud nos manibus versetur. Titulus Operis hic est: *Index Bibliothecae, qua Franc. Barberinus, S. R. E. Cardinalis Vice-Cancellarius, magnificentissimas suae familiae ad Quirinalem aedes magnificentiores reddidit. Tomi III. libros typis*

pis

pis editos complectentes. Romae, typis Barberinis 1681. in f. Hic praeclara ſunt omnia: ordo, copia, delectus, forma, vſus. Monendum autem, reuera duos ſaltim Tomos prodiiſſe, non tres, vti eſt in titulo; neque enim tertius, qui recenſere MSta debebat, lucem vnquam vidit. Cf. *Biblioth. Mencken. p. 5. edit. ſec.* et IOH. HENR. VON SEELEN in *Orat. de praecocib. erud. p. 16. ſq.* De Bibliotheca hac Barberiniana ita iudicat VGHELLVS *T. II. Ital. ſacrae fol. 1000.: In eius* (Barberini) *ad decus Vrbis excitata Bibliotheca, tamquam in vberrima penu, pretioſa melleaque venerandae antiquitatis reconduntur monumenta, ac litterarum pene omnium labores, et ingenia ad aeternitatem conſecrantur.* De ipſo Barberino, cum Franciſco Barberino, poeta, de quo BAELIVS in *Dictionario*, haud confundendo, vid. SAMMARTHANVS in *Gallia Chriſtiana Tomo I. p. 102.* Non tam ad ordinem, quam ad ſelectum potius, atque libros rariores noſcendos facit *Catalogus Bibliothecae*, quam NIC. HEINSIVS collegit. Editus eſt L. B. *a. 1682. in 12. maj. Partibus duabus*, dignumque eum habuit Schurzfleiſchius, quo fundamenti loco in lectionibus litterariis de notitia auctorum vteretur. Calamo exceptae paſſim hae circumferebantur olim; nunc plurima ex parte diuerſis libris vulgatae ſunt a GODOFR. WAGNERO. Cf. MORHOFIVS *Tomo I. lib. 1. cap. 18. §. 70.* qui Catalogum Heinſianum a viris doctis magni eſſe aeſtimandum ſcribit ob exquiſitos, qui illic recenſentur, libros tam editos, quam ineditos et MStos, nec non manibus Scaligeri, Salmaſii, aliorumque criticorum notatos. Inſtructiſſimam ſibi Bibliothecam comparauerat IO. GVALTERVS Cardinalis SLVSIVS, quam ordinauit, eiusdemque *Catalogum*, parum nunc obuium, iuſſu fratris, Petri Aloyſii Baronis Sluſii, *Romae 1690. in 4.* excudendum curauit FRANC. DESEINE. *Quinque* continet *Partes* generales, ita, vt *prima* libros producat theologicos, *altera* iuridicos,

tertia medicos et philoſophicos, *quarta* hiſtoricos, cum ſacros, tum profanos, *quinta* litterarios et miſcellaneos. Singulae hae Partes ſuas iterum claſſes habent, in quibus Scriptores alphabetico ordine fuerunt diſpoſiti. Commendatur ob inſignium in quauis diſciplina librorum, Hiſpanica quoque lingua, copiam, et optimum ordinem, a MEIBOMIO *l. c. p. 164.* Cf. *Acta Erud. Lat. a. 1691. p. 23.* Codicum MStorum Indicem videmus in MONTFAVCONII *Bibl. MStor. T. I. p. 175. ſq.* Potiſſimae deinceps Sluſianae Bibliothecae opes in illam Cardinalis Imperialis delatae ſunt, de qua PHIL. a TVRRE in *Praef. Monumentis veteris Antii* praefixa: *De Cardinale*, inquit, *ampliſſimo*, *Ioſepho Renato Imperiali*, *nunc loquor*, *qui cum magnas virtutes*, *et excelſas vndequaque dotes in cenſu animi numeret*, *vt rem quoque litterariam patrimonium ſuum faceret*, *Bibliothecam numero et praeſtantia voluminum inſtructiſſimam*, *maximam ſcilicet et nobiliorem celeberrimae Sluſianae partem propriae ſuperaddidit.* Abunde id probat (licebit enim, nexus cauſſa, ab ordine hic electo recedere non nihil) *Bibliothecae*, *a Ioſepho Renato Imperiali congeſtae*, *Catalogus*, *ſecundum Auctorum cognomina*, *ordine alphabetico diſpoſitus*, qui vna cum altero ſcientiarum et artium Catalogo prodiit *Romae a. 1711. in f.* Tomum ſecundum, ab Abbate GIORGI adornatum, ſub prelo eſſe perhibent *die Leipz. gelehrt. Zeit. a. 1736. p. 402.* ſed, quantum ſciamus, conatus iſte non eſt ad exitum perductus. Primas haec Bibliotheca origines ſuas debet Laur. Imperiali, quo mortuo ad Ioſephi Renatum, e fratre nepotem, peruenit tota, qui theſaurum illum et ſtudioſe adſeruauit, et magnis impenſis partim ex Sluſianae acceſſione, vt paullo ſupra diximus, partim ex Marcelli Seueroli adparatu, partim ex conquiſitis vndique nouis ſubſidiis locupletauit. Confecit autem Catalogum IVSTVS FONTANINVS, dexterrimus per longum temporis ſpatium

tium diuitiarum iſtarum cuſtos, poſt Epiſcopus Ancyranus, qui praeclarum penſum nouem et amplius annorum induſtria atque labore feliciter abſoluit. Ipſe iam titulus ſatis indicat, duplicem hic reperiri Catalogum, alterum Auctorum nominalem, alterum ſcientiarum et artium realem. Atque in priori quidem adcuratiſſimus Anonymorum ac Pſeudonymorum ſimul cenſus inſtituitur, hique, detracta larua, tam ſub vera, quam ſub ficta adpellatione, dantur conſpiciendi. In deſignatione contra poſteriore, quam, vt alibi monuimus, ſuae *Scriptorum de bene ordinanda Bibliothecae Collectioni* celeberrimus inſeruit KOELERVS, integra res libraria, Sluſiani Catalogi methodo, ad quinque claſſes praecipuas, Theologiam videlicet, Iurisprudentiam, Philoſophiam, quae et Medicinam complectitur, Hiſtoriam et Polymathiam, ſeu Grammaticam, reuocatur, ſingulis in plura capita, atque his iterum in permultas alias ſectiones diuiſis. Quibus omnibus ſubiectus eſt index abſolutiſſimus. Vid. omnino *Acta Erud. Lat. 1714. p. 218. ſq.* et KOELERVS *l. c. in Praefatione*. Obiter adhuc notamus errorem BASNAGII, qui in Diario, *Hiſtoire des Ouvrages des Savans* inſcripto, *a. 1708. p. 411.* non ſolum hunc ipſum Catalogum, velut iam tum editum, adlegat, ſed et epicriſin paullo duriorem adiicit, caſtigatus ideo a non nullis. Cf. *Neuer Bücher-Saal, Tomo I. P. 2. p. 167.* Inter inſigniores quoque praeteriti ſaeculi Catalogos ob librorum numerum, praeſtantiam, ſelectum atque diſpoſitionem numerandus eſt *Catalogus Bibliothecae Tellerianae, Pariſ. 1693. f.* a CLEMENTIO, Bibliothecae Regiae Pariſienſis cuſtode, compoſitus, et vel ideo laude dignus, quod forma ſit diſpoſitionis, quae de ipſa Bibliotheca Regia olim ſperabatur in publicum edenda. Eminet vero potiſſimum in libris ad Theologiam atque Hiſtoriam eccleſiaſticam facientibus. Certe magno labore ſumtuque a reuerendiſſimo CAROLO MAVRITIO LE

TEL-

TELLIER comparata eſt Bibliotheca illa, maxime quum ipſe in Italia, Belgio et Anglia peregrinaretur, et Galliam perluſtraret. Imo ſaepius viros doctiſſimos, et ſagaciſſimos librorum indagatores, varias in prouincias allegauit, qui largam ſubinde atque praeclaram optimorum ſcriptorum ſegetem aſportarunt. Singularis etiam acceſſio facta eſt ad Bibliothecam illam ſplendidiſſimam ex teſtamento viri docti, Anton. Faure, Pariſiis a. 1689. denati. Refert haec omnia, et plura, ipſe illuſtriſſimus poſſeſſor in Praefatione. Caeterum ſequens in laudato Catalogo obſeruatus ordo eſt, vt primum de Theologia, deinde de Iurisprudentia, mox de Hiſtoria, tum de Philoſophia, Medicina etAttheſi, poſtremo de Litteratura politiori agatur, quibus omnibus accedunt Miſcellanea, cum indice Auctorum multo locupletiſſimo. Certe ſi quis alius, hic ſane Catalogus rei litterariae ſtudioſis vſum praeſtat incomparabilem; paſſim etiam Anonymos et Pſeudonymos hic detectos inuenias, quos alibi fruſtra quaeſiueris. In primis autem de rariſſimis aeque ac praeſtantiſſimis libris adcuratam vbiuis pene notitiam deprehendere licet, quae itidem vix occurret apud alios. Cf. *Acta Erud. Lat. a. 1694. m. Octobri p. 353.* Sunt, qui Catalogum eum maioris, quam Thuanum, aeſtimant, quia plures materiae ſpeciales in illo fuerunt ſegregatae. *Catalogus Bibliothecae* FRID. BENED. CARPZOVII, Polyhiſtoris Lipſienſis, *a. 1700. in 8. Partibus II.* editus, inſignibus in omni diſciplinarum genere libris, maxime autem in humanioribus litteris, excellit, et optimo diſpoſitus eſt ordine. Librorum numero multis inferior quidem, at propter egregiam, qua BVRMANNVS in eo contexendo vſus eſt, methodum plurimos longo poſt ſe interuallo relinquit *Catalogus Bibliothecae* PETRI FRANCII, Oratoris apud Belgas clariſſimi, *Amſtael. 1705. 8.* Vid. *Neue Hälliſche Bibliothec T. I. p. 616. Gudianae Bibliothecae Catalogus,* qui

qui *Hamb. 1706. in 4.* prodiit, secundum disciplinas formatus non minus est, sed modo haud conuenienti satis, quamuis de caetero libri in illo recensiti et selecti sint, et rari, syllabus etiam Codicum MStorum quadringentorum et amplius, quorum non pauci sunt antiqui ac probae notae, exhibeatur. Vid. *Noua litter. German. 1706. pag. 224.* De *Catalogo librorum* IOACH. FAVLTRIER, quem litterarum peritissimus bibliopola, PROSPER MARCHANDVS, *Paris. a. 1709. in 8. mai.* luci exposuit, haec exstant in *Actis Erud. Lat. Supplem. T. V. p. 371. Inter instructissimas Bibliothecas, passim hactenus publice diuenditas, - - - Faultrieriana haec singularem laudem meretur, quod a doctissimo Marchando - - - - ordine plane singulari, et hactenus vix in Catalogis similibus conspicuo, digesta est. Is enim Systema bibliographicum plane nouum, et ab aliis diuersum excogitauit, quod cum integrum aliquando edere constituerit, nunc breuiter in praemissa Praefatione explicat. Pars I. Bibliothecae Schraderianae*, cura LIEB. PHIL. ZEISOLDI *Dresdae a. 1710. in 8.* typis impressa, vel ideo memorabilis est, quod raro exemplo cuilibet fere libro iudicia, ab eruditis hominibus de eodem lata, subiuncta sunt. Cf. KOCH *de ordinanda Biblioth. p. 82. Bibliothecae Bultellianae Catalogum*, ab Auctore GABRIELE MARTIN, bibliopola Parisiensi, digestum editumque *Paris. 1711. in 12. Partib. II.* paucis describunt *Acta Erud. Lat. 1713. p. 329.* Complectitur libros in Facultates suas distinctos, quarum vnaquaeque plures habet titulos specialiores. Ordinem autem formarum Auctor obseruare nullum voluit, sed promiscue libros omnes secundum argumentorum seriem indicauit. Minutam prope in eo diligentiam fastidias. Haud vulgari porro plausu excepti fuerunt *Catalogus Bibliothecae Ittigianae, Lips. 1711. 8. Catalogus Bibliothecae Roeschelianae, Vitemb. 1713. 8*; *Catalogus Bibliothecae Mayerianae, Berol. 1715. 8*; *Catalogus*

Bibli-

Biblioth. Baluzianae, *Parif.* 1719. 8. *Partibus III.* quarum vltima Codices MStos, Diplomata et Collectanea comprehendit, caeterisque rarior eft; *Catalogus Bibliothecae du Boifianae, Hag. Comit.* 1725. 8. *Partibus IV*; *Catalogus Bibliothecae* ERNESTI SALOM. CYPRIANI, *Gothae* 1726. et auctior *Lipf.* 1733. 8. de quo v. COLERI *Antholog. T. I. fafc.* 2. *p.* 101. *fq.* *Catalog. Biblioth. Menckenianae Lipf. a.* 1727. 8. ex *edit. altera* priori longe anteferenda, cum praefixa noua Praefatione, ob fomnium fingulare notabili, cf. idem *l. c. fafc.* 6. *p.* 424; *Catalogus Bibliothecae Marckianae*, *Hag. Comit.* 1727. *in* 8. Stupendo haec editionum Aldinarum numero, magna item copia cum earum, quae primis inuentae typographiae annis prodierunt, tum Iuntinarum et Stephanicarum, repleta fuit. *Anno* 1729. *fq. Francof. ad Moenum* ZACHAR. CONRAD. ab VFFENBACH, vrbis patriae Scabinus ac Senator, pofteritatis memoria digniffimus, vulgauit *Tomis IV. in* 8. *Bibliothecae fuae*, per viginti quinque annos mira felicitate collectae, *Catalogum vniuerfalem*, quo ipfo praeftantiffimas merces fuas venales expofuit, adfcripto libris fingulis pretio, paffim tamen immodico, quod LILIENTHALIVS monet *Biblioth. theolog. T. II. p.* 76. fuoque exemplo confirmat. *T. I. p.* 757. *fq.* accedit Adpendix ampliffima, prohibitorum ac fufceptorum librorum indicem fiftens: Tomus autem III. MStos Codices totus continet, quorum iam bona pars, methodo Lambeciana confignata, cum notis partim IOH. HENR. MAII, partim ipfius VFFENBACHII, eosdem infigniter illuftrantibus, recenfita fuit in Opere fingulari, *Hal. Magd.* 1720. *in f.* excufa. Vid. omnino *Acta Erud. Lat. a.* 1721. *p.* 233. *fq.* et *a.* 1731. *p.* 270. *fq.* Cf. *die Haellifche vermifchte Bibl. P. XIV. p.* 86. *fq.* Catalogum hunc Vffenbachianae Bibliothecae excepit alius, *Frf. ad M.* 1735. *Tomis* itidem *IV.* at molis longe minoris, *eadem forma*, editus, librosque auctione publica diuenden-

den-

dendos exhibens, qui vel antea non inuenerant emtores, vel reſeruati fuerant a poſſeſſore, aut poſt prioris Catalogi editionem comparati. Lege hanc in rem *die Leipz. gel. Zeit. a. 1735. p. 95.* Hi ipſi Commentarii litterarii *a. 1730. p. 315.* vehementer etiam laudant *Catalogum Bibliothecae Hülſianae, Partibus VI. in 8. maj. Hagae Comit. 1730.* prelo liberatum. Cf. tamen STOLLII *Nachrichten von den Büch. ſeiner Bibl. P. V. p. 452. ſq.* Addimus *Catalogum Bibliothecae Gundlingianae, Halae Magd. a. 1731. Part. II. in 8; Catalogum Bibliothecae Daneſchioldianae, Hafniae 1732. in 4.* cui et decus conciliat pulcherrima Mapparum geographicarum, Codicum manu exaratorum, ac Numiſmatum antiquorum ex auro, argento et aere cuſorum, collectio; *Catalogum Bibliothecae Plothonianae, Berolini 1732. Part. II. in 8.* praeclaro maxime Deductionum, vt vulgo loquimur, adparatu inſtructiſſimum; *Catalogum Bibliothecae Gribnerianae, Lipſ. 1734. 8. Part. II; Catalogum Bibliothecae Ioh. Alb. Fabricii, Hamburgi 1738. ſq. Part. IV. 8.* quarum poſtrema libros MStos indicat, icones, inſtrumenta quaedam mathematica, et alia; *Catalogum Bibliothecae Hoffmannianae,* cum elegantiſſima Praefat. IO. GVIL. de BERGER, *Vitemb. 1740. in 8. Part. II,* quem ſequutus eſt *Budiſſae 1751. eadem forma Catalogus MStorum Jus publicum et priuatum, itemque Hiſtoriam illuſtrantium, ex Bibliotheca Hoffmanniana; Catalogum Bibliothecae Ryſſelianae,* iudiciis inſtructum a poſſeſſoris filio, FRID. IAC. de RYSSEL, *Vitemb. 1742. in 8. Partibus III.* quae omnes iuſtum volumen conficiunt; *Catalogum Bibliothecae Schoenbergianae, Amſtael. 1743. in 8. Tomis II; Catalogum Bibliothecae Burckhardianae, Helmſt. 1743. et 1744. Partib. IV.* elegantiſſime editum *in 8.* nouoque nuper *Muſei Burckhardiani* titulo adiectis, praeter Auctorum indicem, non nullis lectu digniſſimis, cura illuſtris Fratris, qui Sereniſſimo Brunſuicenſium Duci a Conſiliis Iuſtitiae intimis eſt, egre-

egregie ornatum, ita quidem, vt Bibliothecam dicti Musei *Tomus* I. exhibeat, *Tomus* vero II. Numophylacium locupletissimum complectatur; Catalogum *Bibliothecae Ludewigiane*, variis obseruationibus et ipsius LVDEWIGII, et IOH. DAVID MICHAELIS, editoris, adauctum, *Hal. Magd.* 1745. *Tomis II. in 8.* cui accessit *praestantiorum MStorum Notitia*, quam celeb. vir, SIGISM. IAC. BAVMGARTEN, *ibid.* 1749. *ead. forma* sermone vernaculo luci exposuit; *Catalogum Bibliothecae Rinckianae*, nunc ab illustrissimo Palmio, Ministro Caesareo, emtae, *Lips.* 1747. *in 8. mai.* quem debemus laudabili studio amplissimi GLAFEY, qui non solum in Praefatione instituti rationem fusius docuit, sed saepius etiam eruditas libris notas adspersit, ad historiam eorundem, editionumque praestantiam pertinentes; *Catalogum Bibliothecae Platnerianae Part. III. Lips.* 1748. *et* 1749. *in 8; Catalogum Bibliothecae Grammianae*, libris maxime historicis ac philologicis conspicuae, *Hafn.* 1748. *in 8; Catalogum librorum et opusculorum*, quae comparauit vir humanissimus, IAC. BVRCKHARDVS, *Hal. Magd.* 1748. 8. Praefixa est vberior *de vita eius* Commentatio, ad quam *Analecta*, cum *Supplementis Catalogi*, *ibid. a.* 1749. *et* 1751. prodierunt. His adiungendi nunc merito *Catalogi Bibliothecarum Bunauianae* ac *Brühlianae*, quorum ille *Lips.* 1750. *in 4. mai.* hic *Dresdae eod. a. in f.* splendidissime diuulgatus est. Prioris tria, posterioris duo nunc volumina exstant, quae vt reliqua mox sequantur, ciuitatis litterariae caussa optamus. Omnes enim sapientiae thesauri in has congesti Bibliothecas videntur, Bunauianam cumprimis, intra triginta, et quod excedit, annos ad summum perfectionis culmen euectam, cuius Index, ipsius illustrissimi Comitis ductu atque auspiciis, a clarissimo FRANCKIO partim confectus iam, partim adornandus in posterum, si quando fuerit absolutus, librorum adparatu, dispositionis

prae-

praeſtantia, ac denique pretio ſuperabit omnes, quos vidimus vnquam, priuatarum Bibliothecarum Catalogos. Claudimus nunc riuos hosce, remittentes, qui haurire plura voluerint, ad pleniſſimum fontem, laudati ſcilicet *Catalogi Bunauiani Tom. I. Vol. 1. p. 858. ſq.* Hoc ſaltim de libris eiusmodi eſt monendum, non in omnibus ad iſtos vel totius rei litterariae, vel aliarum Bibliothecarum, ordinationem fieri poſſe. Diſponuntur enim illae pro conditione ſua, quae variat saepius, adeoque magnum hac in re adhiberi debet iudicium.

§. XXIV.

De ordine quidem diſponendarum Bibliothecarum *) varios modos tradit MORHOFIVS *T. I. lib. 1. cap. 5.* Obſeruaſſe tamen iuuabit, aliter conſtituendam Bibliothecam, aliter ordinandam rem litterariam et excerpta, quae ex eadem fieri debent. In illa partes tantum diſciplinarum ſpeciales veniunt conſiderandae: haec ad magis ſingularia extenduntur. Generalis quidem diſpoſitio vbique ſeruanda, ita, vt Bibliotheca ſit vel theologica, vel iuridica, medica, philoſophica, philologica, hiſtorica, mathematica, Rabbinica et linguarum orientalium. In ſingulis certae fieri debent ſectiones, quae tamen ſpeciales magis in excerptis rei litterariae, quam in diſponenda Bibliotheca. Exemplo nobis ſit Bibliotheca theologica, quae diuiditur vulgo in biblicam, patriſticam, exegeticam, moralem, catecheticam, ſymbolicam, polemicam, homileticam, aſceticam, dogmaticam, myſticam, hiſtoricam, caſuiſticam, practicam, theologiae Marianae ſcriptores, rituales, heterodoxos, caetera. Haec diſpoſitio ſufficere poteſt in Bibliothecis ordinandis, maxime, ſi etiam ad religionem reſpiciamus, ita, vt Luthe-

*) Cf. ſupra dicta §. XVIII.

Lutheranorum, Caluinianorum, Pontificiorum et haereticorum ſcripta ſeparatim collocentur. Sed in rei litterariae excerptis chronologiae et ſaeculorum, nationum, religionis, magnitudinis libri, idiomatis, diſpoſitionis, tractationis, habenda ratio erit. Inſerenda etiam librorum fata memorabilia, qualia ſunt refutationes et vindiciae, raritas, confiſcatio, deprauationes, plagia; locus ac tempus excuſi libri, typographus, editiones variae, acceſſiones et ſimilia ſingularia prorſusque ſpecialia. Sic generalis eſt claſſis Bibliothecae exegetica, vbi promiſcue, obſeruato tantum religionum diſcrimine, conſtituuntur omnes. Generales primum, qui commentariis ſuis vniuerſa expoſuerunt Biblia, poſt hos ſpeciales, qui in ſingulos modo libros obſeruationes ediderunt. Res vero litteraria vlterius progreditur, et inter exegeticos conſiderat primum Patres, ſecundum ſaeculorum ordinem, quales in Euangelia habemus, item Catenam Graecorum Patrum: dein, qui Paraphraſes fecerunt, e. g. Eraſmum Roterodamum, Theodorum Bezam, Eraſmum Schmidium: tertio loco eos, qui ſenſum theologicum eruunt, vt Calouium in Bibliis illuſtratis, ex Pontificiis Cornelium Ianſenium, ex Reformatis Friderici Spanhemii Dubia euangelica diſcuſſa et vindicata: quarto veniunt illi, qui Harmoniam Euangeliorum oſtenderunt, vbi obuenit inter Lutheranos Harmonia Lyſero-Chemnitio-Gerhardina, inter Reformatos Harmonia Ioh. Clerici, inter Pontificios Ioh. Maldonati: his ſuccedunt, qui textum philologice ſunt interpretati, Grotius, Heinſius, Ligthfootus, aliique, et ſic porro. Magis adcurata diuiſio locum adhuc habet in Scriptoribus hiſtoricis. Singularem methodum ſeruauit Bailletus, quam adducit MORHOFIVS *Polyh. T. I. lib. 1. cap. 5. §. 13* ipſeque luculenter oſtendit in *Epiſtola de indice Bibliothecae Lamonianae priori a ſe confecto*, quae ſubiecta *iudiciis eiusdem de viris doctis*

 (Iuge-

(Jugemens des Savans) *T. I. P. 2. p. 140. ſq. edit. Amſtael. in 8.* Duplicem hic indicem dictae Bibliothecae, cui praefectus erat, adornauit, alterum alphabeticum, alterum realem. *Primum*, inquit MORHOFIVS *l. c.*, *ordine alphabetico omnes libros digeſſit, non omiſſis etiam illis, qui in vaſtioribus voluminibus aliis commiſti continentur. Deinde in titulis ordinem chronologicum et geographicum obſeruauit: Titulorum materias vberiores capitibus, capita paragraphis, paragraphos numeris, numeros articulis, et hos ſectionibus diſtinxit. In titulis regionum primo locorum chorographiam ac topographiam, deinde religionem ac mores, tum eccleſiaſtiam hiſtoriam, poſtea heterodoxiae hiſtoriam, obſeruauit. Sequuntur rerum ſingularium in re publica geſtarum, negotiorum ciuilium, Statutorum ſcriptores, hiſtoria litteraria, ac denique Miſcellanea.* Videmus nunc, quot ſectiones dentur in excerptis litterariis hiſtoriae ſpecialis, quum in Bibliotheca ſufficiat, ſi Scriptores de rebus Hiſpaniae, Galliae, Belgii caet. coniunctim collocentur. Quodſi igitur certa diſciplina ordine litterario ſit disponenda, primo ſane loco exſtare debent *Prolegomena* de Scriptoribus iis, qui iam talem Bibliothecam ſpecialem ſuppeditarunt, vel de vitis clarorum egerunt virorum, qui in iſta diſciplina prae caeteris commendari merentur. *Caput primum* aperiet ſemper fontes, e quibus hauriuntur, quae ad hanc diſciplinam pertinent. In theologicis praecipue ſpectanda S. Biblia, horumque editiones diuerſae. In Iurisprudentia habemus Corpus Iuris et Romani, et Canonici, variasque Conſtitutiones gentium atque prouinciarum particularium. In re medica antiqui iſti ſunt, Hippocrates, Galenus, aliique: in philoſophicis Ariſtoteles, Plato, atque ex recentioribus Carteſius, Gaſſendus, et ſimiles. Tales enim primas ſemper partes obtinent, quum ſine iſtis non intelligamus rite, quid faciat ad diſciplinam. *Alterum Caput* conſtituent commentato-

H 2 res,

res, qui hiſtoriam, ideas, ſyſtemata vel polemica certae diſciplinae tradiderunt. Quo facto producendi ſunt in medium, qui integris de aliqua diſciplina inclaruerunt operibus, atque tunc demum vel ad ſpeciales diſciplinae partes debemus progredi, de quibus tamen, quum variet diſciplinarum ordo, certae praeſcribi regulae haud poſſunt. Sic a fontibus ordine naturali procedendum eſt ad reliqua, prout exemplo ſunt omnes, quas Struuius in lucem olim emiſit, Bibliothecae. Non nunquam etiam, praeter diſciplinarum partitionem, in theologicis praeſertim, philoſophicis et philologicis, ad Miſcellaneorum claſſem erit attendendum, quum tam diffuſa ſit res litteraria, vt ſolitae alias diſpoſitiones, adcuratiſſimae licet, non vbique locum inueniant. Saepe liber quidam varia tractat, adeoque ad plures claſſes merito poteſt referri: ad primam ergo, quo ſpeciatim pertinet, transferamus ſigillatim, in reliquis remittendo tantum ad priorem. Ipſi autem libro, in excerptis noſtris notato, addamus ſtatim de eodem iudicia, ſciagraphiam ac reliqua, vt infra de excerptis rei litterariae fuſius dicetur. Iuuabit hisce adpendiculam ſubiicere LILIENTHALII, ita ſcribentis: *Quae hic Auctor noſter conſilia dedit, ſatis quidem bene ſeſe habent: dantur hic tamen tot ſententiae, quot capita, et vix eruditi in ordinandarum diſciplinarum methodo conſtituenda conueniunt. Exempli loco ſit Politica, quae quomodo ſit diſponenda, aliter ſentit Naudaeus, aliter Boeclerus, aliter Boſius, aliter Schurtzfleiſchius, aliter Schubartus, aliter Struuius, aliter denique Iochius, qui in Prodromo Bibliothecae Politicae ſententiarum diuortia Cap. I. adduxit. Id ergo quidem Bibliothecae cuiusdam ſcriptor agere debet, vt rectum ſeruet ordinem, et ſingula ad ſuas claſſes redigat, ne confuſio temere oriatur: quomodo autem iſta ſint diſponenda, hoc regulis certis praeſcribi nequit, ſed vniuscuiusque iudicio eſt relinquendum.*

§. XXV.

§. XXV.

Hae igitur ſunt litterariae rei generalia. Neque tamen in ſolis libris illa conſiſtit, verum etiam in Bibliothecarum notitia, MStorum cognitione, fatorumque, quae experti ſunt eruditi, horum controuerſiis, nouis opinionibus, caetera. Et Bibliothecarum quidem notitia vtilis eſt, vt ſciamus, vbinam librorum rariorum theſauri deliteſcant, et vnde, ſi opus habeamus iisdem, illos arceſſere debeamus. Cognitio MStorum varias ob cauſſas eſt paranda, 1.) quia vberrimam cum eruditis diſſerendi materiam ſuppeditant, num antiqua ſint ac genuina, qua occaſione ars dignoſcendi MSta omnino requiritur: 2.) quia cardo rei verſatur in hiſtoria cum primis; haec autem ex MStis maxime ac Diplomatibus antiquis eſt eruenda: 3.) quia iudicium ex codicibus manu exaratis ferendum eſt, ſi variantes lectiones, aut menda, in Auctoribus occurrant: 4.) quia eruditorum haud pauci nil typis diuulgant publicis, ſed, ſi quae ſcripſerint, in ſcriniis ſuis abſcondunt, cf. *Obſeruat. ſelect. Halenſes Tomo X. p. 191. ſq.* Fata ac vitae doctorum virorum quantum rei litterariae praeſtent vtilitatis, cum LVCAS HOLSTENIVS *cap. I. de vita Porphyrii* in *Vol. IV. Biblioth. Graecae Fabric.* tum MORHOFIVS fuſius exponunt *T. I. lib. 1. cap. 19. in princ.* Scilicet multa exinde addiſcuntur, quae vitam neceſſariam et theoreticam, et practicam, formare poſſunt; varia ex illis arcana et ſingularia notare licet, nobis alias incognita; conuerſationis eruditae inſtituendae ratio intelligitur ex iisdem et iuuatur egregie. Ad opinionum denique notitiam quod attinet, nec ea carere poſſumus facile, ſi ſcire velimus, num hypotheſis prolata vetuſta ſit an recens, an nou-antiqua; quid commodi vel incommodi in Re publica litteraria procrearit, et ſic porro. Haec autem omnia ex probatorum virorum ſcriptis, ex Ephemeridi-

bus, ex Bibliothecis et Bibliopoliis, ex familiaritate cum eruditis, hauriuntur, quae vt explicemus copiosius, ac de methodo comparandi selectiorem librorum notitiam, fructibusque ex frequentiori Bibliothecarum vsu percipiendis, ordine item in disponendis libris seruando agamus, de Bibliothecis non solum in genere, maxime antiquis, nunc deperditis, sed recentioribus etiam ac praecipuis nostra aetate, primum edisseremus, vt ab his eo felicior detur progressus ad reliqua historiae litterariae Capita.

CAPVT SECVNDVM

DE

BIBLIOTHECIS IN GENERE, ET ANTIQVIS, NVNC DEPERDITIS.

§. I. Scriptores de Bibliothecis in genere.

§. II. Ioach. Ioh. Maderi, et Ioh. Andr. Schmidii Collectiones de Bibliothecis.

§. III. Scriptores, qui aliquas saltim Bibliothecas in itinerum relationibus depinxerunt.

§. IV. Sub Bibliothecae nomine quaenam comprehendantur.

§. V. Bibliothecae quam originem habuerint.

§. VI. Bibliothecae anti-diluuianae nunquam fuerunt.

§. VII. Prima Bibliothecarum cura ab Aegyptiis petenda.

§. VIII. De Bibliotheca Alexandrina.

§. IX. De Bibliotheca Attalica Pergamenorum.

§. X. De Bibliothecis Persarum, Hebraeorum et Syrorum.

§. XI. De Bibliothecis Graecorum.

§. XII. De primis Romanorum Bibliothecis vsque ad tempora Augusti.

§. XIII. De Bibliothecis sub Imperatoribus Romanis.

§. XIV. De Bibliothecis Imperatorum Byzantinorum.

§. XV. Bibliothecae Orientis aliae deperditae.

§. XVI. Bibliothecae Occidentis et Ostro-Gothorum.

§. XVII. De Bibliothecis Francorum.

§. XVIII. De Bibliotheca Budensi.

§. XIX. De Bibliotheca antiqua Heidelbergensi.

§. XX. De Bibliothecis aliis deperditis.

§. I

§. I.

Plures nouimus, qui in Bibliothecarum notitiam introducere tentarunt. Antiquas quidem Aegyptiorum, Graecorum, Romanorum et Byzantinorum Bibliothecas paucis, at eleganter, descripsit IVSTVS LIPSIVS in Syntagmate *de Bibliothecis*, quod *Antwerp. ex offic. Plantin. a. 1602. in 4.* ac post aliquoties fuit editum, recusum etiam in *Collectione Schmidiana priori*, de qua mox dicetur. Adcuratam eius recensionem dedit REIMMANNVS in *Idea Systemat. Antiquit. litter. p. 343. sq.* Enarrantur autem fata cum primis Bibliothecae Alexandrinae, Pisistrateae, Aristoteleae, Octauiae, Capitolinae, caet. additis quibusdam de ornatu ac dispositione Bibliothecarum apud veteres, vt adeo ad scriptores etiam antiquarios hic libellus sit referendus. Eundem Auctorem denuo se exhibiturum promiserat GE. HIERON. VELSCHIVS, adiuncto copioso Catalogo Bibliothecarum et Pinacothecarum praestantiorum. Verba eius apud ALMELOVEEN in *Biblioth. promissa et latenti p. 113.* haec sunt: *Lipsium auctiorem dabo, eique materiae adfinitate adiungam copiosum Catalogum Bibliothecarum et Pinacothecarum praestantiorum, in quo si quis etiam plures desideraret, secundis curis seruari, non succensebit, si dixero.* Cf. *Vita Velschii* a LVCA SCHROECKIO edita *Aug. Vindel. a. 1678. 4.* vbi testatur hic, laborem illum perfectum omnino, et prelo paratum, relictum esse a Velschio: neque tamen liquet, in cuius postea manus peruenerit. Add. HEVMANNI *Conspect. Reipubl. litt. cap. II. §. 22. p. 59. edit. nouiss.* Idem proposuerat sibi IOSEPH. MARIA SVARESIVS, Auenionensis, circa a. 1630. clarus, doctissimus vir, et Bibliothecarius Cardinalis Barberini, cui septem per annos operas dicauit suas, ac proinde Episcopatum Vasionensem, praemii loco, reportauit. Iudicium de eo vide *in Patinianis p. 24.* Exhaurire vnico de Bibliothecis tractatu

rem omnem volebat; ſed negotiorum mole obrutus non potuit, quae animo conceperat, ad finem perducere. De inſtituto eius conſulatur LVDOVICVS IACOBI a ST. CAROLO in Gallico libro, iam ſupra adducto, *des plus belles Bibliotheques publiques et particulieres, qui ont été, et qui ſont à preſent dans le monde, Cap. LXXXVII. p. 613.* Prodiit hic liber, quem LAMBECIVS *Comment. de Bibl. Caeſar. Lib. I. p. 115.* notabili errore Naudaeo tribuit, *Pariſ. a. 1644. in 8.* meritoque ſibi aliquem hic etiam locum vindicat. Primus eſt enim, qui de Bibliothecis antiquae ac recentioris aetatis ſcripſit, quamquam, ſi dicendum quod res eſt, amphoram titulus inſtituit, liber exit in vrceum. Quod enim ad veteres attinet Bibliothecas, vix aliquid inuenies praeclari, et plura iam congeſta ſunt ab aliis: in nouis vero recenſendis vltra notitias, quas e paucis hauſit Auctoribus, nihil adfert ſingulare, diligentior in augendo numero, quam vt praecipua de iis tradat. Cf. MORHOFIVS *lib. I. cap. 17. §. 11. ſq.* et BAILLET *Jugem. des Savans T. II. p. 273.* qui de hoc ſcripto iudicat, quod parum diligentiae et iudicii adhibuerit Auctor, nimisque credulus incerta multa aliorum fide commemoret. Nihilo tamen minus habet vſum aliquem, quod collectam in eo videmus omnem Bibliothecarum totius Europae, imo aliarum etiam terrarum, rationem, et licet non plenam praebeat ac ſufficientem notitiam, ad aliqualem tamen cognitionem ducit. In Italicis Tomaſini, in Belgicis Sanderi, de Bibliothecis Collectanea, in Anglicis Balei, et in Germanicis Adami vitas ſequutus potiſſimum eſt, atque ex iſtis decerpſit, quae conuenire ſibi videbantur. Nimius eſt in memorandis Galliae Bibliothecis, quarum plures in vna Pariſiorum vrbe inueniri, quam in Hiſpania, et Germania, immodico erga patriam amore profitetur, vt perſpicimus ex *Praefat.* libro praefixa *p. 9.* ſi numeres, cui loco add.

Cap.

Cap. LXXXII. p. 439. Multas Bibliothecas mediocres extollit, alias, notiores magis, reticet, e. g. Guelpherbytanam, Gottorpienſem, Hamburgenſem. Monaſteriorum autem adparatum librarium frequenter admodum laudat. Vid. MORHOFIVS *l. c.* §. *16.* IOHANNES LOMEIERVS, ſacerdos primum Deutechomienſis, hinc Zutphanienſis, in ſuo *de Bibliothecis* libello, *Zutphaniae* edito *a. 1669. in 8.* ſed longe auctius recuſo *Vltraiecti 1680. eadem forma*, Bibliothecas ſecundum regiones diſtinguit; copioſior tamen in antiquorum, quam recentiorum eſt Bibliothecis, quas non ſatis digna inſtructus ſupellectile leuiter attingit. Ampliorem Opuſculi huius recenſionem habes apud REIMMANNVM *l. c. p. 348. ſq.* vbi et *p. 354.* iudicium adiecit ſuum, quod ſcilicet ex riuulis, non ex fontibus ipſis, depromtae ſint pleraeque narrationes hiſtoricae; veris hinc inde quaedam falſa admixta ſint ac dubia; neceſſaria non nulla omiſſa; itemque aliena quam plurima occurrant. Add. SCHMIDIVS in *Praef. Collectionis III. de Bibliothecis*, qua ipſa in Collectione tertium excuſus eſt libellus Lomeierianus. Ex huius editione prima non pauca deſcripſit, ſeruatis etiam erroribus, LE GALLOIS *) in Tractatu *des plus belles Bibliotheques de l'Europe*, *Lutet. Pariſ. 1680.* itemque *1685. in 12.* Iuſtum hic ordinem deſideraueris merito. Agitur etiam de inuentione typographiae, de primis libris excuſis, primisque typographis, item de libris quibusdam, ſingulari eruditorum ſtudio detectis et ab interitu vindicatis. Sed omnia fere ieiuna ſunt: multa adcuratius intelligun-

 tur

*) Illum Auctorem eſſe diuerſum et ab Antonio Maſſa Galleſio, Italo, et ab Abbate Jean Gallois, a quo Tomos aliquot Diarii Gallici, *Journal des Savans* inſcripti, habemus, adcurate monet, grauemque Coleri errorem in Supplementis ad Struuium, antea ſeparatim diuulgatis, notat CAMVSATVS *en Hiſtoire critique des Journaux*, *T. I. p. 223. ſq.*

tur ex NAVDAEI *Addit. ad Hiſtoriam Ludouici XI.* Accedit *Epiſtola methodum* oſtendens *ordinandae Bibliothecae.* Nec haec tamen opella aliquid noui complectitur, praeſtatque omnino Naudaei Diſſertatio, *ſuperiori Capite* in ſcenam a nobis producta. Patet igitur, extra chorum ſaltare ſaepius, et ſepta argumenti ſui tranſilire Auctorem, vt verba vtamur REIMMANNI in *Catalogo Bibl. ſuae, T. II. p. 503.* vbi tamen errorem Coleri non vitauit, Galleſium, Italum, cum hoc Gallo confundentis. Cf. *idem l. c. p. 469.* BAILLET *Jugem. des Sav. T. II. P. I. p. 240.* et MORHOF. *lib. I. cap. 17. §. 19.* qui *magnos*, inquit, *ille titulus ſtrepitus facit, ſed pro theſauris carbones.* Caeterum, antequam relinquamus nullius momenti libellum, operae pretium fuerit ſubiicere verba CAMVSATI *l. c. p. 222.* quo loco ſic ſcribit ille: *Cependant ce livre generalement mepriſé par tous ceux, qui ont été à portée de le lire et d'en juger, a tellement plû à un de ces Auteurs, qui font rouler la plûpart des preſſes de Hollande, qu'il n'a pas crû pouvoir rien faire de mieux pour ſes interêts et pour ſa reputation, que de l'inſerer preſque entier dans un Ouvrage intitulé*: Idée generale des Etudes, avec un état des plus belles Bibliotheques, et le plan pour en former une curieuſe et bien ordonnée. Amſt. 1713. in 12. *Voyez le Journ. litteraire T. II. Part. 1. p. 174. ſq.* IODOCI a DVDINCK, Canonici Reſenſis, et Paſtoris Vinenſis ad Rhenum, *Palatium Apollinis et Palladis*, ſiue Deſignatio praecipuarum Bibliothecarum veteris nouique ſaeculi, quae *Coloniae apud Iodoc. Kalckofen a. 1643, in 8.* edita dicitur a VALERIO ANDREA in *Biblioth. Belgica p. 593.* ANTON. TEISSERIO in *Catal. Auctor. p. 211.* et, qui Andream ſequitur, BAILLETO *l. c. p. 237.* aliisque forſitan, quum ad hunc vsque diem fruſtra ſit ab omnibus quaeſita, lucem ſine dubio nondum adſpexit. Adhibita licet maxima diligentia exquiri haud

potuit

potuit nec a Sagittario, nec a Schmidio, vt hic refert in *Praefatione, Collectioni* MADERI *de Bibliothecis* praemiſſa; MORHOFIVS etiam *l. c. §. 17.* neque Labbeo, neque Lomeiero, librum hunc eſſe viſum obſeruat, ac tum de ſe ipſo addit: *Illum Iodocum a Dudinck non niſi e Catalogis et indicibus noui, fruſtra a me hactenus, vt vt maxima diligentia, quaeſitum.* Cf. GROSCHVFFII *Praef. ad nouam libror. rarior. Collect. p. 15.* Addimus IOH. HENR. HOTTINGERI *Bibliothecar. quadripartitum P. I. cap. 2.* vbi breuem etiam Bibliothecarum Europae Catalogum exhibet, item STRVVII noſtri *Epiſtolam* ad Chriſtoph. Cellarium *de Bibliothecis, harumque praefectis, Ienae 1696. in 12.* plagulis quinque excuſam. De reliquis huius argumenti Scriptoribus MORHOFIVS agit citato iam *Cap. 17. libri I.* quibus LILIENTHALIVS ſubiungit, MVTIVM PANSAM in *Giardino di varie Lettioni* de celebrioribus etiam totius orbis Bibliothecis diſſeruiſſe, teſte TOPPIO in *Biblioth. Napolit. p. 218.* itemque RVDOLPH. CAPELLVM, Profeſſorem Hamburgenſem, *Hamb. a. 1682. in 12.* ediſſe *Lectionum bibliothecariarum memorabilium Syntagma*, continens Diſſertationes de Bibliothecis, libris et litteratis.

§. II.

Commendandum prae caeteris eſt IOACH. IOH. MADERI et IOH. ANDR. SCHMIDII, praeſtantiſſimorum olim virorum, inſtitutum, varia congerendi ſcripta, quae ad cognoſcendas Bibliothecas, remque bibliothecariam, conducunt. Scilicet prior *Helmſtadii a. 1666. in 4.* luci expoſuit *de Bibliothecis atque Archiuis virorum clariſſimorum libellos et commentationes*, quo in Opuſculo, praeter Editoris Epiſtolam *de ſcriptis et Bibliothecis antediluuianis*, et excerpta ex ISIDORI HISPALENSIS *lib. VI. Orig. cap. 3. ſq. de Bibliothecis*, exſtant I) IVSTI LIPSII *de Bibliothecis Syntagma*, ſupra

ſupra memoratum. II.) FVLVII VRSINI de Bibliothecis Commentatio, quae de Bibliothecis Romanorum antiquis, et hodiernis Italorum praecipuis, ſtrictim tamen carptimque agit. III) Pauca itidem excerpta ex GVID. PANCIROLLI *rerum memorabil. ſiue deperditarum tit. XXII. de librariis, ſiue Bibliothecis.* IV.) Non nulla ex BARTHOLOM. CHASSANAEI *Catal. gloriae mundi lib. XII.* V.) Excerpta ex FRANC. PATRICII *lib. VIII. de inſtitut. Rei publ.* tit. 15. VI.) MICH. NEANDRI Praefatio elegantiſſima, iamque *Capite* I. laudata, *de Bibliothecis deperditis ac nouiter inſtructis.* VII.) IAC. PHILIPP. TOMASINI *de Bibliothecis manuſcriptis* Praefatio, *Bibliothecis Patauinis MStis, publicis et priuatis*, praefixa. VIII.) Excerpta quaedam ex LAVR. PIGNORIO, *de ſeruis, rei librariae adhibitis.* IX.) *Cap. XXIV. de ſtatuis illuſtrium, ac in primis doctorum virorum, in veterum Bibliothecis*, ex EDMVNDI FIGRELII libro pereruditο *de ſtatuis illuſtrium Romanorum, Holmiae a. 1656. in 8.* edito, cuius notitiam adcuratiorem legere licet in IOH. CHRISTOPH. COLERI *Anthologia, T. I. faſc. 3. p. 411. ſq.* X.) BALTHAS. BONIFACII *de Archiuis* liber ſingularis, primum *Venet. a. 1632.* typis impreſſus, recuſus etiam in WENCKERI *Collectis Archiui et Cancellariae iurib. Argent. 1715. 4.* pariterque in IOH. POLENI *Supplem. ad Theſauros Gronouianum et Graeuianum Tomo I. num. 7.* quo loco ſubiunctus eſt ALBERTINI BARISONI *de Archiuis* Commentarius, nunc primum editus. XI.) FRANC. SCHOTTVS *de Bibliotheca Vaticana*, ex *Itinerario* eiusdem *P. II. cap. 10.* XII.) ONVPHRIVS PANVINIVS *de Bibliotheca Vaticana*, ex dicto itidem Itinerario. XIII.) *Eiusdem Vaticanae deſcriptio*, auctore ANTON. CICARELLA, quae conſpicitur in *Vita Sixti V. hiſtoriae Platinae* ſubnexa, *p. 468. ſq. edit. Colonienſis a. 1626.* XIV.) BALTH. CORDERI Epiſtolae duae, praefixae *Cyrilli Alexandrini Homiliis XIX.*

in

in Ieremiam, Antwerp. a. 1648. in 8. excuſis, *de Bibliotheca Regia S. Laurentii Scorialenſi in Hiſpania.* XV.) ALEXANDRI BARVOETII *Catalogus praecipuorum Auctorum ineditorum, qui in Bibliotheca Scorialenſi adſeruantur.* Acceſſit hic etiam Index Cyrilli Homiliis. XVI.) IOH. ALEXANDRI BRASSICANI, ICti, Epiſtola *de Bibliothecis, cum primis Regia Budenſi*, praemiſſa olim *Saluiano, Baſil. a. 1530. in f.* ab ipſo exhibito, vt et editioni huius Scriptoris *Norimbergenſi, a. 1623.* cum CONR. RITTERSHVSII *Commentario et variorum notis in 8.* curatae. Haec omnia Maderi Collectanea, ſtudio laudati SCHMIDII, *Helmſtadii a. 1702. in 4.* recuſa fuerunt, addita tantum, quae primo *a. 1661. ibidem in 4.* prodierat, eruditiſſima HERMANNI CONRINGII Epiſtola ad Ioh. Chriſtian. L. B. a Boineburg *de Bibliotheca Auguſta*, quae eſt in arce Wolfenbuttelenſi. Ad verbum ea expreſſa ex editione poſtrema, auctiore non nihil, quam filius, IOH. HERM. CONRINGIVS, *Helmſt. a. 1684. in 4.* poſt parentis obitum adornauit. Eadem nouiſſime locum nacta eſt etiam in *Tomo V. Operum Conringianorum p. 549. ſq.* vberioribus editoris, GOEBELII, notis illuſtrata. Sequuta deinceps *de Bibliothecis noua Acceſſio, Collectioni Maderianae* a SCHMIDIO adiuncta, *ibid. a. 1703. in 4.* quae continet I.) RICHARDI a BVRI *Philobiblion*, ſiue de amore librorum, et inſtitutione Bibliothecae, Tractatum. Aliquoties is in Anglia et Gallia fuit editus, ſeorſim autem non facile conſpicitur. Exſtat etiam in GOLDASTI *Centuria Epiſtolar. philologicarum Lipſ. 1674. p. 400. ſq.* Eleganter ſcriptus eſt libellus, etſi dictio genium temporis ſapiat, quo floruit Auctor, multaque proponit rei bibliothecariae arcana, et modos oſtendit, quibus colligi Bibliotheca queat. Cf. MORHOFIVS *Tomo I. lib. I. cap. 17. §. 3.* *) Tum occurrit II.)

*) Noſtra aetate THOM. HEARNIVS in *notis ad Ioh. Lelandi Colle-*

II.) BESSARIONIS, Cardinalis, Epiſtola *ad Principem Senatumque Venetorum a. 1469. miſſa, qua Bibliothecam ſuam eidem Senatui defert ac donat.* Plura de hac ipſa Epiſtola dicentur, ſi ad publicam Venetorum Bibliothecam peruenerimus. III.) GABRIELIS NAVDAEI *Diſſ. de Bibliotheca inſtruenda*, ex Gallico Latine verſa, et rariſſima olim, de qua cf. ſupra memorata *Cap. I. §. 18.* IV.) THEOPHILI SPIZELII *Diſſ. arcanis Bibliothecarum retectis* praemiſſa, in qua de illuſtrium Bibliothecarum nou-antiquarum exſtructione, MStorum theologicorum pretio et vſu, indicum denique, ſiue deſignationum neceſſitate ac fructu agitur. Adiecta eiusdem Auctoris coronis philologica *de veterum Hebraeorum et recentiorum quorundam erga bibliothecariam et litterariam rem amore ac ſtudio*, quae *l. c. p. 356. ſq.* itidem obuia eſt. V.) CHRISTOPH. HEIDMANI *Orat. de Bibliotheca Iulia, Helmſt. a. 1622.* edita. VI.) HERMANNI von der HARDT *Memorabilia Bibliothecae nouae Rudolpheae*, in publica panegyri *a. 1702. ibidem* expoſita. VII.) CASPAR. SAGITTARII *Orat. de Bibliotheca Ienenſi Academica*, ac denique VIII.) IVLII a PFLVGK Epiſtola *de Bibliotheca Budenſi, Ienae an. 1688.* ad Vitum Ludouic. a Seckendorf perſcripta. *Altera de Bibliothecis Acceſſio Schmidiana Helmſtadii* prodiit *a. 1705.* inque illa locum primum occupat IOH. LOMEIERI liber ſingularis, paullo ſupra adductus, *de Bibliothecis*; ſecundum BVRC. GOTTHELF STRVVII *Hiſtoria et Memorabilia Bibliothecae Ienenſis*; vltimum HENRICI PIPPINGII *Arcana Bibliothecae Thomanae Lipſienſis ſacra, Lipſ. a. 1703. in 8.* ſeparatim excuſa. Atque hic ſubſtitit conatus Madero-Schmidianus, laude profecto digniſ-

Collectanea de rebus Britannicis, Oxon. 1715. 8. p. 299. abiudicauit hunc ingenii partum Richardo a Buri, contenditque, auctorem potius eſſe ROBERT. HOLCOT; prout intelleximus ex *Actis Erud. Latin. a. 1717. p. 108.* Cf. *Lexicon erudit. Menckenio-Ioecher. T. I. p. 1500.*

dignissimus, de quo legi etiam potest IOH. FABRICII *Histor. Biblioth. Fabric. P. V. p. 495. sq.* Dolendum tamen, non plures accessisse eiusmodi collectiones, vt Schmidius constituerat; quod filum si quis nunc voluerit pertexere, ei non sine fructu consulendus erit IOH. CHRISTOPH. KRÜSICKE in *Specimine I. Vindemiarum litterariarum, Hamb. a. 1727. in 4.* diuulgato. De *Sylloge Koeleriana* vid. quae dicta sunt *Cap. I.* huius Tomi *§. 18.*

§. III.

Alii certas Bibliothecas depinxerunt in suis itinerum Commentariis, quorum non nullos hoc loco in medium producemus. Ad Italiae quidem Bibliothecas quod attinet, illud egit IOH. MABILLONIVS in *Musei Italici Tomo I. Paris. a. 1687. 4. mai.* cuius *Pars prior*, figuris aeneis conspicua, varia huius argumenti lectuque non indigna, complectitur, quamquam nec desunt perperam dicta; vnde TENTZELIVS in *den monathlich. Vnterredung.* (*Colloquiis menstruis*) *anni 1689. p. 550.* non veritus est pronuntiare: *Diese Italiaenische Reise-Beschreibung wird wegen vieler vanitaeten von denen klugen Italiaenern nur verlacht.* Interim noua huius Musei editio *ibid. a. 1724. in 4.* adornata est, quam tamen nondum vidimus. Mabillonii deinceps sequutus exemplum est BERNH. de MONTFAVCON in *Diario* suo *Italico, ibid. a. 1702. in 4.* cum tabb. itidem aen. exhibito, quo elegantissime tradidit quicquid curiosi, vel MStorum, in celebrioribus huius terrae vrbibus inspicere datum. Hoc autem Prodromum saltim esse voluit Auctor plurium Tomorum, in quibus Romanas, Florentinas Venetasque Bibliothecas latius delineare constituerat, vti monet in Praefatione; nec tamen huius instituti postea rationem habuit. Obseruationes in illum ipsum librum sermone Italico FRANCISCVS de FICORONI *Romae a. 1709. in 4. mai.* edidit,

dit, quibus antiqua vrbis Romae monumenta vel parum recte a Montfauconio expressa, vel nimis obscure explicata, correxit modeste, nec minori soliditate illustrauit. Vid. *Acta Erud. Lat. 1710. p. 114. sq.* item *die Neue Hällische Biblioth. T. I. p. 451.* De responsione ad has Obseruationes legatur *Journal des Savans a. 1709. m. Nov. p. 320.* Confutauit etiam Ficoronum ROMVALDVS RICCOBALDVS in *Apologia del Diario Italico di Bern. Montfaucon, contra le Osservazioni di Francisco Ficoroni, Venet. 1710. eadem forma* emissa. Interim Diarium illud multo doctius vtique, diligentius et limatius compositum est Itinerario Mabilloniano, Anglisque adeo placuit, vt versionem eius in linguam patriam pararent, quae *Londini a. 1703.* et *a. 1712. in 8.* foras data. Cf. *die Leipz. gel. Zeit. a. 1722. p. 707.* Idem doctissimus ille Pater e Congregat. S. Mauri de alio Opere iam sub huius saeculi initium cogitauerat, cuius ECCARDVS meminit *in den monathl. Auszügen a. 1700. p. 441.* idque tandem lucem vidit *Paris. a. 1739. Tomis II. in f.* ita inscriptum: *Bernh. de Montfaucon Bibliotheca Bibliothecarum MStorum noua, vbi quae innumeris pene MStorum Bibliothecis continentur, ad quoduis litteraturae genus spectantia, et notatu digna, describuntur et indicantur.* Adcuratissime de hoc Opere disserunt *Acta Erud. Lat. a. 1742. p. 433. sq.* vbi quamquam haud occultant ea, quae non possunt non Lectoribus molesta esse; merito tamen ferream Auctoris industriam mirantur, qua Bibliothecarum Italicarum, Belgicarum, Anglicarum Gallicarum, et quarundam etiam apud Germanos, arcana litteraria vno quasi in Museo omnium oculis exposuit. De Germaniae Bibliothecis librum, Diario Montfauconiano similem, adhuc non habemus, quod tamen maxime optandum. Posset quis eadem methodo Bibliothecarum, quarum non paucae in patria nostra illustres exstant, Cimelia describere, vel etiam CAROLVM PATINVM imitari, cuius Relationes

histo-

hiſtoricae (*Relations hiſtoriques et curieuſes des divers Voyages en Allemagne, Angleterre, Hollande, Boheme, Suiſſe,*) *Baſil. a. 1673. in 12.* editae, ſaepiusque recuſae, memorabilia ſingula adducunt, quae in variorum Cimeliarchiis Principum obſeruauerat. Pauca hanc in rem attulit MABILLONIVS in *Itinere Germanico*, quod ex *Vol. IV. Veterum Analectorum, Pariſ. a. 1685. in 8.* vulgato cum IOH. LAVNOII *Scholis celebribus, in Occidente inſtauratis*, recudendum curauit IOH. ALB. FABRICIVS, *Hamb. 1717. in 8.* Iungendus huic IACOB. TOLLIVS, qui quum a. 1687. indultu ac ſumtibus Friderici Guilielmi, Electoris Brandenburgici, ex Academia Duisburgenſi iter inſtitueret in Auſtriam, Hungariam atque Italiam, in ſchedulas, modo Aduerſariorum, Belgica lingua coniicere, vel plumbo tantum ſcriptorio notare ſolebat, ſi quid ipſi memoratu dignum occurreret. Exinde natae ſunt *Epiſtolae itinerariae ſex*, quas, intercedentibus fatis, ne vltimam iis manum imponeret Tollius, recenſuit, ſuppleuit, digeſſit, copioſiſſimis obſeruationibus, itemque tabulis aeneis quam plurimis ornauit HENR. CHRISTIAN. HENNINIVS, Medicus ac Philologus celeberrimus in Academia Duisburgenſi. Prodierunt nitidiſſime *Amſtael. a. 1700. in 4.* multaque ex iſtis ſingularia de rebus metallicis atque Antiquitatibus, quaedam de Bibliothecis etiam Germanicis hauriuntur. Ne vero poſteritas ignoraret, qua religione ac fide in edendis his amici ſui Epiſtolis verſatus Henninius ſit, autographum Tollianum, vna cum ſchedis ad illud pertinentibus, in Archiuo Academico repoſuit, prout ipſe ſignificat ſub finem praefationis. Cf. NEOCORI et SIKII *Biblioth. nouor. libror. a. 1699. m. Nov. et Dec. p. 718. ſq. Acta Erud. Lat. a. 1700. p. 274. ſq.* pariterque ECCARDI *monathliche Auszüge a. 1701. menſe Februario p. 42. ſq.*

§. IV.

Vocem Bibliothecae nomen esse πολύσημον, inter omnes constat. Denotat enim 1.) locum, in quo libri reponi solent; 2.) armarium; 3.) ipsam librorum collectionem; 4.) libros diuersas gentium historias continentes, prout fecit Diodorus Siculus, qui vniuersalem suam historiam Bibliothecam inscripsit; 5.) indices vitasque Auctorum, qui libros composuerunt, quo spectat Bibliotheca Hispana Nicol. Antonii, Bibliotheca Neapolitana Nicolai Toppii, Bibliotheca Belgica Valer. Andreae, caet; 6.) haec vox solemnis est in rei litterariae collectionibus secundum ordinem materiarum in disciplinis, vnde Bibliothecas habemus theologicas, iuridicas, medicas, philosophicas, historicas, et sic porro; 7.) multi Auctores in vnum volumen, pluresue in Tomos congesti, Bibliotheca dicuntur, v. g. Bibliotheca magna et maxima Patrum, Bibliotheca fratrum Polonorum; 8.) medio aeuo ipse etiam sacer Codex ita fuit insignitus, vt clare docet du FRESNE in *Glossario med. et infimae Latinit.* Sic in historia *de rebus Glastoniensibus*, quam HEARNIVS edidit, Catalogus exstat peruetustus Bibliothecae Coenobii Glastoniensis, vbi semel iterumque legas: *Bibliotheca vna in II. Voluminibus - - Alia Bibliotheca integra, vetusta, sed legibilis; Bibliothecae integrae minoris litterae IIIIor; Dimidia pars Bibliothecae incipiens a Psalterio; Vetusta - - Bibliotheca magna versificata* caet. Cf. omnino *Biblioth. Angloise Tom. XV. p. 382.* Add. HEVMANNI *Poecil. Tom. III. p. 577. et p. 586;* 9.) Vnicus interdum liber Bibliotheca dictus est, et v. g. PLINII *Historia naturalis* vocatur vulgo Bibliotheca pauperum, qua de re vid. *Patini Epist. VI.* Improprie admodum IOH. RIDERVS Anglico suo Lexico Bibliothecae titulum praefixit, quod rectius Dictiothecam adpellasset, vti ironice iudicat OWENVS *lib. II. epigr. 109;* 10.) Longinus ob variae eruditionis

nis

nis copiam Bibliotheca ſpirans, et obambulans Muſeum a Graecis olim nominatus, teſte EVNAPIO *in Porphyrio, p. 12.* Alius viuae, ſed ridiculae, Bibliothecae, qua vſus eſt Caluiſius Sabinus, SENECA meminit *Epiſtol. XXVII.* Carteſium etiam de vitulo quodam, cultro anatomico ſubiecto, Bibliothecae vſurpaſſe nomen, memorat in *eius vita* PETR. BORELLVS *p. 8.* Barbara aetate Bibliothecae dicebantur *Librariae*, vnde Germanorum *Librarey*, ſiue *Liberey;* Romani tamen hanc adhibebant vocem pro taberna, in qua proſtant libri venales quaeſtus gratia. Vid. GELLIVS *Noct. Attic. lib. V. c. 4.* Vocant itidem Latini Bibliothecam Muſeum; ſed hoc proprie locus erat, vbi Muſae colebantur, et reſponſa reddebant, licet nunc paſſim ſignificet conclaue, in quo Muſis litare ſolemus: Denique Archiui vocabulo exprimitur interdum Bibliotheca, quia antiquiſſimae Bibliothecae Actis publicis, et ad ciuitatis ſtatum pertinentibus, erant refertae, ſuamque inde originem ceperunt. vid. LYNCKERI *Diſſ. de Archiuo Imperii, Ien. 1686. p. 5.* ac MORHOFIVS *Polyh. T. I. lib. 1. c. 3. §. 11. ſq.* Pluribus haec omnia, quae dicta ſunt de hoc argumento, exponunt LOMEIERVS *Cap. I. de Bibliothecis;* STRVVIVS ipſe in *Diſſ. inaugur. de iure Bibliothecarum*, quae *Halae Magd. a. 1702.* praeſide Sam. Strykio prodiit, tum auctior *Ienae* recuſa eſt *a. 1709. in 4.* nec ſolum *Bibliothecae antiquae*, ſeu, vti deinceps mutauit Struuius titulum, *Theſauro variae eruditionis, Ienae 1710;* ſed *Collectioni* etiam *Diſſertationum Strykianarum* acceſſit; pariterque GEORG. ENGELBRECHT, qui *de iure Bibliothecarum Helmſt. a. 1702.* paullo poſt Struuium Diſſertationem edidit haud inelegantem, variisque obſeruationibus hiſtorico-litterariis, rem bibliothecariam illuſtrantibus, inſtructam. Diſpoſitio tamen et alia hinc inde congruunt cnm labore Struuiano. Cf. MARCI RHODII *Diſſ. de libris eruditorum, Frf. ad*

Viadr. a. 1690. in 4. vbi de Bibliothecarum iure, ſed non niſi methodo iuridica, agitur. Non pauca exinde Struuius hauſit, quod ipſe fatetur in *Praefatione*, ſecundae *Diſſertationis* editioni praemiſſa.

§. V.

Quantum vero ad Bibliothecarum originem, multae hoc de argumento controuerſiae ſunt inter eruditos, IOACH. IOH. MADERVS in Epiſtola ad Rudolph. Auguſtum, Ducem Brunſuicenſem ac Luneburgenſem *de ſcriptis et Bibliothecis antediluuianis*, quae in Collectione illius *de Bibliothecis* prooemii eſt loco, multo demonſtrare adparatu voluit, non litterarum ſolum fundamenta fuiſſe ante diluuium, ſed earum etiam collectiones et Bibliothecas. Probat id potiſſimum ex nominibus, quae animalibus impoſuerit Adamus, ex Columnis Sethi, et Enochi libro, dicitque praeterea, principes hos mundi incolas res illius temporis atque inuenta cum in ſaxis, lateribus ac plumbo ſcripſiſſe, tum in pellibus et membranis, quae admodum fuerint antiquae. Ante Maderum eadem prope adfirmauit IACOBVS BOVLDVCCIVS, Ordinis Capucinorum Monachus, in libro *de Eccleſia ante legem*, *Pariſ. a. 1626. 1630.* et *Lugduni 1638. in 8.* edito, in quo ediſſerit, quis a mundi exordio vsque ad aetatem Moſis ordo fuerit eccleſiae, qui ritus et caerimoniae, atque inter alia quoque de libro Enochi et Antiquitatibus quibusdam antediluuianis agit. Nec ab hac ſententia alienus eſt ANGELVS ROCCHA, in *Adpendice ad Deſcriptionem Bibliothecae Vaticanae, p. 384.* Sed recte iudicat de re omni Celeb. HEVMANNVS in *Conſp. Reipubl. litter. Cap. III. §. 2. p. 30. edit. nouiſſ.* *Cum teſtibus fide dignis hac in re careamus, res redit ad coniecturam, quae, quantum fieri poteſt, ad liquidum perduci, non lubrico fundamento ſuperſtrui debet.* Quibus ſubiungit vir harum litterarum peritiſſimus: *Mihi demon-*

demonſtraſſe videor in Actis Philoſoph. P. V. cap. 1. §. 23. ſq. ſcribendi artem inuentam eſſe eo interuallo temporis, quo Iacobi Patriarchae poſteri in Aegypto ſunt verſati: adeoque initium hiſtoriae litterariae a Moſe demum eiusque libris capi debere. Hinc ridiculum eſt, quod CAROL. ARNDIVS in *Syſtem. litter. p. 4. §. 3.* Adamo, primo mortalium, tribuit ſcientiam hiſtoriae litterariae, iure propterea exploſus ab eodem *l. c. Cap. II. §. 14. p. 23.* Nec alicuius hic eſſe momenti poteſt ANTON. CICARELLAE narratio *p. 109. apud Schmidium*, in Bibliotheca ſcilicet Vaticana inter alios homines pictos, qui ob litterarum inuentionem celebriores ſunt, ſpectari etiam Adamum, cum hoc titulo: *Adam diuinitus edoctus, primus ſcientiarum et litterarum inuentor.* Cf. HEIDEGGERVS in *Hiſtor. Patriarch. Exerc. XVI. §. 135. ſq.* Quod ſpeciatim attinet ad Adamum, de *eius Bibliotheca* PAVL. CHRISTIAN. HILSCHER, Theologus olim Dreſdenſis, *a. 1703. Schediaſma in 4.* edidit, in quo poſtquam Catalogum librorum adduxit, quos Adamo et Euae Arabes tribuunt et Rabbini, eamque ſententiam, quae Protoplaſtis libros vindicat, reiecit, ortam quippe vel ex praecipitantia, vel ſuperſtitione, vel malitia haereticorum, vel ſimplicitate, vel denique ioco: tandem non adeo ineptum credit Adamo adſcribi Bibliothecam, quae conſtiterit ex *libro mundi*, ex *libro rationis*, et *ex libro reuelationis.* Ingenium haec Auctoris produnt, iudicium non item. Cf. interim *die vnſchuldigen Nachrichten a. 1704. p. 105. ſq.* et *Noua litter. Germ. eodem anno, p. 59. ſq.* Plura de Adami Bibliotheca, variis libris completa, ſed conficta, vide apud REIMMANNVM in *Hiſtor. litter. antediluuiana pag. 9. ſq. p. 56. et p. 63.* Add. LAMBECIVS *in Prodromo hiſt. litter. lib. I. cap. 3. §. 2.* BAELIVS in *Diction. hiſt. et crit. v. Adam*, et maxime FABRICIVS in *Cod. Pſeudepigr. Vet. Teſt. Vol. I. num. 1.* paſſim, nec non *Vol. II. num. 16. p. 29.* Merito

rito etiam confulendae hic Differtationes binae venerabilis viri, IAC. GVIL. FEVERLINI, altera de *Philofophia Adami putatitia*, *Altorf. a. 1715.* altera de *eiusdem Logica*, *Metaphyfica*, *Mathefi*, *Philofophia practica et libris*, *ibid. 1717. 4.* De *Columnis Sethi*, dudum a viris doctioribus pro commento habitis, cui originem dedit IOSEPHVS *lib. I. Antiqu. Iudaic. cap. 3.* legi merentur, praeter Lambecium l. c., AEGID. STRAVCHII *Diff. de columnis Sethianis Vitemb. 1669.* et in CRENII *Exercit. philol. hiftoric. Fafc. V. n. 6. p. 297. fq.* GODOFR. VOCKERODT *Hiftor. Societat. et rei litterar. mundi primi*, *Cap. II. §. 11. p. 157. fq. edit. poftremae*, DAN. GVIL. MOLLERI *Diff. de duabus columnis Sethi*, *Altorf. 1699.* FRID. HANNIB. STEMPEL *Diff. ad locum Flauii Iofephi de columnis antediluuianis*, *Ienae 1706.* THOM. BANGII *Coelum Orientis*, liber nunc rarior, editus *Hafniae 1657. in 4.* et fub titulo *Exercitationum de ortu et progreffu litterarum*, *Cracouiae 1691. eadem forma*, *p. 11. fq.* EDVARD. STILLINGFLEET *Orig. facrar. lib. I. cap. 2. §. 12. p. 71. fq.* IOH. FRANC. BVDDEI *Introd. in Hiftor. philof. Ebraeor. §. III. p. 10. fq.* HEVMANNI *Acta Philofoph. P. VI. num. 1. p. 941. fq.* FABRICII *liber cit. Vol. I. num. 52. p. 148. fq.* et *Vol. II. num. 26. p. 51. fq.* ac denique *Bibliotheque critique de Mr.* SAINIORE (*fiue* RICH. SIMON) *T. II. cap. 23.* vbi de his Sethi columnis, eiusque fabulae ortu, fufius differitur. Magnus itidem eruditorum numerus exftat, qui fcripta nominarunt Enocho attributa, eaque fere omnes reiecerunt. Cognofci hi poffunt apud FABRICIVM *l. c. Vol. I. p. 222.* qui et ipfe de iisdem pluribus agit *p. 168. fq.* et *Vol. II. num. 30. p. 58. fq.* Add. IOH. DRVSII *liber de Enocho*, *Franequ. 1615. 4.* IOH. GE. DORSCHEVS *de Prophetia Enochi*, *Argent. 1654.* et *in Pandect. Diff. theolog. p. 555. fq.* IOH. HENR. ALBINVS *de libro Enochi prophetico Vitemb. 1699. 4.* IOC. FRANC. BVDDEVS in *Hift. ecclef. V. T. Tomo I.*

Peri-

Periodo 1. *sect.* 1. §. 38. *nota* * * *p.* 162. *sq.* BANGIVS *l. c. Exerc. I.* IOH. ANDR. SCHMIDIVS in *Dissert. de Pseudo-Veteri Testam. Helmst.* 1707. itemque VOCKERODT *l. c.* §. *XVII. sq. p.* 169. qui etiam fragmentum eius de Egregoris exhibet. Praeter commenta igitur et coniecturas incertas nihil adferunt, qui multa nobis de scriptis pariter ac scholis antediluuianis commemorant. Cf. *Obseruat. selectae Halenses Tom. I. obseru.* 19., cuius auctor est CHRISTIAN. THOMASIVS, *p.* 279. *sq.* vel, si quis eadem legere Germanice malit, *die auserlesenen Hällischen Anmerckung. P. I. obs.* 9. *p.* 100. *sq.* Multo autem grauius peccant, qui scholarum ex Paradiso deriuant originem, merito refutati a VOCKERODTIO in *Consultationibus de studiis litter. recte instituendis, Gothae* 1705. *in* 8. *Consult. X. p.* 338. Eiusmodi sententiam, ridiculam profecto, amplexus est quoque CAROLVS ARNDIVS, qui scholarum et Academiarum, nec non Bibliothecarum natales in primis illis temporibus quaerere voluit, ideoque notatur in *der neuen Hällischen Biblioth. T. I. pag.* 138. Certiora tradit LAMBECIVS in *Historiae litterar. Prodromo*, nullum scriptorem credens Mose antiquiorem, saltim inter eos, qui nunc exstant, aut quorum ad nos memoria peruenit, id quod et alii data opera comprobant, e. g. ex veteribus IVSTIN. MARTYR in *Cohortat. ad Graecos fol.* 9. *sq. Opp.* ex recentioribus vero STILLINGFLEET in *libro supra adducto*, PETR. DAN. HVETIVS in *Demonstrat. Euangelica Propos. IV. p.* 66. *edit. Amstaelod. d. a.* 1680. *in* 8. BVDDEVS *Hist. eccl. V. T. Tomo I. Per.* 2. *sect.* 1. §. 11. *p.* 540. HEVMANNVS in *Actis Philos. P. V. cap.* 1. *p.* 795. *sq.* Cf. GVNDLINGII *Histor. Philos. moralis cap. VII. p.* 60. *sq.* vbi, more suo, satyricum agit, et Celeb. IOH. NICOL. FVNCCIVS *de Scriptura veterum*, *Rintelii* 1743. 8. *cap. VIII.* §. 2. *sq. p.* 263. vsque ad *p.* 274. item CHRISTIANI

SAALBACH *Schediasma de libris veterum*, *Gryphisw.* *1706. 4. p. 46. sq.*

§. VI.

Quum igitur nec nomina, ab Adamo imposita animalibus, quod argumentum LILIENTHALII *Dissertatio*, *Rostoch. a. 1710.* edita, inque eius *Selectis historic. et litterar. P. 1.* recusa, pluribus illustrat, nec Sethi columnae, nec liber Enochi quidpiam faciant ad Bibliothecae structuram, et priora, litteras tunc temporis non fuisse ignotas, doceant modo, hunc vero IVDAS in *Epistola versu 14.* non librum, sed prophetiam dicat, maiorum sine dubio traditione ad posteros traductam, *) facile collabuntur omnes Bibliothecae antediluuianae. Nobis potius certum videtur, nec ante confusionem Babylonicam libros, nec ante diluuium vmbram quidem Bibliothecae exstitisse. Hominem enim ante lapsum omni sapientia diuina fuisse praeditum, sacrae historiae exponunt. Post tristia eius fata multae adhuc diuinae imaginis reliquiae plurimum illi sapientiae conseruabant, ita, vt libris opus non haberet, et si quid erat, ad posteritatis memoriam propagabatur per traditionem. Add. hic LOMEIERVS *de Biblioth. cap. II. p. 6. sq. apud Schmidium.* Post dilu-

*) Iuuabit hic audire LILIENTHALIVM, cuius verba separatim exhibemus. Ita vero ille: *Duplex hic in primis est sententia. Alii putant hic a Iuda vaticinium Enochi enarrari; nullius vero scripti fieri mentionem. Non enim necesse fuisse, illud ex libro didicisse Judam, quum vel traditione, vel inspiratione diuina, accepisse potuerit. Quin ipsum hunc locum Judae libros Enochaeos fingendi ansam dedisse. Ita auctor noster post multos interpretum. Sed vero cogitandum videtur illis, qui testimonium Enochi aliter, quam de certa scriptura, capere malunt, non hic a Juda simplex aliquod narrari factum, vt illud de Janne et Jambre, Magis Aegypti, II. Epist. ad Timoth. III, 8. vbi traditio sufficere poterat: sed integra auctoris verba, tamquam litteris consignata, et ex certo scripto, seu eo tempore exstante, seu*

diluuium autem et confuſionem Babylonicam quum diuerſae linguae et gentes eſſent ortae, ac per Chami nepotes progreſſus quotidie maiores faceret ſapientia humana, natae litterae ſunt, atque ex iis libri et Bibliothecae. His ſpeciatim dediſſe originem videtur 1.) Actorum publicorum tam ciuilium, quam eccleſiaſticorum, cuſtodia, vbi MStis denique libri impreſſi fuerunt additi; 2.) Principum liberalitas, et famae ſibi comparandae ſtudium; 3.) ſtudiorum amor et φιλοβιβλία; 4.) vtilitas in rem publicam, vel poſſeſſorem, inde redundans, quae in bonae mentis cultura conſiſtit. Cf. MORHOFIVS in *Polyh. Tomo I. lib. 1. cap. 3. §. 11. 20. et 25.*

§. VII.

De Bibliothecarum autem primo auctore incerta res eſt, neque ex tam antiquo tempore decidenda. Aegyptios humanae ſapientiae principes et architectos ſi dicamus, non errabimus, illudque tot gentis huius traditiones, figurae hieroglyphicae, et ſimilia indicant, ex quibus non exiguum deinceps Bibliothecarum vſum apud eandem fuiſſe introductum ſuſpicamur. Commendandus hic eſt illuſtrationis cauſſa, poſt Lipſium et Lomeierum REIMMANNVS in *Idea Anti-*

I 5 *quit.*

ſeu deperdito, recitari. Nullum canonicis ſcripturis periculum inde metuendum eſt, ſi tale ſcriptum exſtitiſſe concedatur, quum illud ante conſtitutum canonem potuit eſſe amiſſum, vel nunquam pro canonico habitum. Neque enim citatio ſcripti cuiusdam in Scriptura ſacra id ſtatim facit canonicum, niſi poetas gentilium, Aratum, Menandrum, Epimenidem, diuinos vocare velis, quum et illi allegentur. Neque tamen liber ille Enochi, a Juda citatus, dicendus eſt diluuio antiquior; ſed, vt vult Iſaac. Voſſius, vergentibus ad finem hebdomadibus Danielis a Judaeis, toto orbe diſperſis, videtur fuiſſe compoſitus, Deo impellente eorum mentes, ad ſignificandum gentibus Chriſti aduentum. Quales fuere libri lecti olim ſub nominibus Adami, Abrahami, Eliae caet. Cf. VOCKERODT *de Societat. litterar. p. 172. ſq.*

quit. litterar. Aegyptiacae, ſigillatim de ortu et fatis eruditionis apud Aegyptios, *p. 176. ſq.* STRABO quidem *Geograph. lib. XIII. p. m. 408. edit. Latinae Baſileenſis a. 1539. in f.* Ariſtotelem primum omnium, quos ſciat, libros congregaſſe dicit, et Aegypti reges Bibliothecae ordinem docuiſſe; illum tamen quodam errore fuiſſe abreptum, ex eo patet, quod de Oſymandua, antiquiſſimo Aegyptiorum rege, cuius aetas Ariſtotelis fata longe anteceſſit, teſtatur DIODORVS SICVLVS *lib. I. cap. 49.* eum Bibliothecam ſtruxiſſe, eiusque fronti praeſcripſiſſe haec: ψυχῆς ἰατρεῖον. Diſſentit hic LILIENTHALIVS a Struuio, et ſubiungit ſequentia: *Recte omnino id de Ariſtotele; primus enim vtique omnium non Graeciae ſolum, ſed et Barbariae ciuitatum mores, inſtituta, diſciplinasque ſcripto poſteritati tradidit: id quod, cenſente Conringio de Biblioth. Auguſta, p. 204. apud Schmidium, fieri non potuit, ſine monumentorum locupletiore penu: vnde conſtat, Ariſtotelem plures libros coegiſſe, et aptiori ordine Bibliothecam diſpoſuiſſe, quam alii ante ipſum fecerant, ideoque tamquam celeberrimus hoc nomine et praecipuus a Strabone memoratur. Caeterum Speuſippi libros tribus talentis emiſſe Ariſtotelem, et de Bibliothecis ſcripſiſſe, Diogenes Laertius auctor eſt.* (Prius de emtis Speuſippi libris in Vita eius ſub finem legitur, idque adſerit etiam GELLIVS *Noct. Attic. lib. III. cap. 17.*) *Hinc quando Strabo ait, Ariſtotelem docuiſſe reges Aegypti* βιβλιοθήκης σύνταξιν, *id, ſiue hoc opere, quo ordinem et rationem inſtituendae Bibliothecae praeſcripſerat, ſiue ſuo exemplo praeſtitiſſe ipſum, credi par eſt. Non ergo erat, cur Autor noſter Ariſtoteli hanc gloriam inuideat, partim hic, partim in epiſtola ad Cellarium p. 15.* Struuium e contrario ſequitur laudatus ſupra FVNCCIVS in *Commentat. de Scriptura veterum p. 276. Sed non eo*, inquit, *ſenſu geographus hoc dicere poterat, ac ſi primus Ariſtoteles coepiſſet congerere libros; neque ante eum quisquam Aegyptiorum de inſtituenda Biblio-*

bliotheca cogitasset: stimulum regibus addere potuit, vt collectas pridem a maioribus augerent magis et exornarent. Certe Simandius quidam ex antiquissimis Aegyptiorum regibus obstat, qui Aristotelis fata longe antecessit, ac monumentum sibi erexit longe reliquis omnibus Aegypti sumtuosius, et artificio excellentius. Ibi non solum inter alia apparet veritatis simulacrum oculis subclausis, circumstante librorum cumulo; verum etiam in amplissimo palatio sacram instituit Bibliothecam, in qua scriptum erat: ψυχῆς ἰατρεῖον, animi medicina. Graecas has voces alii etiam sic interpretantur, quod artes et disciplinae, quas libri ac Bibliothecae complectuntur, morbis animi mederi possint. Alii *animi pabulum* vertunt. Rectius LIPSIVS *de Biblioth. Cap. I.* inscriptionem hanc explicuit per *medicam animae officinam.* Cf. HENR. SIGISM. MARQVART in *Selectis de re libraria, Ienae 1691. 4. num. I.* Hanc vero Osymanduae curam ipsius postea successores continuasse, idque in templis cum primis, sacerdotum industria, probabili augurari coniectura licet. Argumento est, quod Naucrates quidam Homerum plagii incusauit, quem scilicet in Aegyptum delatum libros reperisse, sibique vindicasse, dicit Phantasiae feminae, quae Iliadem atque Odysseam scripserit, et Memphi in Vulcani deposuerit templo, vti quidem EVSTATHIVS testatur in *Prooemio ad Odysseam*, ipsius tamen, propter hanc insimulationem, patrocinium suscipiens. Vid. etiam de Bibliotheca hac Osymanduaica, siue Memphitica, praeter REIMMANNVM *l. c. p. 96.* IO. MARSHAMVS in *Canone Chronico, p. 427.*

§. VIII.

Inter celebratissimas Aegypti Bibliothecas *Alexandrinam* esse, dubio caret. Initium illi dedisse videtur, post Alexandri M. fata, Ptolemaeus, Lagi putatiuus filius, qui iam per Demetrium suum Phalereum

reum in colligendis diuerſi generis libris fuit occupatus, vti fere patet ex CLEMENTIS ALEXANDRINI *Stromat. lib. I. p. 341.* Hic Demetrius ipſe fuit amantiſſimus librorum, et multis meritis in rem publicam tam clarus, vt plus quam trecentis ſtatuis Athenienſes eum cohoneſtarent, quorum tamen inuidia grauiter preſſus exul tandem ad Ptolemaeum, Lagi filium confugit, qui eum excepit benigne, rebusque gerendis adhibuit. Sed offendit Regis filium, Ptolemaeum Philadelphum, quod ſuaſerat aliquando patri, vt regnum non ad hunc, ſed ad alterius matrimonii filios deferret, cui conſilio quum non obtemperaret Rex, ac potius Philadelpho imperii traderet inſignia, ab eodem poſt patris mortem in cuſtodiam datus eſt, in qua, forte dormitans, aſpidis morſu manum adpetentis, ſeu, vt loquitur CICERO, *Orat. pro Rabirio Poſtumo cap. IX.* aſpide ad corpus admota, ex vita migrauit. Vid. DIOGENES LAERTIVS in *Vita Demetrii.* Fallitur ergo IOSEPHVS *Antiqu. Judaic. lib. XII. cap. 2.* dum Ariſtaeae fide lubrica ſubnixus ſtatuit, Demetrium Ptolemaeo Philadelpho operam in congerendis libris praeſtitiſſe, quandoquidem patri tantum a Bibliotheca fuerat. Cf. CONRINGIVS *de Biblioth. Auguſta, p. 186. ſq.* HVMFREDI HODY *Diſſert. contra hiſtor. Ariſteae de LXX. interpretibus Oxon. 1685. 8. cap. IX.* et Celeb. BRVCKERVS in *Hiſtor. Philoſ. critica Tomo I. p. 857. ſq.* Facile interim credi poteſt, rudem adhuc fuiſſe tunc temporis collectionem, nec ſatis ordinatam Bibliothecam; ideoque notior eſt cura Ptolemaei Philadelphi, cui ob ſumma, quae addidit, incrementa, origo Bibliothecae illius plerumque tribuitur. Hic enim, magno litterarum amore flagrans, omnis generis libros e ſingulis nationibus gentibusque conquiſiuit, eos etiam, quibus Judaeorum leges et ſacra continebantur, atque vt ab iis legi poſſent, qui linguae Hebraicae expertes erant, ex multorum erudito-

ditorum ſententia in Graecam transferri linguam iuſſit, (Cf. tamen hic BRVCKERVS *l. c. T. II. p. 686.* vbi oſtenditur, hanc verſionem priuata auctoritate in gratiam Helleniſtarum a Iudaeis eſſe ſuſceptam,) vnde celebratiſſima illa, quae ſeptuaginta interpretum nomine inſignitur, verſio enata eſt. Hanc Ptolemaeus in LXXII. digeſtam volumina, aureisque litteris ſcriptam, in Bibliotheca Alexandrina collocaſſe dicitur. Legantur ex ingenti illorum numero, qui huius verſionis illuſtrarunt hiſtoriam, IOH. ALB. FABRICIVS *Bibl. Graecae lib. III. cap. 12. §. 2 ſq. p. 317.* et IOH. FRANC. BVDDEVS *Hiſtor. eccleſ. V. T. Tomo II. Periodo 2. ſect. 6. §. 12. pag. 1031. ſq.* qui duumuiri rem omnem in compendio exhibent, aliosque paſſim ſcriptores laudant. Sic CHRISTOPH. CELLARIVS de *LXX. Interpretibus* ſingulari egit *Diſſertatione*, quae ad ſupra etiam dicta pertinet, atque in *Vol. Diſſert. Cellar.* a celeberrimo WALCHIO *Lipſ. a. 1712. in 8.* editarum *Parte I. p. 272. ſq.* occurrit. Add. HVMPHR. PRIDEAVX in *Connex. Vet. et Noui Teſtam. Parte II. lib. 1. p. 29. ſq. edit. Berolin.* Nec minus Ariſtotelis libros a Neleo coemiſſe Philadelphum, vnaque cum Rhodiis et Athenienſibus in pulchram tranſtuliſſe Alexandriam, ATHENAEVS auctor eſt *Deipnoſoph. lib. I. cap. 1.* Cf. tamen LIPSIVS *de Biblioth. cap. III.* Quantos in hanc Bibliothecam ſumtus impenderit laudatus Rex, vel ex eo colligi poteſt, quod ſola Sophoclis, Euripidis et Aeſchyli autographa XV. talentis argenti puri redemerit ab Athenienſibus, iisque, annonae laborantibus penuria, hac ipſa conditione alimenta conceſſerit, vti quidem ex GALENI *libro III. Epidemicor.* MELCHIOR. GVILANDINVS docet *de Papyro veter. p. 195.* Prodiit hic liber *Venet. a. 1572. in 4.* de quo vid. REIMMANNVS in *Idea Syſtem. Antiqu. litter. p. 284.* vbi etiam editionem Ambergenſem a. 1613. adcurante Henr. Salmuth excuſam producit, ſimulque

que *p. 302. sq.* insigne Sebast. Kirchmaieri plagium, in *Diss. de Papyro veterum* ex hoc libro commissum, omnium oculis exponit. Sed haec in transcursu. De numero librorum res certe definita non est. GEORG. CEDRENVS *Histor. lib. XXII.* Philadelphum, ait, libros sacros, Chaldaicos, Aegyptios et Romanos, aliosque diuersarum linguarum, in Graecam conuerti curasse, in vniuersum ad centum millia voluminum: quae omnia in Bibliothecis suis Alexandriae reposuerit. SENECA vero *de Tranquillit. animi cap. IX.* scribit: *quadringenta millia librorum Alexandriae arserunt, pulcherrimum regiae opulentiae monumentum.* IOSEPHVS *l. c.* tradit, Demetrium aliquando fuisse interrogatum a Philadelpho, quot librorum iam haberet millia? eundemque respondisse, ducenta adesse millia, sperare se tamen, numerum breui quingenta millia superaturum. Quodsi contra GELLII *Noctes* euoluamus, *lib. VI. cap. vlt.* legimus, ingentem numerum librorum in Aegypto a Ptolemaeis Regibus vel conquisitum, vel confectum esse, ad millia ferme voluminum septingenta. Gellium sequitur AMMIAN. MARCELLINVS *lib. XXII. sub finem prope*, vbi similiter hanc Bibliothecam septingentis voluminum millibus constitisse memorat. ISIDORVS *lib. VI. Origin.* septuaginta tantum millia scribit; sed emendandum esse hunc eius locum, vocemque *septuaginta* mutandam in *septingenta*, monetur a LIPSIO *l. c. Cap. II.* Nec difficile fuerit, priores Scriptores, qui dissentiunt in voluminum numero, inter se conciliare. Cedrenus enim, qui in *Collectione Scriptorum Byzantinorum* exstat, de centum librorum millibus, Graecum in sermonem translatis, loqui videtur; (Cf. tamen CONRING. l. c. p. 207.) Seneca de quadringentis millibus combustis, reliquis e flamma seruatis: Iosephus de ipsa Philadelphi aetate: Gellius denique et Marcellinus de temporibus vltimis intelligendi sunt; ille enim non sine

caussa

caussa dicit a Ptolemaeis Regibus conquisitum hunc fuisse thesaurum, ita, vt a Philadelphi successoribus varia adipisceretur incrementa. Tantum vero numerum omnem excedere fidem, nemo persuadebit sibi, qui cognitum perspectumque habet, apud veteres librum, seu volumen, non significasse grandiorem aliquem Codicem, prout hodie fit, sed potius, plurima ex parte, folia quaedam conuoluta, et separatim consistentia. Sic CICERO quinque Tusculanar. quaestionum libros ipse *volumina* dicit *lib. III. Tuscul. cap. 3.* quamquam vnusquisque non nisi aliquot plagulis absoluitur. Quodsi igitur de tot veterum Bibliothecarum voluminibus scribitur, non est, quod iuxta morem nostri saeculi totidem grandes codices animo numeremus. Libri scilicet et volumina fuerunt, quorum hodie centena aliquot vnus grandior noster codex complectitur. Nihilò tamen minus pretiosissimae fuerunt eiusmodi Bibliothecae, quum exigui libelli magna eo tempore argenti summa essent comparandi. Obseruauit haec LILIENTHALIVS, qui ex CONRINGIO profecit *de Biblioth. Augusta p. 210. sq.* suppresso Auctoris nomine, vt saepe solet. Cf. MONTFAVCON. in *Praef. ad Palaeogr. Gr. p. 22. Acta Erudit. Germanica P. XVI. p. 336.* item CHRISTIANI GOTTL. SCHWARTZII *Diss. altera de ornamentis libror. apud veteres vsitatis §. II. et VII.* Tandem ingens ille thesaurus Ptolemaicus in bello Alexandrino conflagrauit. Etiamsi enim eius rei nec Iulius Caesar, nec Hirtius, meminerint; referunt hoc tamen Seneca, Plutarchus, Dio Cassius, Gellius et Ammianus Marcellinus, imo et Liuium narrasse, ex Seneca coniicere possumus. Non sponte autem et consulto, sed casu potius, id factum; dum enim diripitur ciuitas, a militibus forte auxiliariis incensa est Bibliotheca, teste GELLIO *lib. VI. cap. vlt.* Paullo clarius haec exponit OROSIVS *Historiar. lib. VI. cap. 15.* vbi *in ipso,* inquit,

proe-

proelio regia classis forte subducta, iubetur incendi. Ea flamma, quum partem quoque vrbis inuasisset, quadraginta millia librorum, proximis forte aedibus condita, exussit. Quem locum FVNCCIVS *de Scriptura veter. p. 280.* profert. Add. LIPSIVS *de Bibl. veter. Cap. III.* Duas vero Alexandriae fuisse Bibliothecas publicas EPIPHANIVS tradit in *libello de mensur. et ponderib. p. 569. edit. Lat. Basileens. a. 1560. f.* primam scilicet in Bruchio, a Ptolemaeo Philadelpho constitutam, alteram, longo tempore post, exstructam esse in Serapeo, minorem priori, quae et filia eiusdem dicta sit. Quare etiam in Serapeo Bibliothecas fuisse inaestimabiles, AMMIAN. MARCELLIN. scribit *loco supra adiecto.* Imo TERTVLLIANVS in *Apolog. cap. XVIII. Hodie apud Serapeum*, ait, *Ptolemaei Bibliothecae cum ipsis Ebraicis litteris exhibentur.* *) Ex his autem videmus, non omnem consumtam Bibliothecam, sed Codices permultos seruatos fuisse, quum etiam posteriori adhuc tempore diceretur Ptolemaei Bibliotheca, cuius augendae caussa Antonius, vt Cleopatrae gratificaretur, ex Pergamo Alexandriam transferendas curauit Bibliothecas, in quibus ducenta millia singularium voluminum erant, docente id PLVTARCHO in *Vita Antonii pag. 943. T. I. Opp. edit. Francof. a. 1620. in f.* Haec recentior Bibliotheca Alexandrina quasi mater habita semper fuit reliquarum, ex qua alii, comparandae librariae supellectilis studiosi, Codices describi voluerunt. Caeterum de priori illa Bibliotheca, cuius historiam dedimus, legantur ANTON. van DALE in *Diss. super Aristaea de LXX. interpretibus, Amst. a. 1705. in 4. Cap. II. sq.*; PRIDEAVX in *Connex. Vet. et Noui Testam.*

*) Serapeum, in cuius porticibus instaurata seruabatur Alexandrina Bibliotheca, immensae molis, ac stupendi artificii templum fuit: quod Christiani tandem, sub Theodosii maioris imperio, velut superstitionis arcem, destruxerunt. Ita Celeb. FVNCCIVS *l. c. p. 281.* ex LIPSIO *de Biblioth. in fine Capitis II.*

Testam. P. II. lib. 1. p. 16. sq. 75. et 88. edit. Berolin; GE. GREENII *Diss. de Ptolemaeo Philadelpho, Aegypt. Rege, Vitemb. a. 1676;* IOH. GELENII *Progr. de Bibliotheca Alexandrina, Dresdae 1710. in fol.*, BONAMY *Dissert. sur la Bibliotheque d'Alexandrie, dans les Memoires de l'Academie des Inscriptions, Tom. XIII. p. 615. sq. edit. Amstaelod.* Alexandriam vero huius Bibliothecae custodem dum elegit Ptolemaeus, singularem profecto sapientiam ostendit, partim quod ea vrbs viris adfluebat eruditissimis, partim quod inusitato exemplo conditum ibidem erat nobile illud Museum, commune quasi doctorum receptaculum, de quo data opera egerunt IOH. FRID. GRONOVIVS et LVDOLPH. NEOCORVS, siue Kusterus, in *Tomo VIII. Thesauri Gronouiani;* ADAM RECHENBERGIVS in *Diss. de Museo Alexandrino, Lips. 1698.* quae postea inter *Exercitationes eius in Nouum Testam. ibid. 1707. 8. p. 523. sq.* relata est, et recensetur in der *allerneuesten Acerra philolog. Lips. 1732. 8. p. 39. sq;* *) IOH. PHIL. CROLLIVS in *Orat. de Museo Alexandrinorum, Biponti 1721. in 4.* de qua vid. *Bibliotheque German. Tom. VII. p. 74. sq.* Add. LIPSIVS *l. c. cap. XI.* PRIDEAUX *P. II. lib. 1. p. 18. sq.* IOH. FRID. MAYERVS in *Praef. ad Vol. I. Musei Ministri ecclesiae*, aliique, quos, quum breuiter de hoc differant argumento, omnes nominare non attinet.

§. IX.

Proxima Alexandrinae erat *Attalica* Pergamenorum Bibliotheca, quae collecta fuit auctore Eumene, Attali Regis filio, prout STRABO docet *Geogr. lib. XIII.*

*) Libelli huius verus Auctor est CHRISTOPH. FRID. AYRMANNVS, Professor olim Gissensis, sub cuius nomine bibliopola Lipsiensis haud distracta eius exemplaria a. 1648. denuo protulit in lucem, titulumque sic notauit: *Auszüge aus historischen vnd philologischen Schriften.*

lib. XIII. p. m. 419. his verbis ex verſione Latina: *Eumenes vrbem inſtruxit, et donariis ac Bibliothecis, vti nunc eſt, eleganter excoluit.* Aemulationem Alexandrinae principem huius inſtituti cauſſam fuiſſe probabile eſt; cui coniecturae pondus addit PLINIVS *Hiſt. Nat. lib. XIII. cap. 11. Mox aemulatione,* inquit, *circa Bibliothecas regum Ptolemaei et Eumenis, ſupprimente chartas Ptolemaeo, Varro membranas Pergami tradidit repertas.* Duo tamen ad hunc locum ſunt obſeruanda. Non enim aemulatio eſſe potuit inter Ptolemaeum Philadelphum et Eumenem, quoniam, ſi tempora examinaueris, ille huic toto fere ſaeculo fuit antiquior, ideoque Ptolemaeum V. Epiphanem cognominatum, Eumenique aetate aequalem, a Plinio intelligi, LIPSIVS ſuſpicatur *l. c. cap. IV.* Deinde falſum eſt, hoc primum tempore membranae vſum innotuiſſe Pergami, probante id, praeter alios, clariſſimo TROTZIO ad *Hugonem de prima ſcribendi orig. p. 91.* Vid. tamen FVNCCIVS *de Scriptura vet. p. 90. ſq.* Perdurauit iſthaec ſapientiae ſupellex Pergami vsque ad Antonii tempora, qui eandem ducentis librorum millibus conſtantem, Alexandriam abducendam curauit, vt in §*pho ſuperiori* memorauimus. Cf. de ea, medicis in primis Auctoribus referta, GALENVS *lib. VI. Epidem.* et HIPPOCRATES *de fract. oſſ. lib. III.* Inſtituta vero haec erat Bibliotheca in loco ad ſtudiorum vſum haud idoneo; nec enim vel Pergami, vel in vicinia eius vrbis, magnopere vnquam litterae floruerunt.

§. X.

Perſis Suſa erat nobile Muſarum domicilium, vbi cultiſſimae lectionis Bibliothecam fuiſſe inſtructam, Metaſthenes teſtatur, ſiue potius MEGASTHENES, *de iudicio temporum et annalium Perſarum,* de quo plura apud FABRICIVM in *Bibliotheca Graeca, Vol. II. p. 221.* Plerisque tamen haud immerito ſcriptor eſt ὑποβολιμαῖος,

μαῖος, primum ab ANNIO, Viterbienſi, editus in *Collectione Auctorum vetuſtiſſimorum*. Vid. *Catalog. Biblioth. Bunauianae T. I. Vol. 1. p. 417.* Prouocat Graecus ille ad Bibliothecam Suſianam, eamque ſe conſuluiſſe dicit, quum Opuſculum ſuum ſcriberet. Sed norunt omnes, Annium inter doctos referri impoſtores, ideoque fide lubrica haec nituntur. Cf. LOMEIER *c. IV. p. 57. ap. Schmid.* Eandem Bibliothecam ſtudioſe adiiſſe perhibetur Cteſias Cnidius, qui in expeditione Cyri aduerſus fratrem Artaxerxem captus, propter Medicinae ſcientiam magno in honore habitus fuit, eaque occaſione res externas tranſtulit ad Graecos. Vid. DIODOR. SICVLVS *lib. II. cap. 32.*

Non vulgarem libros colligendi pruritum fuiſſe olim apud *Hebraeos*, ex eo patet, quod SALOMO in *Eccleſiaſte cap. XII. v. 21.* iam profitetur, ſcribendorum librorum finem ac modum nullum eſſe. Imo multum curae in ordinandam Hebraeorum Bibliothecam impendiſſe Nehemiam, *Lib. II. Maccabaeor. cap. 2. v. 13.* indicat. Quamuis enim diu ante illius aetatem Moſes ſcriptum a ſe Legis librum iuſſerit Leuitas reponere in Arca foederis, *Deuteron. cap. XXXI. v. 26*; prima tamen haud dubie, eaque ſolemnis, Iudaeorum Bibliotheca fuit, quam adornauerat Nehemias, quamque Hieroſolymitae adeo celebrare videntur, vt eam vel cum Philadelphi comparare theſauro, vel eidem opponere, non erubuerint. Haud quidem deſunt, qui ex Graeci textus colligunt lectione, in adducto *libri II. Maccab.* loco non ſignificari libros ſacros, ſed alios potius hiſtoricos, ab Auctoribus antiquis conſcriptos; at non eſt ab omni veritatis ſpecie alienum, ſacros maxime libros, Nehemiae iuſſu, eſſe conquiſitos, praeſertim quum princeps ille religioſus, acerrimusque diuini cultus defenſor, non curioſitati et ambitioni, ſed publicis populi vſibus, profectuique

 ſpiri-

ſpirituali, quae verba ſunt SPIZELII in *Diſſ. praelim. Sacris Bibliothecar. arcanis retectis* praefixa *§. III.* Bibliothecam a ſe conditam haud dubie conſecrauerit. Accedit, quod id ipſum ſuaſu potiſſimum et opera Eſdrae praeſtitiſſe videatur, qui et forſitan ſummi Bibliothecarii munere functus eſt, vt IDEM *l. c.* coniicit. Antiocho deinceps multa volumina, in bello Iudaeis illato, dilacerante flammisque vltricibus deuouente, Iudas Maccabaeus reſtituit, quae interierant. Vid. I. *Maccab. cap. 1. v. 59.* et II. *Maccab. cap. 2. v. 14.* Stetit ergo haec Bibliotheca vsque ad excidium templi ſecundi, quo tempore eam penitus intercidiſſe, credibile eſt, Judaei licet in ripa Euphratis ſepulchrum Ezechielis oſtendant, pariterque templi primi ac ſecundi Bibliothecam. Hoc enim exiguam fidem meretur, nec, niſi ex relatione fabuloſa, R. BENIAMINI, Tudelenſis, fundamentum habet, quippe qui in *Itinerario p. 73. edit. Helmſt.* iſta expoſuit. Cf. LOMEIER *de Biblioth. Cap. III. p, 27. ap. Schmid.* Videntur etiam Synagogae ſuas adſeruaſſe Bibliothecas, quod IDEM colligit *pag. 28.* ex *Lucae cap. IV. v. 16. ſq.* et *Actor. Apoſt. cap. XV. v. 21.* Add. ALTINGIVS *de Academiis et re Hebraeor. ſcholaſtica*, nec non VITRINGA *de Synag. veter. lib. I. Parte 1. cap. 12. p. 225. ſq.* Generatim autem de veterum Hebraeorum erga rem librariam amore et ſtudio legendi, praeter LOMEIERVM *l. c.*, BASNAGIVS in *Hiſtor. Judaeor.* SPIZELIVS in *Coronide philologica* Libro ſupra nominato adiecta, *p. 356. ſq.* et in *Collect. Schmidiana Acceſſ. I. p. 213.* item IAC. MIDDENDORPIVS de *Academ. lib. II. p. 231. ſq.* vbi de Bibliotheca Hieroſolymitana quaedam commemorat, adcuratiori examine digna. Ad finitimos denique *Syros* quod attinet, apud eos Bibliotheca exſtabat Antiochi M., cui SVIDA teſte *v. Euphorion*, praefuit Euphorion, Polymneti filius, vir tantae dignitatis in eruditorum ordine, vt ipſe Tiberius Graecas eius ele-

gias,

gias, (quas Cornelius Gallus Latine vertit,) legerit frequenter, et imitari ſtuduerit, imo easdem atque imaginem poetae publicis Bibliothecis inter veteres et praecipuos Auctores dedicauerit. Vid. SVETONIVS in *Tiberii Vita cap. LXX.* ad quem locum cf. interpretes.

§. XI.

Graecia, liberalium artium cultrix, plures poſſedit Bibliothecas. ATHENAEVS *Deipnoſ. lib. I. cap. 1.* mentionem iniicit Polycratis Samii, Piſiſtrati tyranni, Euclidis Athenienſis, Nicocratis Cypri, Euripidis, poetae, Ariſtotelis, philoſophi, et, quem omnibus anteponit, Laurentii ſui, Deipnoſophiſtarum magiſtri, eorumque in congregandis libris induſtriam laudat. Piſiſtratus praeſertim libros diſciplinarum liberalium Athenis publice ad legendum primus poſuiſſe dicitur a GELLIO *lib VI. cap. vlt.* et ISIDORO *lib. VI. cap. 4.* Cf. IOH. MEVRSII *Piſiſtratus* in *Tomo V. Theſauri Gronouiani.* Quam eius Bibliothecam, ab Athenienſibus poſtea inſigniter auctam, Xerxes, incenſa vrbe, tranſtulit in Perſiam, ſed Seleucus, Nicanor adpellatus, multis poſt annis referendam Athenas curauit, eodem GELLIO auctore *l. c.* Nec illa tamen felicitas diuturna fuit. Nam Sulla victor omnes Bibliothecas Athenis Romam auexit, vbi eas vna cum aliis incendio periiſſe tandem, ſatis eſt probabile. CONRINGIVS de *Biblioth. Aug. p. 167.* Cf. etiam de hac Bibliotheca, cuius publicatione Piſiſtratus tantam ſibi apud Athenienſes conciliauit gratiam, quantum ob tyrannidem odium contraxit, MIDDENDORP. *l. c. p. 364. ſq.* et MONTFAVCON. in *Praef. ad Palaeogr. Graec. p. 15.* vbi fatetur, eam vetuſtiſſimam earum eſſe, quas memoratas a ſcriptoribus ſciamus. Laurentius autem antiquorum librorum, Graecorum pariter ac Latinorum, copiam tantam congeſſit, vt hac in re omnes no-

biles illos ante adductos superaret, ipsumque, cuius in potestate horum libri fuerunt, Neleum, teste ATHENAEO *l. c.* qui sua δειπνοσοφιστικὰ nobis dare vix potuisset, nisi ad manus habuisset Laurentii sui Bibliothecam. Add. de ea MONTFAVCON. *l. c. p. 18.* Iidem Graeci et in Asiae insula Chio, quae sibi Homerum vindicabat, poetae huic templum exaedificauerant cum instructissima Bibliotheca, quo ipso propensionem suam in litterarum studia praeclare comprobarunt. Vid. STRABO *Geogr. lib. XIV. p. m. 432.* Alia laudatur Bibliotheca, in Cnido, vna Cycladum insula, constituta, quam Hippocratis instinctu et inuidia, quod Cnidii medicae artis sectam, suae contrariam, profiterentur, concrematam vulgo dicunt, vti quidem intelligimus ex SORANI, Ephesii, *vita Hippocratis* in *Vol. XII. Biblioth. Graecae Fabric. p. 676.* quem locum iam adduxit MONTFAVCONIVS *l. c. p. 15.* vbi simul ignorari monet huius Bibliothecae primordia. De ea, quam Clearchus collegerat, nec non Apamaea, prae reliquis inter antiquissimas praestantissimasque habita, legi potest LOMEIERVS *cap. V. p. 66. et 72.* Add. FABRICIVS passim in *Biblioth. Graeca.* Haec de Graecorum Bibliothecis, quarum adcuratiorem descriptionem, vna cum integra gentis huius celeberrimae historia litteraria, promisit nuper clarissimus Hafniensis Academiae Professor, CASPAR FRIDERIC. MVNTHE, indicantibus institutum *Nouis litter. Gottingens. a. 1749. p. 378.* Et sane dignum est docti viri calamo argumentum, obscurum adhuc, nec pertractatum satis aliorum industria.

§. XII.

In splendida Romanorum vrbe, vbi initio Mars magis colebatur, quam Musae, paullo tardius inualuit Bibliothecarum studium, si quidem a libris Sibyllinis, (ex quorum diligenti custodia Romanos cogitasse

taſſe mature de Bibliothecis congerendis colligit, neſcio an recte, MIDDENDORPIVS *l. c. p. 612. ſq.*) XII. Tabb. Legibus, Legis actionibus, linteis annalium libris, in aede Monetae repoſitis, quorum hinc inde apud Liuium mentio iniecta, carminibus ſaliaribus, ſimilibusque receſſeris, quum haec omnia ſparſim adſeruata Bibliothecae nomen tueri vix poſſint. Poſtea tamen e paruis, vt fieri ſolet, initiis emicuit librorum amor, primusque eorundem copiam, Perſe, Macedonum rege, deuicto, A. V. C. IↃLXXXVI. aduexit Aemilius Paulus, ISIDORO teſte, *Orig. lib. VI. cap. 5.* Mox noua comparandae ſupellectilis eiusmodi aderat occaſio, ſed praetermittebatur a Senatu, eo forte indignam tunc temporis faſtigio ſuo cenſente litterarum curam. Capta enim A. V. C. IↃCVIII. Carthagine, in praedam etiam Bibliothecae ceſſerant, quas reguli Africae a Romanis dono acceperunt. Vid. PLINIVS H. N. *lib. XVIII. cap. 3.* De Sulla diximus iam ſuperiori §pho, quod magnam librorum vim Athenis Romam auexerit, interque hos Apelliconis Teii Bibliotheca refertur a ſcriptoribus, in qua plerique Ariſtotelis ac Theophraſti libri erant. STRABO *Geogr. lib. XIII. p. m. 408.* et PLVTARCHVS in *Sulla*, *pag. 468. T. I. edit. Francof. a. 1620.* Eadem confirmat LVCIANVS in *Dialogo aduerſ. indoctos T. II. Opp. p. 539. edit. Ioh. Benedicti*, quo loco ſic ex verſione Latina: *Iam vt tot poſſideas libros*, inquit, *quot Athenis in Italiam aduexit Sulla, num ideo eruditior es futurus?* Hereditatis deinceps iure theſaurus hic litterarius peruenit in manus filii, L. Cornelii Sullae Fauſti, quem ille, Pompeii gener, in Pompeiano habebat prope Puteolis, vbi eadem ſe paſci TVLLIVS ſcribit *lib. IV. ad Atticum Epiſt. 10.* Erat enim in more hoc poſitum apud Romanos, vt in villis etiam ac praediis ruſticis Bibliothecas haberet generoſiſſimus quisque, et iisdem, ab omnibus interpellationibus vrbisque ſtrepitu

vacuus, liberius vteretur, quoties eo animi recreandi caussa secesserat. Facile id perspicimus ex TVLLIO *de finib. lib. III. cap. 2.* PLINIO *lib. III. Epist. 7. et lib. IV. Epist. 28.* nec non MARTIALI *lib. VII. Epigr. 16.* quibus auctoribus accedat GE. GREENIVS *de Rusticat. veter. Rom.* in *Tomo I. Thesauri Sallengriani p. 690. sq.* ISIDORVS *loco supra adducto* Aemilio Paulo L. Licinium Lucullum addit, qui e Pontica praeda, postquam anno circiter V. C. IↃCLXXXI. prosperum aduersus Mithridatem expertus Martem fuerat, egregiam librorum copiam acquisiuit. Laudat proinde hoc eius studium PLVTARCHVS in *Lucullo p. m. 419.* statimque subiicit, vsibus omnium patuisse Bibliothecam, ita profecto, vt ad eandem, veluti ad Musarum aedem et hospitium, conuolarint eruditi, quibus se ipse frequenter immiscuerit. Non nihil quidem ab Isidoro dissentit Plutarchus, referens quippe, aere suo libros coemisse Lucullum. Sed vtraque narratio, vt est opinio CONRINGII *de Bibl. Aug. p. m. 194.* conciliatur commode, si dixeris, aere illo, quo collecta fuerat Bibliotheca, ex manubiis Ponticis eundem esse locupletatum. Cf. CELLARIVS *de studiis Roman. litter. §. XVI. p. 357. in Collect. Diss. Cellar.* qui de Lucullo *huius*, inquit, *vt magnifica omnia erant post victoriam; ita etiam Bibliotheca - - - Plutarchus pluratiuo numero* βιβλιοθηκῶν *dixit, quia Lucullus non tantum in vrbe, sed in villis etiam tales instruxerat.* Meminit simul Ciceroniani de finibus loci, iam prolati, ex quo manifestum est, illustris huius Bibliothecae possessionem esse, parente mortuo, ad filium deuolutam, Tulliumque in ea aliquando inuenisse Catonem, multis circumfusum Stoicorum libris. Nec praeteriri debet ipse Cicero, qui Antii librorum se festiuam habere copiam, iisque delectari, *libro II. Ep. 6. ad Attic.* profitetur. Add. *lib. III. de finib. cap. 3.* vbi Catonem interrogantem inducit: *Tu autem, quum ipse tantum librorum habeas,*

beas, quos hic tandem requiris? Qui licet adparatus cum aliis bonis, post incensas furore Clodii aedes Ciceronis, villasque anno ↄↄCXCV. hastae fuisset subiectus; reliquias tamen non collegit modo, sed et varie auctas eleganter exornauit, quod eidem Attico significat *lib. IV. Epist. 4.* Nouum deinceps, paullo ante funestam summi possessoris caedem, damnum fecit haec Bibliotheca. Sic enim A. V. C. ↄↄCCVIII. ad Sulpicium scripsit: *Dionysius, seruus meus, qui meam Bibliothecen multorum nummorum tractauit, quum multos libros surripuisset, nec se impune laturum putaret, aufugit. Is est in prouincia tua. Eum et M. Bolanus, familiaris meus, et multi alii Naronae viderunt. Sed quum se a me manumissum esse diceret, crediderunt. Hunc tu si mihi restituendum curaris, non possum dicere, quam mihi gratum futurum sit. Res ipsa parua, sed animi mei dolor magnus est.* Vid. *lib. XIII. ad diuersos Epist. 77.* Notae sunt porro Bibliothecae fratris, Quinti Ciceronis, IDEM *lib. III. Epist. 4. ad Q. fratrem;* T. Pomponii Attici, teste EODEM *ad Atticum lib. I. Epist. 4.* et *Epist. 10.* item CORN. NEPOTE in *eius vita, cap. XIII;* Tyrannionis, Grammatici, quem vltra triginta librorum millia acquisiuisse, SVIDAS docet *v. Tyrannio,* cui iungatur BRVCKERVS in *Histor. Philos. crit. T. II. p. 19. litt. e)* de hoc viro eleganter disserens; Epaphroditi, patria Chaeronensis; Silii Italici, poetae; Plinii iunioris Nouocomi, in municipio suo, ipso teste *lib. I. Epist. 8;* Herennii Seueri, et aliorum. Haec de Bibliothecis priuatis. Publicarum origo inde ab Augusti aetate repetenda est. Quamquam enim de Iulio Caesare SVETONIVS tradit in *eius Vita cap. XLIV.* quod destinauerit Bibliothecas Graecas et Latinas, quas maximas posset, publicare, data M. Varroni (quem ipsum libraria supellectile haud fuisse destitutum, ex CICERONE *lib. XI. ad diuers. Epist. 4.* intelligitur,) cura comparandarum

ac digerendarum; obſtiterunt tamen fata, quo minus haec talia ad optatum peruenire exitum poſſent. Augusti potius imperio vindicanda eſt inſtituti nobiliſſimi exſequutio, cuius quippe auſpiciis et hortatu Aſinius Pollio, *) vir ingentium gloria meritorum illuſtris, ex Dalmatarum, quos vicerat, manubiis Atrium libertatis, templum illud a Tiberio Graccho in monte Auentino aedificatum, at collapſum forte temporis iniuria, refecit et quaſi de integro exſtruxit, auctore SVETONIO *in Aug. cap. XXIX.* moxque Bibliotheca ibidem dicata *primus ingenia hominum rem publicam fecit*, quae PLINII ſunt verba H. N. *lib. XXXV. cap. 2.* Add. IDEM *lib. VII. cap. 30.* OVIDIVS *Triſt. lib. III. eleg. I. v. 71.* et ISIDORVS *lib. VI. c. 5.* quibus iungere potes CHRIST. HENR. ECKHARDI *Diſſert.* lectu digniſſimam *de C. Aſinio Pollione, iniquo optimor. Latinit. auctorum cenſore, Ienae 1743.* cum primis §. *XVII. p. 22.* et IONAE TRIVALL *Diſſ. de C. Aſinio Pollione, eiusque in Auctores cenſura*, Praeſide Petro Ekerman, defenſam *Vpſaliae a. 1745.* Nimis vero liberaliter Eckhardus, vir doctus, *p. 24.* album calculum adieciſſe videtur coniecturae LIPSII *de Biblioth. cap. X.* adſcribentis Aſinio imaginum et ſtatuarum inuentionem, quibus veteres reddere ſplendidiores Bibliothecas conſueuerunt. Iam enim Ciceronis aeuo hunc inualuiſſe vſum, non inepte ſtatuitur ex eius *Epiſt. ad diuerſ. lib. VII. Epiſt. 23.* item *lib. IV. ad Attic. Epiſt. 10.* Nec id, quod credunt plures, adſerit, ſi vera cernimus, locis citatis Plinius, memorans tantum, a Pollione Varronis vnius viuentis imaginem collocatam in Bibliotheca fuiſſe, quam explicandi rationem ipſe Eckhar-

*) Magnifice de eo HORATIVS *lib. II. oda 1. v. 13. ſq.*

Inſigne moeſtis praeſidium reis,
Et conſulenti, Pollio, curiae:
Cui laurus aeternos honores
Dalmatico peperit triumpho.

Eckhardus elegit paullo post, vbi sequentia subiunxit: *Et quum mortuorum alias honori hoc daretur, Pollio in Bibliotheca sua vnius M. Varronis adhuc viuentis imaginem posuit, teste Plinio lib. VII. Hist. Nat. cap. 30.* Sed manum de tabula! Non enim hac in re salus patriae consistit. Legant interim, qui de imaginibus clarorum virorum, ornamenti caussa, in Bibliothecis repositis, nosse plura cupiunt, praeter EMVND. FIGRELIVM *de Statuis illustr. Rom. Cap. XXIV. p. 206. sq.* IO. DAVID. SCHREBERI et CHRISTOPH. GODOFR. BARTHII *Dissertationes* singulares, quarum *illa Lipsf. a. 1692. haec Hal. Magd. a. 1702.* lucem adspexit. Post Pollionem ipse Augustus, Imperator, qui, vt SVETONII verbis vtamur, in *eius Vita cap. LXXXIX.* ingenia saeculi sui omnibus modis fouit, duas condidit Bibliothecas, alteram *Octauiam*, alteram *Palatinam*. Octauia, quam a matre defuncti Marcelli, Octauia, filii memoriae dicatam esse, PLVTARCHVS in *Marcello p. m. 316.* falso perhibet, in honorem sororis hoc ab Augusto nomen accepit, annoque V. C. IↃCCXXI. e Dalmatarum manubiis erecta est. DIO CASSIVS *Histor. lib. XLIX. p. 601. edit. Reimarianae.* Collocata fuerat in porticus Octauianae parte superiori, quum inferior deambulationibus tantum inseruiret, vti LIPSIVS arbitratur *de Biblioth. cap. VI.* et cum eo plures. Praefecit Augustus huic eruditionis thesauro C. Melissum, libertum et Grammaticum, de quo SVETONIVS *de illustr. Grammat. cap. XXI.* Palatina Bibliotheca iuxta aedes Imperatoris et Apollinis Templum in monte Palatino A. V. C. IↃCCXXVI. constituta est. IDEM *in Aug. cap. XXIX.* ex quo simul constat loco, libros Graecos a Latinis fuisse separatos. Et marmora antiqua apud LAVR. PIGNORIVM *de seruis p. 217. edit. in minori forma* diuersos ac singulares exhibent praefectos, ita quidem, vt alter a Bibliotheca Latina Apollinis, alter, a Bibliotheca Graeca Palatina nominetur.

Cf.

Cf. ONVPHR. PANVINIVS *in Reipubl. Rom. Comment. lib. I. p. 97.* Inter celebriores Bibliothecarios laudatur a SVETONIO *de illustr. Grammat. cap. XX.* Caius Iul. Hyginus, Augusti libertus, cuius sub nomine complures adhuc fabulae, et astronomica quaedam, exstant. SYLVESTER LÜRSENIVS data opera *Templum ac Bibliothecam Apollinis Palatini* descripsit in singulari Libro, edito, cum Dissertationibus *de Apolline ac Bibliothecis veterum, cum maxime Romanorum, Franequ. a. 1719. in 8.* vbi inde a *Cap. XIV. p. 113.* vsque ad *p. 234.* congessit Auctor omnia, quae ad historiam dictae Bibliothecae faciunt. Sed nostris in terris rarius occurrit scriptum eruditum, de quo interim legi potest *die Neue Hällische Bibliothec, P. XCVI. p. 423. sq.* Paucis addendum, quo tempore perierit vtraque Augusti Bibliotheca. Octauiam sub Titi imperio conflagrasse, quum Roma tres dies continuos, totidemque noctes, flamma vehementiori corrumperetur, dubio caret, cuius calamitatis, praeter SVETON. in *Tito cap. VIII.* meminerunt DIO CASSIVS *Lib. LXVI. p. 1096. edit. citatae*, et, qui ipsa plerumque Dionis verba studiose seruat, XIPHILINVS in *Tito, p. 230.* Palatinae e contrario fata tristia ad magnum illud incendium, quod Commodo regnante Vrbem adflixit, referenda videntur, in quo non funditus euersa quidem, vehementer tamen attrita fuit et imminuta. GALENVS in *Prooem. lib. I. de compos. medicam. per gen.* huic opinioni fidem conciliat, nec ab eadem alienum crediderim XIPHILINVM in *Commodo sub finem.* Prorsus vero deleta hoc tempore ideo dici vix poterit, quod P. VICTOR, qui sub Valentiniano et Valente Augg. aetatem egit, Palatinae Bibliothecae, suo adhuc aeuo exsistentis, diserte facit mentionem. Imo, si IOHANNEM, Sarisberiensem, audiamus in *Policratico, seu de nugis Curialium lib. II. cap. 26. in fine*, a Gregorio M. demum in nihilum est redacta, quem scili-

ſcilicet Pontificem concremaſſe refert probatae lectionis *ſcripta*, *Palatinus quaecunque tenebat Apollo.* At Capitolinae forſitan Bibliothecae reliquias, a Gregorio ſublatas, hoc loco intelligit; alibi enim, *lib. VIII. cap 19. p. 557. edit. Plantin. a. 1595. in 8.*, exhibitis de Capitolinae ſub Commodo exuſtione verbis Oroſii, adiecit haec: *Fertur tamen beatus Gregorius Bibliothecam combuſſiſſe gentilem, quo diuinae paginae gratior eſſet locus, et maior auctoritas, et diligentia ſtudioſior.* Cf. CONRING. *de Bibl. Auguſta, p. 169.* et BRVCKERVS in *Hiſtor. Philoſ. crit. T. III. p. 561.* praecipue vero LÜRSENIVS *l. c. Cap. XXIII. p. 224 ſq.*

§. XIII.

Hoc librariae rei ſtudium proſequuti fuerunt ſubſequentes Imperatores. Sic *Tiberianae domus* Bibliothecam notam nobis reddunt GELLIVS *Noct. Attic. lib. XIII. cap. 19.* et VOPISCVS *in Probo cap. 2.* quam tamen librorum collectionem num ipſe congeſſerit Tiberius, an ſucceſſorum aliquis, certo definiri nequit, ſilente hac de re hiſtoria. Eum interim auctorem inſtituti credunt LIPSIVS *l. c. cap. VII.* CONRING *de Bibl. Aug. p. 182.* et alii. Conſumtam eſſe hanc Bibliothecam probabile eſt imperante Nerone, in calamitoſo illo incendio, quod, vt TACITI vtamur verbis *Annal. lib. XV. cap. 38. ſequ. ſtatim validum ac vento citum decem fere vrbis regiones, opesque tot victoriis quaeſitas, et Graecarum artium decora, exin monumenta ingeniorum antiqua et incorrupta, quae reparari nequibant.* Eam tamen quum ſua adhuc aetate, quae in ſaeculum adhuc quartum incidit, exſtitiſſe diſertis verbis tradat VOPISCVS *l. c.*; ſuſpicari denuo licebit, inſtauratam poſtea fuiſſe dictam Bibliothecam, a Domitiano forte, qui *Bibliothecas incendio abſumtas impenſiſſime reparare curauit, exemplaribus vndique petitis, miſſisque Alexandriam, qui deſcriberent emendarentque.*

SVE-

SVETONIVS *in Domit. cap. XX.* Tiberianae ſucceſſit *Pacis* Bibliotheca, in Templo Pacis collocata, quod condidiſſe Veſpaſianum, Ioſephus, Suetonius, Dio Caſſius et Aurel. Victor vno ore loquuntur. Quemadmodum igitur a vero non abhorret, ſtructum id eſſe ex manubiis Iudaicis, quandoquidem, vt Hieronymus refert, vaſa templi Hieroſolymitani ac donaria in aede illa Pacis depoſita fuerunt; ita etiam coniecturae haud immerito locus eſt, ex iisdem manubiis Bibliothecam Templi illius pretioſiſſimam trahere originem, iudicante LILIENTHALIO *ad h. l.* ſeu CONRINGIO potius, ab eo haud nominato, *de Bibl. Auguſta p. 195.* Domitianum quidem auctorem illius ſupellectilis eruditae noua ſummus Polyhiſtor coniectura perhibet; alii vero et ipſum hic ſubſtituere Veſpaſianum malunt, eamque in rem partim ad ſingularem eius in litteratos fauorem prouocant, partim ex SVETONIO in *Veſpaſ. cap. VIII.* cum GELLIO collato *lib. XVI. cap. VIII.* nec non ex IOSEPHO *de bello Iud. lib. VII. cap. 24.* haud difficulter haec poſſe elici, perſuaſum ſibimet habent. Quae omnia ſi conſiderauerimus adcuratius, fortiori altera opinio niti fundamento videtur, in primis quum Tranquillo ſermo tantum ſit de reparatis a Domitiano Bibliothecis, quae incendio perierant. Sed mittimus haec, Bibliothecam *Vlpiam* breuiter deſcripturi. Fuit illa in Templo Traiani, ab eo ipſo Imperatore, quem optimi elogio ciues ornarunt, inſtinctu Plinii iunioris conſecrata, et gentili Principis nomine inſignita. Mentionem illius iniiciunt GELLIVS *lib. XI. cap. 17.* atque VOPISCVS in *Aureliano cap. I.* et *VIII.* in *Tacito cap. VIII.* item in *Probo cap. II.* qui ſcriptor locis prioribus libros etiam linteos et elephantinos, ex inteſtinis elephanti ad ſcribendum inſtructos, ſeu, quod non nulli credunt, ex ebore confectos, commemorat. Quae vt recte intelligantur, notandum, linteis libris imperii Romani

mani Principumque facta fuiſſe expoſita, elephantinos autem Scta exhibuiſſe. Vid. hanc in rem Auctores plures, laudati a CHRIST. GOTTLIEB SCHWARTZIO in *Diſſ. I. de ornamentis libror. ap. veter. §. 2.* cf. *eiusdem Diſſ. IV. §. 6.* et, qui memorabilia Bibliothecae Vlpiae, in primis quoad libros linteos et elephantinos, verboſe recenſet, MIDDENDORPIVS *lib. III. de Acad. p. 616. ſq.* Nec diuturnum tamen iſti Bibliothecae domicilium in Templo Traiani fuit. Diocletianus enim, ambitioſus Princeps, in thermas ſuas eam tranſtulit, quo nouo huic operi celebritatem conciliaret, idque ex eodem, quem adduximus, VOPISCI loco patet, *in Probo cap. II.* Cf. RVD. ANT. FABRICII *Diſſ. de tranſpoſitione Bibliothec. memorabili, Helmſt. 1724. §. V.* Solebant autem Romani Bibliothecas priuatas in balneis ac thermis adſeruare interdum, non tam, vt otioſe corpora curantes illis vacarent, quam vt a flammis tutarentur in thermis, magnifico opere et robuſto pariete lapideo exſtructis, et aquarum beneficio minus conflagrationi expoſitis, quae THOMAE BARTHOLINI ſunt verba *de libris legend. Diſſ. I. p. 8. edit. Meuſchen.* Add. SENECA *de tranquill. animi cap. IX.* Incerta ſunt admodum, quae de *Capitolina* Bibliotheca, eiusque auctore, vulgo dicuntur. Hanc ſub imperio Commodi, Capitolio fulmine icto, conflagraſſe, praeter EVSEBIVM *in Chronico ad A. Chr.* CXCI. et OROSIVM *lib. VII. cap. 16.* teſtantur DIO CASSIVS *lib. LXXII. in fine* pariterque HERODIANVS *Hiſtor. lib. I. cap. 14.* Sed iſta forte ad aliam ſpectant Bibliothecam, ſeu Palatinam, ſeu illam, quae conſtituta fuerat in Pacis Templo, prope forum ad pedes Capitolini montis ſito, quae CONRINGII ſententia eſt de *Bibl. Aug. p. 169.* Interim plerique librorum in Capitolio fuiſſe armarium putant, ideoque PANVINIVS in regione vrbis octaua locum illi adſignauit. Vid. ROSINI *Antiqu. Rom. lib. I. cap. 13.*

p. m.

p. m. 87. edit. Colon. a. 1645. Imo LIPSIVS *l. c. Cap. VII.* a Domitiano eam ſuſpicatur adornatam. *Nam ille*, inquit, *ſeruatus olim in Capitolio, templum ibi princeps ſtruxit; quid ſi et hanc Bibliothecam? Etſi nemo tradidit, qui nunc exſtant: Suetonius hoc tantum de eo vniuerſe cap. XX: Bibliothecas incendio abſumtas caet.* Contradicit autem IVSTVS RICQVIVS *de Capitol. Rom. cap XXXV.* et Sullam potius Dictatorem huius Bibliothecae auctorem perhibet, qui, vt ipſe ſcribit, *poſt expilatas Athenas Atticas, magnamque librorum vim inde aſportatam, nullibi videtur commodius aut honorificentius, quam in Capitolio, deponere potuiſſe.* Quae coniectura an ſit Lipſiana praeſtantior, propiusque accedat ad veritatem, acutiorum relinquimus iudicio. Nos quidem non poſſumus non ab eadem propterea ſecedere, quod adparatus Sullae librarius, quem in aede publica Rycquius fuiſſe putat, hereditatis iure tranſiit ad filium, Sullam Fauſtum, et in Pompeiano, prope Puteolis, adſeruatus eſt, vti iam dictum §pho ſuperiori. Struuius ALEXANDRO DONATO in *Opere de Roma veteri ac recenti*, ſaepius edito,*) album adiicit calculum, vbi *lib. II. cap. 9.* Hadriano Imperatori eiusdem Bibliothecae originem tribuit, idque ideo, quia ex SEXTO AVREL. VICTORE *de Caeſar. cap. XIV.* probet, illum in Capitolio Gymnaſia inſtituiſſe, quibus maxime conueniat Bibliotheca. A quo non ſine cauſſa diſſentit FVNCCIVS *de ſcriptura veter. p. 305.* et *fateor*, ait, *Gymnaſiis Bibliothecas perquam eſſe neceſſarias: at nullo ſequitur modo, omnes Gymnaſiorum ſtatores etiam Bibliothecas collegiſſe.* Ex his patet igitur, quam parum ſint

*) Nimirum *Romae a. 1638.* 1648 *et 1665.* item *Amſtael. a. 1695. in 4. mai.* nec non in *Tomo III. Theſauri Graeuiani*, ac nouiſſime *Romae, a. 1725. in 4. mai.* Tribus poſterioribus editionibus, quarum elegantiſſima eſt Amſtaelodamenſis, acceſſerunt permultae figurae aeneae. Cf. FABRICII *Conſp. Theſ. litt. Italiae, p. 172.*

ſint explorata, quae ad cognoſcendam Bibliothecam Capitolinam a recentioribus proferri ſolent. De Gordiano iuniori IVLIVS narrat CAPITOLINVS in *vitis Gordian. cap. XVIII.* quod Serenus Sammonicus, ipſius olim praeceptor, omnes libros patris ſui, qui cenſebantur ad ſexaginta et duo millia, Gordiano moriens reliquerit, atque inde Auguſtus, tantae Bibliothecae copia et ſplendore donatus, in ſamam hominum litterarum decore peruenerit. Verum enim vero quum hiſtoricus, publicam factam eſſe hanc Bibliothecam, haud ſubiungat, nec alius, quantum ſciamus, eius fata vno verbo attigerit, nos etiam iſti rei non immorabimur. Magis huc pertinent, quae poſt Gordiani tempora de Tacito Imperatore ex VOPISCO *cap. X.* MICH. NEANDER obſeruat *de Biblioth. deperd. ac nouiter inſtruct. p. 47. ap. Schmid.* illum ſcilicet non ampliſſimas tantum ad conſeruationem Bibliothecarum Romanarum diuitias erogaſſe, ſed et Corn. Taciti, viri conſularis, hiſtorias, atque aliorum probatiſſimorum Auctorum lucubrationes, decies quotannis ad vſum publicum transſcribi, inque diuerſas hinc inde Bibliothecas ſpargi, edito edicto, praecepiſſe. Quae verba, fide haud optima, ſua fecit LILIENTHALIVS. Videtur tamen Neander ex ingenio (non enim alium nominat Auctorem) quaedam hic loci adfinxiſſe Vopiſco, quae in eo fruſtra quaeſiueris. Audiamus hiſtoricum ipſum! *Cornelium Tacitum*, ait, *ſcriptorem hiſtoriae auguſtae, quod parentem ſuum eundem diceret, in omnibus Bibliothecis collocari iuſſit: et ne lectorum incuria deperiret, librum per annos ſingulos decies ſcribi publicitus, in euicis archiis* (quae verba corrupta ſine dubio Archiua denotant,) *iuſſit, et in Bibliothecis poni.* Caeterum plures adhuc, vsque ad Conſtantini M. aetatem, Romae patuiſſe Bibliothecas, ex P. VICTORE *de Region. vrbis Romae in Tomo III. Theſauri Graeuiani* colligimus, quippe qui inter Vrbis

 ſingu-

ſingularia Bibliothecas publicas viginti ac nouem notat, quarum multas ipſe vel erexerit, vel repararit, Conſtantinus. Sed perierunt omnes, partim Gothis vrbem diripientibus, partim, quum Pontifices Romani ex ingenti erga religionem Chriſtianam adfectu, ſeu verius metu quodam nemini ignoto, libros, qui de gentili agebant doctrina, eliminare ac tollere funditus ſtuderent. Vid. PAGAN. GAVDENTIVS *de Philoſoph. apud vet. Rom. cap. CLXVIII. p. 228. in Faſcic. III. Collect. nouae varior. ſcriptor.* quae olim ex officina Rengeriana *Halae Magd.* prodiit. Atque haec hactenus de Bibliothecis Romanorum, quas *Diſſertatione* ſingulari, a nobis in iſto argumento adhibita, eleganter deſcripſit ERHARD. REVSCHIVS *Helmſt. a. 1734.* Eſt et in manibus noſtris alia *de Bibliothecis Romanorum*, Praeſide Petro Ekermanno, a PETRO HAMNER defenſa editaque *Vpſal. a. 1744. in 4.* quae vero non poteſt comparari cum diligentia Reuſchiana. Ad antiquitates rei librariae generatim diſcendas adprime faciunt HERMANNVS HVGO *de prima ſcribendi origine*, qui liber, *Antwerp. a. 1617. in 8.* excuſus, propter inſignem raritatem *Lugd. Bat. a. 1736. in 8. mai.* cum celeb. ICti, CHRIST. HENR. TROTZII, obſeruationibus ampliſſimis, quae autem parum benigne diiudicantur in *Bibliotheque raiſonnée Tom. XXI. p. 71. ſq.* denuo luci publicae expoſitus eſt; REIMMANNI *Idea ſyſtematis antiquit. litter. Hildeſiae a. 1718. in 8.* de qua tamen confer. *Acta Erudit. Germanica P. LV. p. 479. ſq.* Quid ſentiat de Hugone Reimmannus lege *p. 171*; ANDR. CHRISTIANI ESCHENBACHII *Diſſ.* de *Scribis Romanorum*, quae non modo in *Diſſert. Auctoris Norimb. a. 1705. in 8.* iunctim editis *p. 257.* ſed etiam in *Faſciculo Diſſert. Roterod. P. II. p. 253. ſq.* locum nacta eſt; CHRIST. SCHOETTGENII *Diſſ. de librariis et bibliopolis veterum*, *Lipſ. 1710.* quae in linguam translata Germanicam auctior paſſim et ordi-

ordinatior ab eo ipſo *Norimb. a. 1722.* producta fuit hoc titulo: *Hiſtorie der Buchhaendler, wie ſolche in alten und mittlern Zeiten geweſen;* (adiecit Rothſcholtzius breuem notitiam *officinae librariae Tauberianae*) ac denique CHRIST. GOTTL. SCHWARTZII *Diſſertationes* bonae frugis pleniſſimae *de ornamentis librorum apud veteres vſitatis*, quarum prima *Lipſ. a. 1705.* altera *ibid. 1706.* tertia *Altorfii 1711.* quarta *ibid. 1716.* typis impreſſa. Acceſſerunt *Diſſertationes binae*, altera *de libris plicatilibus veterum*, *Altorf. 1717.* altera *de varia ſupellectile rei librariae veterum*, *ibid. 1725.* Omnes ſunt formae quadripartitae.

§. XIV.

A Romanis pergimus ad Bibliothecas *Byzantinas*, de quibus generatim cf. BANDVRI *Imperium Orient. Tomo I. p. 385. ſq.* item MONTFAVCON in *Praefat.* ſaepius laudata *pag. 19.* Hae a primo illo tempore, quo Conſtantini vrbs exornari egregie coepit, ſuam ſine dubio habent originem. De ipſo enim Conſtantino M. teſtatur EVSEBIVS in *eius vita lib. III. cap. 1.* illum theſauros imperatorios liberaliſſime effudiſſe in colligendis ſcribendisque libris ſacris, quos gentiles, perſecutionum temporibus, ab Eccleſiis pene excuſſerant. Add. IDEM *lib. IV. cap. 36. et 37. p. m. 544. edit.* HENR. VALESII, quae iuxta exemplar Pariſinum repetita *Moguntiae* fuit *a. 1672. in fol.* Et credibile eſt, hunc ipſum Imperatorem prima ieciſſe fundamenta Conſtantinopolitanae ad *Sophiae Templum* Bibliothecae, quae parte ſua potiſſima, ſi Chriſtianae doctrinae ſcripta excipias, ex Templorum gentilium ſpoliis coaluiſſe videtur. In hisce enim paſſim et libraria ſupellex reperiebatur. Conſtantini vero iuſſu atque auſpiciis Templa illa omnia ſpoliata, reditus item ac donaria illorum in nouae Romae ſtructuram impenſa, ſimulacra quoque iis detracta, et in vrbis illius orna-

tum translata, denique Templa ipſa Theodoſii aetate, Monachorum praepoſtero zelo, plurimis in locis omnino deſtructa eſſe, certiſſimum eſt. Ita loquitur CONRINGIVS in *Epiſt. de Bibl. Aug. p. 196.* atque lectores ſuos inſpicere iubet LIBANII *Orationem ad Theodoſ. M. pro Templis gentilium non exſcindendis*, doctiſſimo IAC. GOTHOFREDI commentario illuſtratam, editamque *Geneuae a. 1634. in 4.* Et quid mirum, quum Conſtantinus eorum praetermitteret nihil, quae vrbem nominis ſui ad ſummum euehere faſtigium poterant? Ipſum autem nouae huic Bibliothecae praefectum addidiſſe Conſtantinum, filium, ex THEMISTII *Orat. XIII.* patet, vbi Imperatorem ideo laudat. Iulianus poſtea, apoſtata dictus, quamuis infenſiſſimus Chriſtianorum hoſtis eſſet, adeo, vt et prohibuerit, filios eorum in ſcholas admitti; ipſe tamen litteratus princeps fuit, et librorum rationem habuit non vulgarem. Circumfertur dictum eius ex *Epiſtola ad Ecditium*, quod Theod. Canterus, Senator Vltraiectinus, Bibliothecae ſuae foribus adſcripſit, Gisbertus autem Voetius fronti praefixit Bibliothecae ſuae Theol. Studioſi, quodque Latine hoc eſt: *Alii quidem equos amant, alii aues, alii feras: mihi vero a puerulo mirum acquirendi et poſſidendi libros inſedit deſiderium.* LOMEIERVS *de Biblioth. cap. VII. p. 103. ap. Schmid.* Inde factum, vt locum Bibliothecae adſeruandae in Regia porticu ſtrueret, et quotquot habebat libros collocaret ibidem, teſte ZOSIMO *lib. III. Hiſtor. cap. 6.* Imo LIBANIVS memorat, libros eum vbique locorum conquiſiuiſſe, ac in Antiochenorum ſuburbio, Daphne, in Templo, quod conſecratum Traiano fuerat, nouam, eamque nobilem, inſtituiſſe Bibliothecam, a Iouiano deinceps, vxoris ſuaſu, crematam, concubinis faces ſubiicientibus. Vid. SVIDAS *voce* Ἰοβιανός, et LOMEIER. *l. c. p. m. 95.* Cura, quam in eandem impendit Iulianus,

ex

ex Epiſtolis eius IX. ac XXXVI. elucet. Huic autem Valens, Imperator, certos praefecit curatores et ſcribas, quatuor nempe Graecos, ac tres Latinos, docente *L. II. C. Th. de ſtudiis liberal. vrb. Romae.* Interim huius ſub imperio multae Bibliothecae priuatae perierunt. Quum enim plurimi, magicis ſacris operati, de ſucceſſore Imperatoris inquiſiuiſſent, atque propter ea ad ſupplicia raperentur, etiam innumeri Codices, et acerui voluminum, ſub iudicum conſpectu concremati ſunt. Haec publice quidem facta, ſed et priuati per orientales prouincias omnes exurebant librariam ſuam ſupellectilem, tantus vniuerſos inuaſerat terror. LOMEIER. *l. c. p. 105.* cui addatur AMMIAN. MARCELLINVS *lib. XXIX. p. m. 417. edit. Hamb.* De iuniori Theodoſio perhibet SOCRATES *Hiſt. eccleſ. lib. VII. cap. 21. in fine*, quod libros, tum qui ſacra eloquia complectebantur, tum qui ab eorundem interpretibus conſcripti erant, multo diligentius, quam Ptolemaeus Philadelphus olim, in vnum colligendos curauerit. Ipſe libros Noui Teſt. et SS. Patrum multos ſua deſcripſit manu, et in Conſtantinopolitana Bibliotheca depoſuit. Vid. LOMEIER. *p. 103.* quo vſus hic eſt, more ſuo, LILIENTHALIVS. Sed quae fata inſtructiſſimae Bibliothecae? Baſiliſco, cuius aetas in ſaeculum V. incidit, tyrannidem exercente, maximum in Conſtantinopolitana vrbe exſtitit incendium, quod in foro aerario exortum vicina loca omnia ipſamque Baſilicam, vna cum Bibliotheca, in qua centum viginti millia librorum repoſita fuerant, conſumſit, vt ZONARAS indicat ſub Leone M. *Tomo III. Annal. p. 43.* et SVIDAS *in Malcho.* Incendium hoc deplorat HIERONYMVS *Opp. Tomo IV.* In ea vero Bibliotheca idem Zonaras fuiſſe refert inteſtinum Draconis, longitudine pedum centum viginti, cui aureis litteris Homeri poëmata, tam Ilias, quam Odyſſea, inſcripta fuere. Et Cedrenus addit, fuiſſe

 hic

hic etiam hiſtorias multas, Heroum res geſtas continentes. In eo ſaltim a Zonara recedit, quod ſexies centena millia voluminum nominet, quae complexa ſit Bibliotheca. Vid. NEANDER *de Biblioth. deperd. ac nouiter inſtruct. p. 51. ap. Schmid.* ac THEOPH. SPIZELIVS in *Diſſ. praelim. de Bibliothecis p. 139. ap. eundem.* Cf. BANDVRI *Imp. orient. T. II. p. 843. ſq.* Reſtituta deinceps haec Bibliotheca vna cum Baſilica a Zenone Imperatore, curante Iuliano, praefecto vrbi, qui etiam Zenoni ſtatuam auratam poſuit ante veſtibulum. MONTFAVCON *l. c. p. 20.* Illi vero domicilium ibidem eſt conceſſum, qui eruditione caeteris eſſet ſuperior; huncque oecumenicum doctorem adpellabant. Habebat ſecum duodecim contubernales, viros quoque excellenter eruditos, quos, victu inſtructos publico, doctrinae et cognitionis auidi adire, ipſique Imperatores in rerum gerendarum conſilia adhibere ſolebant. Verum has aedes, cum Bibliotheca, (in qua ſeruabantur ſcripta Patrum ex antecedentibus ſaeculis complura, Euangelia aurea, gemmis librarum XV. diſtincta, exemplar authenticum Concilii Nicaeni, quod inde petitum erat, et alia Antiquitatis cimelia, de quibus LOMEIER. *pag. 104. edit. Schmid.*) doctisque illis ac venerandis viris, nefario facto comburi iuſſit Leo Iſaurus, quum opinionem ipſius de tollendis imaginibus adprobare nollent. Ita referunt ZONARAS *lib. XIV. in fine*, CONSTAN. MANASSES in *Annal. p. 422. ſq. edit. Meurſianae*, aliique Graecorum, ad quos prouocat BARONIVS *ad ann. Chriſti* IↃCCXXVI. *num. 10. T. IX. p. 59. edit. Plantin. d. a. 1612.* Sed legi meretur IOH. ANDR. SCHMIDIVS *in Hiſtor. ſaec. VII. et VIII. variorum fabulis maculata, p. 44. ſq.* vbi hoc inter commenta reponit, ſic ſcribens, praeter alia, *pag. 50: Fallor? an omne illud, quo de nunc agimus, incendium non niſi in aliquorum ſequioris notae hiſtoricorum cerebello contigit, quicquid*

forte

forte illis bonae mentis reliquum eſſet, penitus abſumturum, adeo, vt quaecunque de antiquiori, qui ſub Baſiliſco tyranno acciderat, ἐμπρησμῷ, non ſine plurimorum mendaciorum illuuie, per interiecta tot ſaeculorum ſpatia, incertis famae rumoribus ad eos propagata eſſent, ipſi, confuſa vtriusque, Baſiliſci ac Leonis, inuidia, ex dolo an imperitia? non dicam, huius tyrannidi vnice imputarent. Caeterum ſaec. XI. Eudocia Macrembolitiſſa, vxor primum Conſtantini Ducae, hinc Romani Diogenis, litterarum laude florens, multisque libris editis clara, Bibliothecam numeroſam cura ſumtuque ſuo comparauit. Vnus ex eius Bibliotheca eductus Codex, *Parallela,* ſiue *loca Patrum per interrogationem et reſponſionem* continens, in Bibliotheca Colbertina exſtitiſſe dicitur, vti refert αὐτόπτης MONTFAVCONIVS *l. c. p. 20.* qui et in ipſa *Palaeographia Graeca lib. IV. cap. 5. p. 295. ſq.* ſpecimen dedit, ſimulque de Eudociae Operibus et Bibliotheca quaedam attulit. Cf. IDEM in *Biblioth. Bibliothecar. MStor. noua, T. II. p. 924.* Saeculo XIII. memoratur a Leone Cinnamo, Calligrapho, Bibliotheca Imperatoria Conſtantinopolitana, imperante Michaele Duca et Angelo, Comneno, Palaeologo. Laudatur item Bibliotheca Georgii Comitis, Corinthii, qui Codices a Marco Mamura, Cretenſi, acceperat. Horum vero Codicum pars habetur in Bibliotheca Caeſarea, teſte MONTFAVCONIO *l. c.* in *Praefat. ad Palaeogr. Graecam.*

§. XV.

Nec Bibliothecarum curam praetermiſerunt reliquae Chriſtianorum in Oriente Communitates. Sic Alexander, Epiſcopus Hieroſolymitanus, ſaec. III. nobilem *Hieroſolymis* Bibliothecam inſtruxit, in qua ſcripta varia, Epiſtolas maxime eccleſiaſticorum virorum, adſeruari voluit. Multum ex eadem in componenda hiſtoria eccleſiaſtica vtilitatis ſe hauſiſſe dicit

EVSEBIVS H. E. *lib. VI. cap. 20. p. m. 222.* qui alio loco (*lib. V. cap. 27. p. 195.*) tot Patrum ſcripta exſtitiſſe ſua aetate monet, vt eorum ſaltim, qui orthodoxi fuerint, recenſere nomina nequeat. *Caeſareae* Bibliothecam aperuit Iulius Africanus, cui Pamphilus poſtea ordinem addidit atque incrementa. Vid. EVSEBIVS *l. c. cap. 32. p. 231.* In hac Origenis potiſſimum ſcripta fuerunt, eademque diligentius vſus eſt Hieronymus, cum primis in librorum Vet. Teſtam. emendatione. Corruptam deinde, lapſu temporis hominumque negligentia, plurimo labore reſtituit atque inſtaurauit Euzoius, ſiue, vt ab aliis adpellatur, Eſciſius, Epiſcopus Caeſarienſis, vna cum Gregorio Nazianzeno. IAC. PHIL. BERGOMENSIS *in Supplem. ſupplementi Chronic. lib. IX. ad A. C. 405.* Ipſe quoque Hieronymus Bibliothecam ſibi adquiſiuit inſignem, et, Heliodoro comite, in Syriam aliquamdiu conceſſit, vt in ſolitudine ac litterarum ſtudiis vitam degeret. MONTFAVCON *p. 19.* et FVNCCIVS *de vegeta Lat. linguae ſenectute cap. X. p. 1052. et 53.* Alias Hieronymus Bibliothecam commemorat *Victorianam*, veterum deſideratiſſimorumque Codicum adparatu excellentem. Facile etiam credendum, ab eo tempore, quo vacare ſtudiis coeperunt Chriſtiani, quod ſaeculo maxime IV. factum, in plerisque Eccleſiis, more gentilium, Bibliothecam fuiſſe inſtitutam. *Alexandrinae*, quae Georgio, Epiſcopo, originem debuit, mentionem iniecit Athanaſius. *Hipponenſem* nominat Auguſtinus, qui et ipſe, POSSIDIO teſte in *illius vita*, librariam collegit ſupellectilem, *) eandemque Eccleſiae ſuae donauit. Cf. IOH. MART.

CHLA-

*) Praeter Hieronymum et Auguſtinum, Ambroſium, Clementem Alexandrinum, Chryſoſtomum, Origenem, Baſilium, Nazianzenum, ac plerosque Patres alios, locupletiſſimas habuiſſe Bibliothecas haud alienum a vero putat NEANDER *de Biblioth. deperd. p. m. 50.*

CHLADENII eruditum *Progr. de fortuna Bibliothecae D. Augustini in excidio Hipponensi Lips. 1742*; generatim autem RVDOLPH. HOSPINIANVS *de Templis Christianor. lib. III. cap. 6. p. 366. sq. edit. Geneuens. a. 1672.* IOSEPH. BINGHAM *Orig. eccles. Vol. III. pag. 270. sq. edit. Latinae Halensis*, nec non GEORG. CHLADENIVS *in Inuentario Templorum Dresdae 1689. 12.* Eadem consuetudo et sequentibus temporibus viguit, ita quidem, vt nostra aetate passim supersint Bibliothecae in Templis. Add. SPIZELII *litterator infelix, Commonef. XIX. p. 464. sq.* Denique silentio praeteriri non debent, quae huc pertinent, *Bibliothecae Eremitarum*, de quibus singularis IOH. ANDR. SCHMIDII, viri quondam Antiquitatum ecclesiasticarum peritissimi, Dissertatio prostat, *Helmst. a. 1701.* edita, ac triennio post inserta eiusdem *Decadi Diss. histor. theologic. p. 271. sq.*

§. XVI.

In Occidente suus etiam studiis litterarum honos mansit. Tametsi enim Italia, per gentium barbararum incursionem, ipsa fere barbara fieret, et illa gentium domina, Roma, ab Alarico, Visigothorum Rege, caperetur, reliquiae tamen studiorum, apud Ostrogothos praecipue, seruatae sunt, quae non respondebant quidem priscis Romanorum elegantiis, at illorum certe aemulationem intendebant. Efflorescebant maxime in vrbe Roma Mineruae artes sub Theodorico Rege, vti ex ipsius Epistola ad Festum apud CASSIODORVM *lib. I. epist. 39.* et apud IOH. COCHLAEVM *in eius vita p. 65.* patet. Cf. FVNCCIVS *de inerti ac decrep. Lat. linguae senect. cap. II. p. 81. sq.* Ipse quoque Cassiodorus, saeculi pertaesus, monasterium Viuariense, siue Castellense, in extrema Calabriae parte incoluit, et multum ibidem operae consumsit in libris conquirendis. FVNCCIVS *l. c. cap. VIII. p. 471.*

 et

et *cap. XI. p. 595.* De Nicolao Pontifice Romano, qui ſaec. IX. vixit, PLATINA teſtatur in *vita illius*, quod litteratos praemiis nunc ad lectiones publicas, nunc ad componendum de integro aliquid ita perpulerit, vt litterae Graecae et Latinae, quae ſexcentis iam annis in ſitu et tenebris iacuerant, tum demum ſplendorem aliquem adeptae ſint. Miſiſſe eundem etiam litteratos per omnem Europam, quorum induſtria libri conquiſiti ſint, qui maiorum negligentia et barbarorum rapinis perierant. Haec LILIENTHALIVS addidit iſti §pho; ſed perperam. Pontifex enim ille, de quo talia refert PLATINA *p. m. 723. edit. d. a. 1645. in 12.* vixit ſaeculo XV. et fuit Nicolaus V., quod vel ideo monendum, vt intelligant Lectores, quam adcuratae, quantiue pretii, ſint obſeruationes Lilienthalianae.

§. XVII.

Magis adhuc Bibliothecarum ſtudium cum litteris reuocauit Carolus M., de cuius eruditione ac ſcriptis vid. praeter IAMESIVM *in Catal. vniuerſali Biblioth. Bodleianae p. 110. ſq.* ac PLACCIVM *de Pſeudon. p. 162.* IOH. HENR. BOCRISII *Commentatio de eruditione Caroli M. eiusque in rem litterariam meritis, Suinfurti a. 1716. in 4.* vbi tamen iuſta ſubſidia merito deſideraueris; GODOFR. HECHTII *German. ſacra et litter. p. 105. ſq.* itemque *Bibliotheca eruditor. milit. Menckeniana p. 126. ſq.* quo loco id etiam diſcimus, illuſtrem virum, FRID. OTTON. MENCKENIVM, in eo ſe totum eſſe, vt quaecunque de glorioſiſſimi illius Imperatoris partim ſcriptis, partim in litteras meritis, dici ſingularia et praeclara poſſunt, ex priſci aeui monumentis collecta exponat. Auide exſpectamus igitur hunc feliciſſimi ingenii partum, eo maiorem inde percepturi vtilitatem, quo certius conſtat inter omnes, nihil vnquam, niſi egregium, ab hac Muſa in lucem

eſſe

eſſe prolatum. Vt vero ad argumentum noſtrum redeamus, id adfirmare tuto licet, quod Carolus M. priuatam habuerit Bibliothecam, eandemque non exigua librorum copia inſtructam. Teſtis hic fide dignus erit EGINHARTVS in *Vita Caroli M. cap. XXXIII. p. 144. edit. Schminckianae.* Maxime autem commendari debet celeberrimi IOH. DAVID. KOELERI *Diſſ. de Bibliotheca Caroli M. Altorfii 1727.* cuius potiora capita, vna cum Epiſtola ICti cuiusdam ad Auctorem, exhibent *Acta erudita et curioſa Franconiae P. X. p. 716. ſq.* De aliis Bibliothecis, a Carolo M. inſtitutis, diſſentiunt STRVVIVS et COLERVS. Aientem ille ſententiam amplexus eſt, ac teſtari hoc, ſcripſit, Heluetorum S. Galli fanum, de quo infra, Fuldenſem Abbatiam, et Aquisgranenſe Monaſterium, in quo fatis conceſſit Imperator. Hic e contrario ſic diſſerit: *Equidem auctor noſter exiſtimat, Carolum M. etiam Bibliothecas condidiſſe. Ac verum quidem eſt, quod Launoius de ſcholis celebr. a Carolo M. et poſt Corolum M. in Occidente inſtauratis p. 30. edit. Fabric. monet: vbi ſchola, ibi et Bibliotheca eſſe debet. Interim de Bibliothecis, ab ipſo Carolo M. exſtructis, nihil certi conſtat. Ac recte mihi pronunciaſſe Launoius videtur p. 53: quod fuit Carolo Caluo proprium, id fabulatores in Carolum M. tranſtulerunt, et vera falſis immiſcentes corpus fabulae condiderunt. Hoc ſaltim liquido conſtat, Ludouicum demum, Caroli F. e palatio ſuo (vbi officina litterarum ſchola Palatii dicta fuit, vid. Launoius l. c. cap. IV. p. 27. ſq.) libros ſuppeditaſſe Amalario Diacono. Plura de hac regalis Palatii Bibliotheca vid. apud ipſum Launoium l. c. p. 30. Caeterum certiſſimum omnino eſt, tractu temporis in ſcholis et monaſteriis a Carolo M. et poſt eum conditis, Bibliothecas etiam coepiſſe exſtrui. Sic e. g. Monaſterium Corbeienſe in Gallia, teſte Launoio p. 60. ad hoc vsque tempus plenam MStorum Codd. optimae notae Biblio-*

bliothecam adſeruauit. *) Res igitur controuerſa vt clariori collocaretur in luce, curam praetermiſi nullam, multosque de Bibliothecis ſcriptores, non ſine temporis iactura, conſului. Solum tamen LOMEIERVM *de Biblioth. cap. VII. p. m. 115.* eadem, quae Struuius adſeruit, dicere deprehendi, quamquam haud adcurate ſatis probata. Tandem incidi in Opus communi eruditorum plauſu exceptum, excuſumque inde ab *a. 1733. Lutet. Pariſ. in 4. mai.* quod inſcribitur *Hiſtoire litteraire de la France,* vbi oculis obuenerunt non nulla, a mente Struuii haud aliena. Sic in *Tomo IV. p. 223.* memoratur, Scholae Palatinae, a Carolo M. inſtitutae, Bibliothecam quoque ab eodem eſſe adiunctam, optimis libris inſtructiſſimam, cui praefuerit ſub Ludouici Pii imperio Ebbo, poſtea Archiepiſcopus Rhemenſis. Et ex *p. 373.* perſpicitur, hunc ipſum Imperatorem Hieroſolymis πτωχοδοχεῖον exſtruxiſſe cum Bibliotheca nobiliſſima, illorum quidem in vſum, qui religionis cauſſa ex Occidente eo diſceſſerint. Addit LILIENTHALIVS ex *Lomeiero pag. 116.* Bibliothecam Lorſenſem, ſeu Laurishamenſem, in Monaſterio huius nominis e regione Wormatiae ſito, item illam, quam Abbatia inſulae S. Barbarae, Lugduno adpoſita, habuit, teſtem producens GVIL. PARADINVM *Hiſtor. Lugdun. vrbis*, Gallice ſcriptae, *lib. II. cap. 106.* cuius loci inſpiciendi occaſio iam et facultas deeſt. Videtur tamen propterea credibilis iſthaec narratio, quod eadem docet NAVDAEVS *Addit. à l'Hiſtoire du Roi Louis XI. cap. VIII.* Reliquos etiam Imperatores ac Reges Francicos haud abieciſſe librorum colligendorum curam, ex eo adparet, quod Holduinus et Ebbo in ſubſcriptionibus dicuntur Bibliothecarii Caroli Calui, quo mune-

*) Add. MONTFAVCON in *Biblioth. Bibliothec. MStor. T. II. p. 1406. ſq.* Primus vero Monaſterio huic magni momenti Bibliothecam ſuam intulit Geroldus, Ludouici Pii Diaconus. *Hiſtoire litter. de la France, T. IV. p. 232.*

munere iam ſub Ludouico Pio Ebbonem eſſe perfunctum, paullo ſupra monuimus. Add. *Hiſtoire litter. de la France*, *T. V. p.* 514. quo loco Caroli Calui Bibliotheca laudatur, haud inter minores reponenda, quandoquidem ante poſtremum in Italiam iter diſpoſuerat Imperator, vt libri eius, ſi deceſſerit interea temporis, in tres diuiderentur partes, vnamque filius, Ludouicus Balbus, reliquas duas dioeceſes S. Dionyſii et Compendienſis tollerent, ſibique haberent. Poſtea vero, quum Germani extra Carolinam Domum legere inciperent Imperatores, tantus apud eos Bibliothecarum amor non videtur fuiſſe, niſi quod in diuerſis Monaſteriis congererentur ſcripta, ad interitum tamen, ob monachorum ruditatem, ſeruata potius, quam ad vſum. Pleraeque omnino Bibliothecae, eorum ignorantia, obſeptae in Monaſteriis delituerunt. Vid. *Centuriat. Magdeb. Centur. XI. et XII. cap.* 7. et BRVSCHIVS *de Epiſc. Germ. Tomo. I. fol.* 23. 146. 210. *ſq.* et 235. Lepide GEORG. SABINVS in *Epigr. p.* 269. *Opp. edit. Voegelin. d. a.* 1606. de cucullatis his Monachis canit:

Haud ſecus ac duro fugitiuos carcere ſeruat
Veſtra catenatos Bibliotheca libros.
Quid mirum? ſi nulla viget doctrina, colendi
Doctrinae auctores hic vbi vincla gerunt.

Quae vero de omnibus Monachis haud intelligi debent, quum plures, Benedictini maxime, de re bibliothecaria non vulgariter ſint promeriti. Imo manca prorſus et oblitterata eſſet medii aeui hiſtoria, cum Germanica, tum aliarum gentium, niſi culta in Monaſteriis fuiſſet, ex quibus multi olim, iique egregii, hiſtorici prodierunt. Vt ſilentio praetereamus, quantam deſcriptis antiquorum Graeciae Latiique Auctorum voluminibus rei librariae opem tulerint Monachi. Rectiſſime igitur perilluſtris Vir, ERNEST. IOACH. a WESTPHALEN in doctiſſima *Praefat. ad Tom. II. Monument. inedit. de reb. Cimbric. et Megapolenſ. p.* 2.

Mona-

Monasteria vocat *numina omnis rei litterariae et historicae tutelaria, monumentorumque rerum cnm sacrarum, tum ciuilium, cum priuatarum, tum publicarum, viua conditoria.* Saec. XIII. Fridericus II. Imperator, vti omnia contulit, quae ad ornandam Academiam Neapolitanam facerent, ita Bibliothecam quoque addidisse videtur. Quis enim summum illius ac perpetuum erga litteras amorem nescit? Confirmant haec, quae CVSPINIANVS dicit in *libro de Caesarib. p. 419.* permultos libros tam ex Graeca, quam Arabica lingua eundem transferri iussisse in Latinam. Nec ipse copiosissimo sapientiae armario caruit, in quo multifaria, multisque modis distincta chirographa eum reposuisse, ex PETRO de VINEIS narrat IOH. GODOFR. SCHMVTZERVS in *Diss.* polita *de Friderici II. in rem litterar. meritis, Lipsiae a. 1740. §. XII. p. 33.* Cf. IOH. GEORG. SCHELHORNIVS *Amoenitat. litterar. Tom. XIII. p. 200. sq.* itemque MENCKENIORVM *Bibliotheca virorum milit. aeque ac scriptis illustr. p. 204. sq.*

§. XVIII.

Ad sequentia nunc properamus tempora, Bibliothecam *Budensem*, celeberrimam olim, descripturi. Auctor illius Matthias Coruinus erat, Hungarorum saec. XV. Rex, amantissimus litterarum, fusius hoc docente PETRO IAENICHIO Dissert. singulari *de meritis Matthiae Coruini in rem litterariam*, cuius, mihi nunquam visae, ipse mentionem iniicit in *Notit. Bibl. Thoruniensis p. 32.* Exstructa igitur in Budensi vrbe noua arce, Bibliothecam etiam in eadem constituit, mira vtriusque linguae foecunditate completam, teste ANTON. BONFINIO *rer. Hung. Decade IV. lib. 7. p. m. 460. edit. a. 1690.* Quantam in colligendis libris curam adhibuerit Coruinus, ex IOH. ALEXANDRI BRASSICANI *ad Christoph. a Stadion Epistola* patet, quae praefixa est SALVIANO *Basil. a. 1530. in f.* primum

mum ab ipſo edito, et nunc etiam apud MADERVM *de Bibliothecis p. 145. ſq.* exſtat. Fuit ille Guil. ab Eberſtein, legati Caeſarei, comes, ac Mariae, Reginae, beneficio inſpiciendae Bibliothecae Budenſis nactus eſt poteſtatem, vti refert *l. c. p. 149.* ſimulque addit, ingentem antiquorum, Graecorum pariter atque Hebraicorum, voluminum, quae Matthias, capta iam Conſtantinopoli, euerſisque multis aliis ampliſſimis Graeciae vrbibus, ex ruinis earundem inaeſtimandis coemerat ſumtibus, nec non Latinorum librorum, et veterum, et recentiorum, copiam in dicto Muſarum domicilio ſe reperiſſe. *Quatuor*, pergit, *inſignes librarios Florentiae magnis impendiis alebat, quorum is vnus et vnicus labor erat, vt omnes melioris notae auctores, et Graecos et Latinos, quos commodum ex Graecia habere non poterat, exſcriberent.* Quid? quod NICOL. OLAHVS, Archiepiſcopus Strigonienſis, in libro ſingulari, *Hungaria* inſcripto, quem primus in *Decade I. Adparatus ad hiſtoriam Hungariae* vulgauit MATTHIAS BELIVS, *cap. V.* de triginta loquitur librariis, Bibliothecae augendae cauſſa quotidie occupatis. Res enim typographica eo tempore nondum tantas egerat radices, vt votis Regiis facere ſatis poſſet. Digna ſunt eius verba, quae ſubiiciantur hoc loco. *Audiui*, ait, *a maioribus, Matthiam Regem, dum viueret, aluiſſe ſemper ad triginta ſeruos amanuenſes, pingendi peritos; quorum ego pleroſque, illo mortuo, noueram. Horum erant opera omnes fere, et Graeci, et Latini, Codices conſcripti. Praefectus his Felix Raguſinus, Dalmata, et ipſe iam ſenex, mihi cognitus, qui non modo Graece et Latine, ſed Chaldaice et Arabice doctus; praeterea in ipſa quoque pictura exercitatus, ſedulo aduertebat, ne quis error in deſcribendis libris committeretur.* Hinc tantus librorum numerus collectus fuiſſe dicitur, quantus nuſpiam alibi, ita vt non deſint, qui vel quinquaginta millia Codicum, tam MStorum, quam typis excuſorum, adfuiſſe con-

contendant. Certe non exiguum exſtitiſſe adparatum, ideo credibile eſt, quod Bozmannus, Cardinalis, ducenta millia nummorum, imperialis monetae, pro illo fruſtra Turcis obtulerit, teſte IVLIO PFLVGK in *Epiſtola ad Seckendorſium Ienae 1688. in 8.* quam itidem recuſam exhibet *Collectio Madero-Schmidiana, Acceſſ. I. p. 310. ſq.* Ea autem, quae dicta ſunt, leguntur *ibidem p. 317.* Bartholom. Fontius, de quo vid. FABRICIVS *Bibl. Lat. Vol. II. p. 552.* praefectus fuit huic Bibliothecae externo etiam voluminum ſplendore incomparabili. Ita enim BELIVS in *Notitia Hungariae nouae Tomo III. p. 225.* ex OLAHO: *Tegebat horum quodlibet velum ſericeum, coloribus auroque variegatum, cum indice diſciplinae et profeſſionis, in quas libri erant diſcreti. Maxima voluminum pars conſtabat membranis, colligata ſerica, vmbilicis fibulisque argenteis, auro lucidis.* Sed et haec, quae fata ſunt Bibliothecarum, diſſipata eſt. Turca nimirum, poſt Ludouici Regis ad campum Mohats interitum, qui a. 1526. die 24. Augusti contigit, Buda Septembris ſequentis octaua die capta, hanc et alias duas Bibliothecas, in locis diuerſis arcis conſeruatas, at priori inferiores, partim dilacerauit, partim ad alios vſus, argento detracto, adhibuit. IDEM *l. c.* paucis interiectis. Fuerunt tamen, qui reliquias quasdam hinc inde ſparſas, tamquam e naufragio, colligerent. Augerius certe Busbeckius, natione Belga, vir doctrina et meritis maximus, in duabus legationibus, Conſtantinopolitana et Amaſiana, plures congeſſit Codices, eosdemque Bibliothecae Caeſareae Vindobonenſi liberaliter conſecrauit. Qui omnes non admiranda tantum vetuſtate ſua et argumenti dignitate conſpicui, verum etiam manu Busbeckiana, tamquam peculiari ſuo charactere, in fronte et calce ad hunc modum notati ſunt: *Augerius de Busbecke comparauit Conſtantinopoli.* Indicat haec ex LAMBECIO *Comment. de Bibl. Vindob. lib. I. p. 35.* PFLVGKIVS

KIVS *l. c. p. 321.* et Busbeckio addit Ioh. Cuſpinianum, Ioh. Fabrum, et Ioh. Sambucum, viros in conquirendis Bibliothecae Coruinianae fragmentis aliquot, non ſine proſpero ſucceſſu, olim diligentiſſimos. *) Sic et Bibliotheca Auguſta Guelferbytana non nullos Budenſis libros ſeruat, quorum vnum alterumue iam ante illius diſſipationem in Germaniam primum, hinc Guelferbytum translatum eſſe, ſuſpicatur, et qua id ratione fieri potuerit, docet Celeb. BVRCKHARDVS in *Hiſtor. Bibl. Aug. P. I. p. 101.* Cf. *Pars II. p. 21.* itemque PFLVGKIVS *l. c. p. 351.* vbi ſinguli Codices, qui in Budenſi olim Bibliotheca fuerunt, nunc autem Auguſtam ornant, recenſentur. Vnicum Coruinianum Bibliotheca Academiae Salanae poſſidet, BAPTISTAE ſcilicet GVARINI MStum membranaceum *de ordine docendi ac ſtudendi*, quem libellum, nobiliſſimo adoleſcenti Maffeo Gambali conſecratum, STRVVIVS, huius Introductionis auctor, *Ienae a. 1704. in 8.* edidit, praemiſſa breui *de formandorum ſtudiorum ſcriptoribus Praefatione.* Neque dubium eſt, in aliorum adhuc manus Budenſes perueniſſe Codices, qui facile noſcuntur, quum ſinguli gentilitia Coruinorum inſignia oſtendant in fronte, coruum quippe, roſtro annulum aureum tenentem. Graecos quoſdam Auctores, non vulgares omnino, ex munificentia Ludouici Regis ſe conſe-

*) Busbeckium Conſtantinopoli incredibli diligentia et impenſa magnum comparaſſe numerum variorum Codicum manu ſcriptorum, omnino refert LAMBECIVS *Comment. de Bibliotheca Vindob. Lib. I. p. 35.* Sed exinde non ſequitur, tales Codices fuiſſe olim Coruinianos. Nec vnquam, quantum ex curſoria perluſtratione librorum omnium, quos Lambecius de MStis Bibliothecae Caeſareae edidit, obſeruare potuimus, additum eſt ab eodem, vbi de voluminibus Busbeckianis loquitur, vnum alterumue pertinuiſſe antea ad Bibliothecam Budenſem, id quod alias notare non intermittit. Sine dubio igitur errauit hic Pflugkius, et cum eo Struuius, qui ex illo profecerat.

consequutum esse gaudet, quem supra produximus, BRASSICANVS *p. 150. apud Maderum:* Bilibaldi pariter Pirckheimeri Bibliotheca aliquid eiusmodi habuit MStorum, vti testatur *Epistola CIX.* inter *Opera* eius *p. 336.* Cf. PFLVGKIVS *l. c. p. m. 330. sq.* Addimus ex MABILLONIO in *Itinere German. p. 6. edit. Fabric.* Vesontione apud Abbatem Boisotum plures egregios exstitisse Codices, ex Bibliotheca Budensi in Granuellanam transportatos, e. g. *Lactantii de Religione*, ac *Titi Liuii secundum volumen* ex tribus, quorum alia duo ex Florentino exemplari descripta sunt anno 1425. Quod Comes Marsigli non contemnendam MStorum Turcicorum, Arabicorum et aliorum Orientalium copiam ex Bibliotheca eadem acquisiuerit, infra docebitur *Cap. III.* §. *25.* Diximus hinc inde dispersas fuisse tristissimi huius naufragii tabulas. Nihilo tamen minus in ipso Palatio Coruiniano reliquiae quaedam tempestatis effugerunt vehementiam, quae ita quidem saliuam mouerunt eruditis, vt et Lambecius a. 1665. ab Imperatore Leopoldo ad eas examinandas Budam mitteretur, vbi, post mille Turcarum ambages, aditum ipsi parauit Walterus, Comes Leslaeus, Legatus Caesareus. Verum omnia, praeter exspectationem, aliter inuenit, ac fama fuerant celebrata. Nec enim nisi quadringentos circiter Codices obseruauit, cumulatim in terra iacentes, et puluerulento situ ac squatore adeo coopertos, vt nullum huius generis vel foedius, vel miserabilius, spectaculum vnquam se vidisse neget LAMBECIVS *Comment. de Bibl. Vindobon. lib. II. cap. 9. p. 993.* Audiamus, quae porro referat vir doctus! *Postquam*, inquit, *nonnullos hinc inde arreptos, et ex foetore protractos, aperuimus, statim adparuit, plerosque eorum esse impressos, et exigui aut nullius fere pretii. Neque vero dubitandum est, quin ipsos Turcas arcani huius detecti puduerit, nec alia fuerit grauior caussa, cur iidem in concedenda istius loci licentia*

adeo

adeo ſe praebuerint difficiles. Caeterum ne labor noſter, camerinae illi mouendae impenſus, omni prorſus careret compenſatione, haud grauatim nobis permiſſum eſt, vt ex paucis Codicibus MStis, quos impreſſis libris permixtos obiter inſpexeramus, ſeligeremus tres, et ad perpetuam rei memoriam nobiscum auferremus. Fuerunt illi *Gregorii Nazianzeni Sermones apologetici nouem*, e Graeco in Latinum conuerſi; *S. Auguſtini Sermones de verbis Domini;* ac denique *Iohannis*, Quinqueeccleſienſis Epiſcopi, *Poemata quaedam Latina miſcellanea.* Cf. praeter PFLVGKII *Epiſtolam p. 331. ſq.* REIMMANNI *Bibliotheca Acroamatica, lib. II. cap. 9. p. 183. ſq.* quo libro vti commode poſſunt, quibus Lambecianum Opus, iam inſigniter rarum, non ad manus eſt. Eadem quoque memorantur ex Lambecii ad Barthold. Mollerum, Conſulem Hamburgenſem, Epiſtola quadam in ADAMI HENR. LACKMANNI *Miſcellan. litterar. Hamb. 1721. 8. p. 43. ſq.* Nunc, Buda feliciſſimis auſpiciis a. 1686. a Chriſtianis recuperata, Vindobonae viſitur theſauri huius librarii particula, ex palatio Coruiniano translata illuc; non vanus tamen rumor tulit, in expugnatione extrema rapaces militum manus non abſtinuiſſe ab hac qualicunque ſupellectili. Quidam etiam ex Turcis eruditis ſuos in vſus vindicaſſe ſibi Codices non nullos videntur, qui poſtea in praedam militum gregariorum ceſſerunt. Denuo haec LILIENTHALIVS exſcripſit, et ex PFLVGKIO quidem *p. 351. ap. Schmid.* qui ſimul in Epiſtola ſua, fontis inſtar in hoc argumento adeunda, *p. 335. ſq.* omnium eorum voluminum, Buda Vindobonam aduectorum, Catalogum beneuolentia Lambecii ipſi transmiſſum adiunxit. Quam promiſerat olim MARTIN. SCHMEITZELIVS, natione Hungarus, *Bibliothecae Budenſis notitiam* cum NALDI NALDII *libris IV. poeticis de laudibus Bibliothecae Budenſis*, ea nunc, poſt illius obitum, vix ſperanda eſt. Interim cum eruditis hunc Naldii laborem communicarunt

PETRVS IAENICHIVS *Meletem. Thorunienſ. Tomo III. p. 97. ſq.* itemque MATTHIAS BELIVS *l. c. p. 589. ſq.* cuius iudicium de illo adſcribendum cenſemus. *Carmen*, ait p. 594, *venuſtum eſt, et, ſi ταυτολογίας demſeris, atque humiles paſſim ſenſus, egregie copioſum ac ſuaue, dignumque argumento, quod ſibi decantandum propoſuerat.* Cf. V. C. IO. GVIL. BERGERI *Eloquentia publica, Vitemb. a. 1750. in 4.* edita, vbi *num. XXV. p. 348. ſq.* in epitome legi poſſunt, quae de Bibliotheca Coruiniana propagari debent ad poſteritatis memoriam.

§. XIX.

In Germania ſelectiſſima *Heidelbergenſis* Bibliotheca palmam ſuo tempore omnibus praeripiebat. Duplex illa fuit initio, Academica et Electoralis: vtraque autem coniuncta, vt mox videbimus. Scilicet Academica vel cum ipſa Vniuerſitate, vel haud multum poſt eius natales erecta, libraria ſupellectile Conradi a Gelnhauſen, primi Cancellarii, Marſilii ab Ingen, primi Rectoris, (de quo V. GERDESII *Florileg. libror. rarior. p. 139. ſq. edit. ſecundae,*) Matthaei item, Wormatienſis Epiſcopi, aliisque eiusmodi legatis, mire fuit locupletata. Inde a. 1433. de aedibus in horto Academico eidem conſtituendis conſilia agitabantur. A. 1436. alia cepit incrementa ab Electore, Ludouico Barbato. Is enim omnes, quos in arce collegerat, libros theologicos, iuridicos, medicos, teſtamento reliquit Academiae, reponique iuſſit in choro Templi, Spiritui ſancto dicati, quod et anno ſequenti factum. Longo interiecto tempore, a. 1482. Rudolphus Agricola, in Heidelbergenſem vocatus Academiam, cum Iohanni a Dalburg, Epiſcopo Wormatienſi, et Cancellario Palatino, tum ipſi Philippo, Principi Electori, Ludouici Barbati ex filio Ludouico Manſueto, nepoti, auctor fuit ſuaſorque, vt conderent, ſeu coeptam potius augerent Bibliothecam, et

in

in eandem contraherent, quicquid meliorum ſcriptorum in Palatinatu aeque ac Germania Italiaque omni queat impetrari. Annuit Epiſcopus, et Bibliothecam Ladenburgi inſtruxit, cuius fundamentum fuerunt translata eo Monaſterii cuiusdam, Laurishamenſis forte, egregia volumina. Saltim id ex Münſtero adſerit GE. HELWICHIVS in *Antiquit. Laurishamenſibus*, *T. III. p. 6. Scriptor. Moguntinenſ. a* IOANNE editorum. *Nullus*, inquit, *in Germania locus fuiſſe praedicatur, vbi vetuſtior quam in hoc monaſterio bibliotheca fuerit, Münſtero teſtante, qui ſe exemplar vnum manu propria Virgilii Maronis conſcriptum inibi vidiſſe ait: inuentumque ibidem fuiſſe addit vltimum librum Ammiani Marcellini, omnibus adhuc incognitum, poſtmodum vero publicatum; meliores autem codices inde ad bibliothecam Ladenburgenſem Ioannem Dalburgicum, Wormatienſem Antiſtitem, poſtmodum tranſtuliſſe idem refert.* Acceſſerunt per vltimae voluntatis tabulas laudati Agricolae libri, quos inter Quinctilianus exſtitit, manu poſſeſſoris exaratus. Elector autem Palatinus, vt ALTINGII vtamur verbis *Hiſtor. eccl. Palat. p. 134. apud Miegium*, de quo ſub huius §phi finem, *eidem conſilio obtemperans, ſimiliter et locum Bibliothecae deſtinauit, et quotquot boni ac probi auctores penes ſe et Academiam erant, iſthuc congeſſit; tum etiam ex Italia et aliunde coemi curauit, qui huic inſtituto ſeruirent, vt deinde ad eruditionem adſpirantibus non deeſſent neceſſaria doctrinae inſtrumenta. Quae Bibliotheca ab his principiis paullatim ita excreuit in eam amplitudinem et celebritatem, vt inſtructior ac maior non haberetur.* Sub Philippo igitur coaluit Academica Bibliotheca cum Electorali, eidemque Ladenburgenſis deinceps illata eſt. Creſcente in dies, Reformationis tempore, adparatu, Fridericus II. Philippi filius elegans et maximum conclaue, Bibliothecae cauſſa, in arce aedificauit, quod quum aliis poſtea vſibus inſeruiret, ſucceſſor eius, Otto

Henricus, nouum Bibliothecae locum in vrbe adſignauit quidem, nec tamen, praematura morte rebus humanis ereptus, exſtruxit. Interim Princeps ille *tanto litterarum ſtudio flagrauit, vt etiam in iuuentute ſua litterarum non minus, quam religionis, cauſſa iter in Palaeſtinam ſuſceperit, vnde multos praeſtantes Codices Arabicos et Graecos domum retulit. Poſtquam vero hereditario iure Palatinatus regimen ſuſcepiſſet, in id iuxta incubuit, vt elegantiores litterae, vna cum puriore Dei cultu, in Palatinatu floreſcerent, in eum finem non modo Academiam reformauit, ſed et de adparatu librario litteris operam dantibus proſpexit, librarios Heidelbergam et typographos, qui tabernas omnis generis bonorum auctorum et characterum refertas haberent, primus annua mercede Heidelbergam inuitauit, et ad colligendos Codices rariſſimos et praeſtantiſſimos viros doctos, et in his per integrum quadriennium* *) *Nicol. Ciſnerum, ICtum celeberrimum, quaquauerſum, maxime in Italiam et Galliam, miſit, prout id Quirinus Reuterus in vita Ciſneri, eius Opuſculis doctiſſimis praemiſſa, refert. Fundauit itaque Ludouicus Barbatus; locum deſtinauit Philippus; maxima incrementa dedit Otto Henricus.* Haec in *Praefatione* legimus, quae *Monumenta virorum illuſtrium litteraria*, a MIEGIO collecta, praecedit. Et ſic facili negotio conciliari poſſunt FRIDER. SPANHEMIVS, qui in *Hiſtor. eccleſ. ſaec. XIV. ſect. 12. num. 3.* Ludouicum Barbatum; ALTINGIVS *l. c.* (cui ſuffragantur HOTTINGERVS *Hiſtor. eccleſ. N. T. Parte IV. p. 43.* et LOMEIERVS *de Biblioth. p. 201. ap. Schmid.)* qui Philippum; nec non IANVS GVALTERIVS, ſeu Gruterus potius, qui *lib. II. Chronici Chronic. politici p. 1257.* Henricum Ottonem primum Bibliothecae Palatinae auctorem perhibet. Ludouicus enim, qui Sigiſ-

*) Nondum tres annos integros terris Palatinis praefuit Otto Henricus, ideoque iam ante ſuſcepti regiminis tempus id fecerit, neceſſe eſt.

Sigismundi Imperatoris querimonia commotus, nullum esse inter Electores Latinae linguae gnarum, senex iam eas coluit litteras, hac forsitan mente primam in arce librorum supellectilem sibi comparauit. Philippus contra non certum modo Bibliothecae destinauit locum, sed scriptores etiam, quos coemerat, cum Academiae libris copulauit. Otto denique Henricus manum operi extremam admouit, aerariique sui thesauros liberaliter suppeditauit ad congerenda omnis doctrinae subsidia. Anno 1584. sub Friderico IV. Electore Vlricus Fuggerus, illustris vir, praeter quindecim aureorum Rhenensium millia, instituendis sex litterarum studiosis consecrata, Bibliothecam suam, fidam exsilii comitem, ac mille aliquot voluminibus MStis Graecis, Latinis, Hebraicis, spectatissimam, integroque Achillis Pirminii Gasseri, helluonis librorum, adparatu locupletatam, Heidelbergensi legauit. Vid. THVANVS *Histor. lib. LXXX. circa finem*, GRVTERVS in *Chronico ecclesiastico lib. II. p. 1306.* MELCH. ADAMI in *vitis Medicor. Germ. p. 234. edit. Heidelberg. a. 1620.* et celeberrimi viri, IACOBI BRVCKERI, *Progr. de illustrissimae gentis Fuggerianae meritis in litteras*, quod *Kaufbeurae* primum *a. 1732. in 4.* lingua Germanica editum, biennioque post *Aug. Vindelic.* recusum emendatius, nunc Latine versum auctumque insigniter in *eiusdem Miscellan. philosoph. litter. et critic. ibid. a. 1748. in 8. mai.* occurrit, vbi inuenies, quae huc pertinent, *pag. 407. et 408.* Hanc quantiuis pretii accessionem sequutae sunt a. 1601. Bibliothecae Spanhemensis reliquiae, Crucinacio traductae, vbi tempore belli Bauarici circa a. 1503. securitatis caussa depositae fuerant. Quantas haec olim seruarit opes litterarias, a Trithemio potissimum, huius Monasterii Abbate, eidem illatas, ipse exponit in *Epistolis familiarib. Hagenoae 1536. in 4. p. 196. et p. 310.* quae loca si quis legere aueat, ei inspicienda sunt

Miſcellanea Lipſ. noua Vol. II. P. 1. p. 117. Rariſſimas enim eſſe has ipſas Epiſtolas, peruulgatum eſt. Add. *eiusdem Nepiachus* apud ECCARDVM in *Corp. Hiſtor. med. aeui T. II. n. 13. col. 1827. ſq.* Tandem vero Iacobi Bongarſii MSta quaedam, ex Abbatia Floriacenſi acquiſita, ſuaſu Gruteri redemta fuerunt, qua de re dignus eſt, qui legatur BAELIVS in *Dict. hiſt. et critique v. Bongars litt. d.*) Alii tamen haec ex Abbatia S. Benedicti ad Ligerim profluxiſſe contendunt. Vid. *Voyage litteraire de* MARTENE *et* DVRAND *Vol. I. pag. 65.* Praecipuum Palatinae ornamentum dicitur *Bibliorum Hebraicorum Codex membranaceus*, litterarum maieſtate, ſcripturae vetuſtate, ac forma operis plane venerabilis, quem Iudaei, ſub Friderico III. ad eum videndum admiſſi, tamquam delapſum de coelo ſuſpexerint, procidentes in genua deoſculati ſint, tantumque non adorarint, ingentem auri vim offerentes, ſi vſibus Synagogae eorum concederetur. Eundem Codicem in adornanda verſione ſua conſuluerunt Iunius atque Tremellius. Vid. LOMEIER. *l. c. pag. 202.* itemque TENTZELIVS in *den monathlichen Vnterred. a. 1692. p. 984.* Graecorum Codicum manu ſcriptorum, numero 431., Indicem Frid. Sylburgius confecit, eumque MIEGIVS *l. c. Parte I. p. 1. ſq.* produxit in lucem; caret autem iuſtis de conditione et antiquitate eorundem notis. Latinorum Catalogus nullus exſtat, ſolumque hic defectus ſuppleri quodammodo poteſt per librorum e Fuggeriana Bibliotheca in Palatinam translatorum Indicem, cuius idem Sylburgius auctor creditur. Eum poſſedit olim Ioh. Vlric. Meurer, teſte, MEELFÜHRERO *Acceſſion. ad Almeloueen p. 34.* Hactenus de origine ac progreſſu Bibliothecae inſtructiſſimae, quae per totam Europam vix parem habebat. Reſtat, vt interitum illius exponamus. Quum enim Heidelberga, tempore fatalis belli tricennalis, a. 1622. m. Septembri a militibus

Caeſa-

Caesareanis, Tillio duce, diriperetur, hunc etiam thesaurum metallo quouis potiorem Maximilianus, Boiorum Dux, occupauit. Iesuitae quidem Colonienses hanc animo spem conceperant, fore, vt magno auri aceruo oblato acquirerent eundem; at refert DANIEL TOSSANVS in *Oratione quadam MSta*, cuius meminit *cit. Praefatio*, *Monumentis virorum illustrium* praefixa, suis se oculis vidisse, quomodo is, quem eo consilio Heidelbergam ablegarant fratres reuerendi, a Bauaris verberibus sit exceptus, fugaeque circumspicere locum, non sine pudore, debuerit. Nec priuatorum, vt fieri solet in publica calamitate, Bibliothecis parcebatur. De Gruteriana praecipue, non paruo aere comparata, BALTHASAR VENATOR in *Panegyrico Grutero scripto, pag. 265. apud* WITTENIVM *Decade II. Memor. Philos.* haec differit: *Quaedam discerpta, quaedam foedata, quaedam conculcata, quaedam mutilata iacebant: Alia volumina supererant, alia, sine quibus relicta non erant integra, saepe desiderabantur, quaerebat liber librum. Miserabilis in illo facies, quod libros, praesertim nondum ligatos, et reliquam chartarum turbam, in qua nihil erat quod non merebatur clementiam, alii substernebant equis*, (a quo ipso fato nec Palatinam Bibliothecam in primo militum furore immunem fuisse, legimus apud LVDOLFVM *lib. XXII. cap. 2. p. 89. der allgemeinen Schaubühne der Welt*) *alii fouendi aut coquendi caussa ferebant in ignem. Focus et furnus ardebant libris; equile candebat paginis: obscoenitatibus iumentorum conspurcabatur innocentissima doctrinarum supellex, fiebat papyraceus fumus et fimus.* Qua in corruptione, bonis litteris exitiabili, seruatum esse tamen Commentarium in Publii Syri sententias, quem suo Gruterus calamo exarauerat, militi quippe e manibus ereptum, Auctores indicant *des Neuen Bücher-Saals Vol. I. p. 620.* Peracta hac tragoedia Bauariae Dux praedam illam librariam partim

 sibi

ſibi reſeruaſſe, et Monachienſi addidiſſe Bibliothecae dicitur, partim Gregorio XV. Pontifici Romano, obtinendi Electoratus cauſſa, donauit. Anno 1623. igitur deportanda haec ſapientiae omnis monumenta curauit Leo Allatius, diligenterque vigilauit, ne vel vnicus Codex, MStus potiſſimum, inter quos et ſuperſtites Gruteriani fuerunt, negligeretur. Cf. VENATOR *l. c. pag. 266.* Accuſabatur quidem, maxime a Scioppio, Allatius redux factus, quod diſtraxiſſet libros meliores, (HENR. LEONH. SCHVRTZFLEISCH. in *Notit. Bibl. Vinarienſ. p. 15.*) erantque, qui ipſum ideo ad ſupplicium trahi volebant: optime tamen ſeſe defendit, vt facile non abſolueretur ſolum, ſed poſtea etiam ipſius Vaticanae Bibliothecae cuſtos conſtitueretur. *Naudaeana pag. 2.* Ita magna theſauri huius incomparabilis pars Romam fuit delata, vbi nunc ſummam Vaticanae dignitatem conciliat. Vltra centum muli, ſi LOMEIERO fides eſt *l. c. p. 202*, MStis tantum Codicibus onuſti, quaſi triumphali pompa, per totam Germaniam et Italiam Romam vsque, penſiles tabellas, litteris vncialibus haec verba exhibentes, praeferebant: *Sum de Bibliotheca, quam Heidelberga capta ſpolium fecit, et P. M. Gregorio XV. tropaeum miſit Maximilianus vtriusque Bauariae Dux, S. R. I. Elector*; quam inſcriptionem, vt memoria donationis perennaret, vna cum Bauaricae Domus Inſignibus aeri inciſis, cuique volumini inſertam eſſe, WAGENSEILIVS teſtatur in *Pera libror. iuuenil. Loculam. III. P. 2. p. 691.* Non deſunt interim, qui negant, quidpiam exinde Vaticanam accepiſſe, perſuaſi potius, omnia diuiſa eſſe per priuatas Cardinalium Bibliothecas, ſolasque capſulas clauſas, vacuas tamen, oſtendi, in quibus libri reconditi dicantur. MORHOFIVS *Polyh. T. I. lib. 1. cap. 4. §. 20.* itemque *cap. 17. §. 24.* Verum nemo haec facile credet, qui rem omnem perpenderit adcuratius. Rapaces militum manus diſſiparunt

runt

runt haud dubie aliqua, quorum deinde participes fieri Cardinales potuerunt; nec ideo haec ipſa coniectura fundamento deſtituitur, quoniam in non nullis Germaniae Bibliothecis diuerſae adhuc Heidelbergenſis reliquiae occurrunt. Imo largimur etiam, Franciſcum Barberinum, aliosque, praeripuiſſe quaedam eo tempore, quo magnificae iſtae manubiae Romam peruenerant. At praecipuum adparatum ceſſiſſe Vaticanae, et in eadem hodieque ſeruari, tot homines fide digni confirmant, vt haſtam abiicere omnino cogantur, qui contra veritatem apertam dimicare voluerint. Ipſe ALLATIVS *Animaduerſ. in Fragm. Antiqu. Etruſcar. §. XXXVI. p. 58.* diſerte fatetur, ſe Palatinam Bibliothecam in Vaticanam aduexiſſe. Verba lege apud CRENIVM *Animaduerſ. Philolog. Hiſtor. Parte I. cap. 6. p. 105.* Add. MABILLON. *in Itin. Ital. p. 63*; MONTFAVCON. *in Diar. Ital. p. 277.* et in *Praefat. ad Palaeogr. Graec. p. 29*; GILBERTVS BVRNETVS in *Itinerario P. II. Epiſt. 4. p. 498. edit. Germ. Lipſ. a. 1688. in 12*; IOSEPHI SIM. ASSEMANI *Praef. ad Tom. I. Biblioth. Oriental. §. V. ſub finem*; WAGENSEILIVS *l. c. Locul. II. p. 388.* et praecipue *Locul. III. Parte 2. p. 691.* itemque KEYSSLERI *Neueſte Reiſen, T. I. p. m. 796.* Rem etiam omnem certiſſime probat ſingularis inſcriptio, quae legitur in Porticu ad ſiniſtram Bibliothecae Vaticanae, et a IOACH. CHRISTOPH. NEMEITZIO integra exhibetur in *Faſciculo Inſcriptionum, Lipſ. a. 1726. 8. pag. 208.* Alii contendunt, Electorem Bauariae Bibliothecam Palatinam Monachium deportaſſe, et ne Carolus Ludouicus, Elector Palatinus, ſpem haberet eam vindicandi, ſimulaſſe eundem, quod Romam omnia miſerit. Spanhemium autem, ad Apoſtolicam ſedem ablegatum, reſponſum accepiſſe, nihil huius Bibliothecae in Vaticana reperiri. Et vera ſunt quodammodo priora. Iam ſupra enim diximus, partem Palatinae retinuiſſe Maxi-

Maximilianum Bauarum, quae ſententia noſtra ne teſte careat, ad SPANHEMIVM prouocare licebit, cuius locum STRVVIVS deſcripſit in *Corpore Hiſtor. Germ. Periodo X. ſect. 9. p. m. 2081. n. 93.* Sed ea, quae ſubiiciuntur, nullius profecto momenti ſunt, nec refutationem merentur, quum paullo ante contrarium oſtenderimus. Ipſum Spanhemium exercitium ſtili obſeruaſſe in Vaticana, LILIENTHALIVS monet, quod iuuenis compoſuerit Fridericus V. infelix ille Elector, et magiſter eiusdem, Altſtedius, (rectius Henr. Altingius) correxerit. Caeterum commendari hic debent generatim adducta aliquoties *Monumenta pietatis et litteraria virorum illuſtrium*, quae *Part. II. Frf. ad M. a. 1701. in 4.* prodierunt, ſtudio CHRIST. LVDOV. MIEGII et NEBELII, Medici Marburgenſis. Vid. *Memoires de Trevoux a. 1703. p. 117.* et *Biblioth. Bremenſ. Tomo VII. p. 186.* item ECCARDI *monathl. Auszüge a. 1701. m. Sept. pag. 1. ſq. Vnſchuld. Nachr. e. a. p. 677. ſq.* pariterque STOLLIVS in *den Nachricht. von ſeiner Biblioth. P. II. pag. 114. ſq.* et GE. CHRISTIAN. IOANNIS in *Obſeruat. ad* REIGERI *ausgelöſchte Chur-Pfalz-Simmeriſche Stamms-Linie p. 85. ſq. edit. Francof. a. 1735.* Monumentis iis accedat, ex quo hauſimus varia, IOH. PETRI KAYSERI *Theatrum hiſtoricum antiquiſſimae vrbis Heidelbergenſis, Frf. ad M. a. 1733. in 8.* lingua Germanica editum, cuius libri *Cap. XV. p. 156 ſq.* de Bibliotheca Palatina inſcriptum eſt. Eandem Hieron. etiam Boſſium celebraſſe, CASP. SAGITTARIVS ait in *Orat. de Bibliotheca Ienenſi p. 300. ap. Schmidium;* ſed nondum, quantum ſciamus, ſchedae illius exſtant typis impreſſae. Modo Index theſauri huius deperditi completus vndique et perfectus ſupereſſet! Creſceret quidem dolor, ſimul vero nullum priſcae fortunae certius et perennius monumentum reperiri poſſet. Nunc legimus duntaxat in IOSEPHI SCALIGERI *Epiſt. ad Ian. Gruterum p. 728. Epiſtolarum*

larum Scaligeri ex edit. Francof. hoc eius elogium: *Indicem Bibliothecae vestrae sedulo legi: locupletior est, et meliorum librorum, quam Vaticana. Itaque voluptati fuit legisse.*

§. XX.

Hae sunt Bibliothecae exstantiores deperditae. Iuuabit vel tribus verbis memorare plures, quae bello, rapina, igne, naufragio, fatoue alio, seu perierunt prorsus, seu grauissimum certe detrimentum fecerunt. Multum sane passae sunt Bibliotheca Vaticana sub Clemente VII. Laurentiana Florentiae, inter turbas ciuiles, et quaedam Germanicae in ferali illo bello, quod per triginta annos patriam adflixit. Simili modo, aliosque per casus, penitus intercidit insignis et incomparabilis Bibliotheca, olim a viris doctis tam Graece, quam Latine, operose conscripta et collecta, quam, praeter caetera decora et ornamenta, habuit Coenobium ad S. Albanum, extra moenia Moguntina, quod docet GE. HELWICHIVS in *Chronico Santalbanensi p. 727. §. 3. Tomi II. Scriptorum Moguntin. a* IOANNE editorum. In piratarum peruenit manus Ioh. Vincentii Pinelli Bibliotheca, celeberrimae quondam famae, et extra fere comparationem locuples, quae cum herede diu conflictata, quum nauigio Neapolin duceretur, a barbaris piratis intercepta, et velut exigui pretii merx in mare abiecta fuit, superstite relicta parte perexigua, quae in Ambrosiana Bibliotheca, Friderici Borromaei liberalitate, Mediolani nunc conquiescit, vt CONRINGIVS loquitur *de Bibl. Aug. p. 167. edit. cit.* De his autem omnibus infra, suo loco, differendi occasio erit. Igne absumtae sunt Bibliotheca Cronstadiensis apud Transyluanos, Anton. Codri Vrcei, ipsius possessoris culpa, quo infortunio adeo fuit commotus, vt horrenda in Deum congereret maledicta, interque alia

his

his vteretur verbis: *cum infernis Diis in aeternam vitam agere decreui*, Cf. CLAVD. CLEMENTIS *Museum p. 475.* et BAYLE *artic. Vrceus*; Haſſenſteiniana maxima ex parte, COLERO id exponente in *vita Haſſenſteinii p. 46*; libri bene multi in fatali vrbis Londinenſis incendio a. 1666. quorum iactura quinquaginta millibus librarum Anglicarum fuit aeſtimata, interque alios EDMVND. CASTELLVS in *Epiſt. dedicatoria ad Carolum II, Lexico Heptaglotto* praemiſſa, non exiguam Bibliothecae ſuae partem, cum praecipua ſupellectile ac tricenis dicti Lexici exemplaribus, tunc temporis periiſſe dolet. Sic quoque ad nihilum reduxit Vulcanus a. 1649. Bibliothecam Monaſterii Auguſtinianorum in vrbe Moguntina, in qua, praeter alios ſua praeſtantia nobiles, haud pauci Codices Operum D. Patris Auguſtini manu deſcripti fuerunt, vt legimus apud IOANNEM *cit. Tomo II. Script. Mogunt. pag. 848. §. 7*; Bibliothecam inſtructiſſimam Thomae Bartholini in amiſſi huius theſauri ſolatium Hafnienſi Academicae praefecti; Ioh. Heuelii, Conſulis et Mathematici Gedanenſis, inſignem librorum et inſtrumentorum pretioſiſſimorum adparatum, vna cum typographia, quam habebat, priuata, a. 1679. vnde Opera ab eo conſcripta primae ſunt raritatis; (vid. *Acta Erud. Lat. a. 1691. p. 78.* VOGTIVS in *Catal. libr. rar. p. 341. ſq. edit. nouiſſ.* et IOH. DAN. SEYLERVS de *vita ſcriptisque Heuelii* in *dem erlaeutert. Preuſſen Tomo II. Parte 16*, Bibliothecas Gemblacenſem in Belgio Auſtriaco, et apud Venetias ſancti Antonii in Caſtello Canonicorum regularium Sancti Seruatoris, teſte MABILLONIO in *Praef. ad T. I. Muſei Ital. §. 2*; Bibliothecam H. A. Stockflethi, ſacrorum Münchbergenſium in Franconia Praeſulis, quae, octodecim librorum millibus repleta, vbi a. 1701. cremata fuerat, ingentem animi ſui dolorem ſingulari *ad Stockflethum Epiſtola, eodem anno Curiae Variſcorum in 8.* excuſa, patefecit

CHRI-

CHRISTIAN. FEVSTELIVS; Vid. *Noua litt. German. a. 1706. p. 152.* Bibliothecam Seuerini Lintrupii, cuius fata ipse deplorauit in *Reliquiis incendii Bergensis Hafniae 1704. 4*; Bibliothecas Hafniensium plurimas, e. g. Academicam, Wormianam, Franckenauianam, Reckbergianam caet. quae omnes in tristissimo incendio a. 1728. flammarum violentiae eripi haud potuerunt. Cf. laudati supra BARTHOLINI *Diss.* ad filios *de Bibliothecae incendio*, *Hafn. 1670. in 8.* *Ienae*que typis repetita *a. 1709. eadem forma*, curante ANDR. WESTPHALIO, qui in Praefatione exempla adhuc recentiora adiecit Bibliothecarum igne deperditarum, qualia exhibuit etiam in *Praef. Dissert. de libris publica auctoritate combustis.* Nec sine fructu legentur, quae de hoc argumento conquisiuerunt IOH. IOACH. MEIERVS in *Diss. de libris et Bibliothecis igne absumtis*, *Nordhusae a. 1711. 4.* SCHELHORNIVS *Amoen. litter. T. VII. p. 75. sq.* CHRISTIAN. FRID. SCHINDLERVS in *Diss. epistol.* ad Ge. Henr. Goetzium *de Theologis eruditis per ignem*, *Schnebergae a. 1727. 4.* pariterque IOH. CHRISTOPH. NEMEITZ in *den vernünftigen Gedancken* caet. *Parte VI. p. 102. sq.* Magnam MStorum copiam, quam Christina, Regina, e Germania in Sueciam transportari iusserat, fluctibus absorptam esse marinis, HERM. von der HARDT scribit in *Prolegom. Histor. Concilii Constantiens. cap. X. p. 17.* Nicolai contra Leutingeri, Historici Brandenburgici, Bibliotheca libris egregiis instructissima, ob fictam absentis mortem diuendita fuit. Vid. *Noua litt. Germ. a. 1707. p. 46.* Nunc manum de tabula! Satis enim, pro instituti ratione, dictum est de iis Bibliothecis, quas antiquissimis perinde ac recentioribus temporibus diuersi casus corruperunt. COLERO quidem totum hocce Caput curiosum videtur magis, quam vtile, quum notitia eiusmodi incerta plerumque et intricata sit, nihilque propemodum, nisi dolorem excitet, tot praeclaras et immenso sumtu ex-

stru-

ſtructas periiſſe Bibliothecas. Quocunque tamen ſe res modo habeat, haud prorſus ingratum fore Lectoribus noſtris ſuſpicamur ſtudium, in recenſendis hiſce rebus collocatum. Dari forſitan meliora potuiſſent, ſi, quod MORHOFIVS *Polyh.. Tomo I. lib. 1. cap. 5. §. 30.* et ALMELOVEENIVS in *Biblioth. promiſſa p. 18.* memorant, integrum Opus Bibliothecarum deperditarum, a IOH. BAPTISTA FERRETIO adfectum olim, publicam lucem adſpexiſſet.

CAPVT TERTIVM

DE

BIBLIOTHECIS EXTERORVM.

§. *I. Bibliothecae Conſtantinopolitanae.*

§. *II. Bibliothecae Aegypti.*

§. *III. Bibliothecae Abyſſinorum.*

§. *IV. Bibliotheca Scorialenſis Hiſpanica.*

§. *V. Bibliothecae aliae Hiſpanorum.*

§. *VI. Bibliotheca Gallorum Regia.*

§. *VII. Aliae Bibliothecae Pariſienſes, eaeque publicae generatim.*

§. *VIII. De Bibliotheca Mazariniana ſpeciatim.*

§. *IX. Bibliothecae Gallorum aliae, quae publicae ſunt.*

§. *X. De celeberrimis olim priuatorum Bibliothecis, Thuanea, Seguieriana, Telleriana, Colbertina et aliis.*

§. *XI. De praecipuis, quae adhuc exſtant Lutet. Pariſiorum, Bibliothecis priuatis.*

§. *XII. De Bibliotheca Regia Weſtmonaſterienſi, aliisque Londinenſibus, cum publicis, tum priuatis.*

§. *XIII. Bibliotheca Bodleiana, et aliae apud Oxonienſes.*

§. *XIV. Bibliothecae Cantabrigienſes, quibus adiunguntur quaedam de Dublinenſi in Hibernia.*

§. *XV. De Bibliothecis Belgii Foederati, et primum quidem de Bibliotheca Leidenſi.*

§. *XVI. Bibliothecae publicae Vltraiectina, Amſtaelodamenſis, Franequerana, Harlemiana, Groningenſis, ac Delphenſis.*

§. *XVII. Bibliothecae Belgii Auſtriaci, praecipue Louanienſes.*

§. *XVIII. De Bibliotheca Vaticana.*

§. *XIX. Bibliothecae Romanae aliae.*

§. *XX. Bibliothecae Florentinae, maxime Medicea.*

§. *XXI. De Bibliotheca Ambroſiana Mediolanenſi.*

§. *XXII. De Bibliothecis Venetis.*

§. *XXIII.*

§. XXIII. *Bibliothecae Patauinae, ac Veronenses.*
§. XXIV. *Bibliotheca Regia Taurinensis.*
§. XXV. *De Ferrariensi, Bononiensi, et aliis Italiae Bibliothecis.*
§. XXVI. *Bibliothecae Heluetorum celebriores.*
§. XXVII. *De Sueciae Bibliothecis, speciatim Holmiensi Regia, et Vpsaliensi.*
§. XXVIII. *Bibliothecae Danicae, cum primis Regia Hafniensis.*
§. XXIX. *Bibliothecae Borussicae, maxime Regiomonti.*
§. XXX. *De Bibliothecis Russorum, Polonorum et Hungarorum.*

§. I.

Inter Bibliothecas nostra aetate adhuc reliquas, et exterorum quidem, considerandae primum veniunt Orientales, de quibus autem, ob documentorum inopiam, certa omnia et adcurata dici nequeunt. Proferemus interim, quae in promtu sunt. In *Atho*, Macedoniae monte, Turcarum ditioni subiecto, ex M. Antonio Antimacho *) MICHAEL NEANDER refert de *Biblioth. deperdit. p. 53. ap. Mader.* dari Bibliothecas celebratissimas, quas etiam solis constare MStis, Chytraeus atque alii perhibent. Cf. IO. BERNH. LVHNII *Diss. Vit. 1704.* edita *de Atho sancto*, maxime *p. 66. et 67.* item MONTFAVCON. partim in *Palaeogr. Gr. integro lib. VII. a p. 433. vsque ad p. 509.* partim *Praef. Catalogo Biblioth. Coislinianae* praefixa. Peirescius, vti in *eius vita* GASSENDVS testatur *p. 249.* Lucam Holstenium et Ioh. Iacob. Bouchardum eo mittere constituerat, qui perquirerent ac notarent potiora, neque vero destinata exsequutus est. Interim particeps facta Bibliotheca Vaticana sub Clemente XI. Graecorum MStorum ex monte Atho acquisitorum, de quibus

V. AS-

*) Edidit is, praeter GEMISTVM PLETHONEM de *gestis Graecorum post pugnam ad Mantineam*, DION. HALICARNASS. ac DEMETR. PHALEREI *Praecepta oratoria*, POLYAENI de *re militari libros*, et *Orationes* a se ipso conscriptas de *laudibus Graecarum litterarum*, quae cum aliis prodierunt *Basil. a. 1540. in 4.* Cf. *Cat. Bibl. Tellerianae p. 270.*

V. ASSEMANI *Biblioth. Oriental. Tomo III. Parte 2. p. 952. sq.* Superiori etiam saeculo ducenti fere Codices Graeci exinde peruenerunt in Bibliothecam Seguierianam, qua de re infra dicemus. In ipsa vrbe *Constantinopolitana*, prope Sultani palatium, Bibliothecam adseruari, omnes fere consentiunt, cuius et SPONIVS mentionem facit *Voyage d' Archipel. Tomo I. p. 192.* Semper fama fuit, integrum Titi Liuii MStum in hac esse Bibliotheca, sed nemini id, anxie licet quaesitum, reperire contigit, vt ex aliorum ore memorat laudatus Sponius. Cf. *Lettres Juives de Mr. le Marquis d' Argens à la Haye 1738. in 8. T. II. p. 143.* Prostat anonymi cuiusdam *Bibliotheca, siue Antiquitates vrbis Constantinopolitanae, Argent. a. 1578. in 4.* quo in libro paullo iam rariori, neque indocte scripto, Catalogus exhibetur plurium MStorum, quae exstant Constantinopoli, vtpote Catalogus librorum hinc inde obuiorum; Catalogi librorum Patriarchae Constantinopolitani; Constantini Barini; Antonii Cantacuseni; Mich. Cantacuseni; Iacobi Marmoretae; Iohannis Suzi et Manuelis Eugenici. Exinde MSta theologica Patriarchae Constantinopolitani *Sacris Biblioth. arcanis retectis p. 77. sq.* inseruit THEOPHILVS SPIZELIVS. Recte autem MONTFAVCONIVS monet in *Praef. ad Palaeogr. Gr. p. 20. et 21: Elapsis a tempore, quo primum Catalogi huiusmodi constituti sunt, annis pene centum et triginta, quorsum abierint isti Codices et MSta ignoratur.* Eadem etiam *pag. 21.* legi merentur, quae ex Sponio refert vir ille doctissimus. Imperatorum quidem Turcicorum Bibliothecam descripsit MICH. BAUDIER *dans l'Histoire generale du Serail et de la Cour du grand Seigneur, Empereur des Turcs.* Hanc autem secretam esse dicit prope Cameram Regiam, librisque egregiis atque ornatissimis refertam. Aliam Bibliothecam adseruari memorat prope Cameram aulae Ministrorum seruientium, instructissimam aeque, in qua adpa-

adpareant etiam viginti ſex volumina immenſa ex Bibliotheca Conſtantini M. litteris aureis ſcripta, ligaturis argento deaurato munitis, gemmisque magnae taxationis exornata. Hanc tanto eſſe in pretio aiunt, vt nemini permittatur ſoli. Vtramque autem ita copioſam cenſet HOTTINGERVS in *Biblioth. quadrip. cap. II. p. 16.* vt ex duabus ſingulae aeſtimatae fuerint quatuor tonnis auri. Iſtam vero magno incendio, quo potior pars palatii Turcici d. 18. m. Iulii a. 1665. abſumta eſt, ſimul conflagraſſe perhibetur. Sic etiam aliam ſummi Turcarum ſacerdotis, eandemque locupletiſſimam, laudat HENR. SPONDANVS *Contin. Annal. Baronii ad a. 1633. in fine*, quam itidem incendio ſcribit periiſſe. Haec Struuius; at confuſe, opinor, et obſcure. Aliter rem omnem, et adcuratius profecto, exponit SPIZELIVS in *Diſſ. praelim. ſacris Biblioth. arcanis* praefixa, *p. 143. ap. Schmid.* vbi haec ex GOTTFRIEDI *Archontol. Coſmica* refert: *Aiunt vulgo Turcas odio habere libros et artem typographicam: de quo poſteriore vt non negauerim; ita videre non poſſum, quomodo prius illud locum habere poſſit; cum haud longe a cubiculo magni Turcarum principis coenaculum amplum ſit, in quo ſeruatur Bibliotheca raris et curioſis libris inſtructiſſima, qui omnes eleganter ligati compactique ſunt, et haec ſigillatim appellatur Bibliotheca principis. Eſt enim etiam alia in vſum nobilium puerorum et miniſtrorum aulae, plena voluminibus omnium artium et linguarum. Supereſt autem et ibi antiqua Bibliotheca Conſtant. M. Imper. in qua ſunt libri MSti membranacei, tam nitide et concinne parati, vt potius materia ſerica, quam pelles videantur. In his etiam ſunt libri V. et N. Teſtamenti, tecti omnino argento deaurato, modo antiquo, ornatique lapillis pretioſis. Debetur autem horum conſeruatio pulchritudini et pretio eorum, cum infinita alia exemplaria rupta, ſciſſa et deperdita fuerint, multa etiam igne cremata, tunc, cum Turci Conſtantinopoli vi et ar-*

mis potiti ſunt. Qui autem ſuperſtites manſere, prope ſancti habentur, vt eos nemo tangere audeat. A quibus parum diſcrepant, quae LOMEIERVS diſſerit de *Biblioth. p. 239. ap. Schmid. Conſtantinopoli*, inquit, *Bibliothecae Arabicae tres ſunt.* Prima *dicitur eſſe antiqua illa Imperat. Conſtant. M. in qua multi in charta pergamena calamo exarati libri, item Vetus et N. Teſtamentum, more veteri, auro et gemmis ornatum.* Altera *in vſum nobilium et ſeruorum.* Tertia *non procul a cubiculo Imperatoris Turcarum, rariſſimis et ornatiſſimis libris plena, quae imperatoria et Ottomannica vocatur. Petrus della Valle, Nobilis Romanus, Itiner. ſui Parte I. cap. 9. in hac Bibliotheca Titum Liuium integrum exſtare teſtatur. Se, et Legatum Regis Galliarum, cum bibliothecario egiſſe, vt pretio decem millium coronatorum eum venderet, ſed nihil obtinuiſſe dicit, quia, licet aliquot menſes quaeſitus, magno tamen ipſius Liuii infortunio, inueniri non potuit. Magnum etiam Florentiae Ducem, de iſto libro, quinque piaſtrorum millibus emendo, egiſſe narrat. Sed eheu! menſe Nouembri 1665. triſtis Conſtantinopoli nuntius aduolauit: excitatum ſcilicet fuiſſe in vrbe horrendum incendium, 28. die Iulii, anni ſupra memorati, quo et palatium Imperat. et gynaeceum, praecipue vero auguſta haec Bibliotheca conflagrauerit, quo innumeri quarumuis linguarum libri in cineres redacti ſint.* Et in his acquieſcamus neceſſe eſt, donec alia, quae iam ad manus non ſunt, ſubſidia nanciſcamur. Illuſtrari forte totum hoc argumentum poterit ex GIOVANNI BATTISTA DONADO *della Letteratura de' Turchi, Venet. 1688. in 12.* et, ſi REIMMANNO fides in *Hiſt. litter. generali p. 73. ibid. 1690. in 4.* Sed nondum hunc perluſtrare librum contigit. Interim legi merentur, quae Abbas SEVINVS de Bibliotheca Imperatoris Turcici memoriae prodidit in Opere, cui titulus: *Hiſtoire de l'Academie roiale des Inſcriptions et des belles lettres, Parte IV. n. 43. p. 413. ſq. editionis Germanicae*

Gott-

Gottſchedianae in 8. mai. Add. *die Leipz. gelehrt. Zeitung. a. 1729. p. 220.* vbi refertur, Dierlingium, Imperatoris Caroli VI. in aula Conſtantinopolitana Reſidentem, plus vice ſimplici Bibliothecam inſpexiſſe Ottomannicam, in eaque Codices plane eximios obſeruaſſe. Quae ſi vera ſunt, non tota videtur exuſta ſaeculo ſuperiori, vt Spizelius, aliique adfirmant.

§. II.

In Aegypto plures adhuc latere Bibliothecas, ii tradunt, a quibus terrarum iſtarum deſcriptiones accepimus. Inter has autem illa, quae in *Madraſe* eſt, villa prope Cairum, ob MStorum copiam aeſtimari praecipue debet. Depinxit eam ATHANAS. KIRCHERVS de *litteris et lingua Copta p. 512. et 515.* his verbis: *Atque hi ſunt tituli librorum, de variis materiis tractantium, qui in Madraſe Cayri adhuc ſuperſunt, quae omnia confirmat P. Ioſephus Marcellaia, e Societate noſtra ſacerdos, mihique curioſius inquirenti non ſemel retulit Melitae, ſe, dum in Aegypto degeret, hanc Bibliothecam luſtraſſe, multaque millia MStorum comperiſſe, quae tanta cuſtodiunt cura, vt nulli ſub poena capitis inde librum extrahere liceat; addit quoque, ſe inter caetera admiratum eſſe certos quosdam papyraceos Codices, ſeu hieroglyphicos, iis figuris, quae in Obeliſcis Romanis conſpiciuntur, conſcriptos: et quamuis Turcae nullam fere, ſi Alcoranum excipias, librorum curam ſuſcipiant, horum tamen ob antiquitatem magnam curam haberi. Audiui a diuerſis, in Materea, vicino Cayro vico, aliam adſeruari Bibliothecam. Verum cum hic locus vix habitatus ſit, nullam relationi fidem adhibeo, ſed vt poſtea Europaeis falſus rumor de Bibliotheca Aegypti innoteſcere potuit, quod hic adiungo, vt quid referentibus de Bibliotheca memorata credendum ſit, habeat Lector.* GASSENDVS in *vita Peireſcii p. 168.* refert, Aegidium Lochienſem, e Capucinorum familia, ex Aegypto reducem, vbi toto

ſeptennio linguis Orientalibus operam nauarat, adfirmaſſe, quod Codices rari in Coenobiis variis exſtent, et praecipue etiam viderit Bibliothecam. Cf. tamen SPIZELIVS in *Praef.* ſaepius laudata, *p. 147. ap. Schmid.* vbi haec paullo aliter commemorat. Add. *Synopſis librorum Aegyptiacorum veterum*, qui in diuerſis Aegypti Bibliothecis, cum primis in illa Cairi Madraſea, ſupereſſe dicuntur, apud REIMMANNVM in *Idea Syſtem. Antiquit. litt. Aegypt. p. 94. ſq.*

§. III.

Mira ſunt, quae de *Abyſſinorum* Regis Bibliotheca CLAVDIVS CLEMENS in *Muſeo lib. II. ſect. 4. cap. 2.* narrat, auctoritate FR. LVDOVICI de VRRETA in *Hiſtoria eccleſiaſtica, politica, natural y moral de los grandes y remotos Reynos de la Etiopia*, qui liber *Valentiae a. 1610. in 4.* prodiit, et Luſitanice recuſus eſt cum addition. ANTON. COLAZZI *Eborae a. 1611. in 4.* Adſeruatam iſtam Bibliothecam dicit in Monaſterio ſanctae Crucis, in monte Amara, tria ampliſſima conclauia replentem, quibus contineantur plura, quam decies millies centena millia voluminum, ſcripta in candidis membranis pergamenis, atque in thecis ſericis repoſita. Hanc librorum ſupellectilem aceruare coepiſſe Reginam Sabae, cuius dicantur eſſe Opera pleraque, cum aliis Enochi, Noemi, Abrahami et Iobi, nec deſiderari vlla ſanctorum monumenta, qui aliquid ſcripſerunt, ſicuti conſtet ex indice Antonii Grici et Laurentii Cremonenſis, qui rogatu Cardinalis Sirleti et iuſſu Gregorii XIII. hanc Bibliothecam inuiſerint: haec autem collecta eſſe potiſſimum ex Bibliotheca Muleaſſis, Tunetanorum Regis, quae quum per exercitum Caroli V. Imperatoris diſſipata fuiſſet, Menam, Aethiopiae Imperatorem, negotium dediſſe mercatoribus Aegyptiis et Venetis, quocunque tandem pretio poſſent, vt redimerent libros,

quos

quos recuperatos ſtatim ad Regiam Abyſſinorum Bibliothecam transmiſerit. Sed ingens, quem Vrreta profitetur, librorum numerus haec reddit fide indigna, vt alia taceamus. Quare NICOLAVS GODIGNVS *de Abyſſinorum rebus Lugd. 1615. in 8. libro I. cap. 17.* Vrretam, quem ſaepius reprehenderat, etiam in hoc erroris arguit, adfirmans praeterea, ſe ex litteris habere et narratione eorum, qui loca illa diu coluerint, nullam dari in monte Amara Bibliothecam. Non nihil quidem librorum eſſe in eo Coenobio, quod Axumum dicatur, ſed Regiae hanc ipſam collectionem Bibliothecae nomen neutiquam mereri. Ridere Romanos, quae de Grico referat, Menam vero imperium tenuiſſe viginti quatuor annis poſt, quam Carolus V. Tunetam receperit. Inde patet, lubrico admodum fundamento niti, quaecunque hanc in rem profert Vrreta. Cf. LOMEIERVS *de Biblioth. cap. XI. p. 243. ap. Schmid.* HOTTINGER. in *Biblioth. Orientali p. 320. ſq.* SPIZELIVS *l. c. pag. 145.* et GVNDLING. *Hiſtor. Philoſ. moral. cap. V. p. 33.*

§. IV.

In Occidente primum nos occupabunt Bibliothecae *Hiſpanicae*, quas inter, veluti luna inter ſtellas, eminet celebratiſſima *Scorialenſis.* Ei iam praefectus eſt Gregor. Maianſius, vir iuris et humaniorum litterarum longe peritiſſimus. Auctorem cum ipſo Monaſterio, in quo recondita eſt, habet Philippum II. Hic enim bellum cum Gallis gerens quum a. 1557. S. Quintinum in Piccardia capere non poſſet, niſi Templum ſuburbii, St. Laurentio dedicatum, tormentis deieciſſet, voti religione obſtrictus, ſe aedes longe ſplendidiores in Hiſpania Sancto illi eſſe exſtructurum, Scorialenſe hoc Monaſterium, ſeptem circiter milliaria diſtans a Mantua, Carpetanorum, ſtupenda magnificentia, et ſumtibus vere regiis aedifica-

ficauit. BOSIVS in *Notit. Imperii Hiſpan. Sect. III. cap. 1. p. 96.* Abſoluto iſto duorum ac viginti annorum opere conſilium de recte inſtituenda Bibliotheca dedit Ioh. Baptiſta Cardona, Epiſcopus Tortoſanus, ſingulari ſcripto, vt ſupra *Cap. I. §. 18.* iam dictum, in quo ad eius conſilii exemplum indicem excudendum diuulgandumque ſuadet. Initium, prout fieri ſolet, leue fuit, ac prima fundamenta poſuerunt libri admodum mille ducenti, quos priuatos in vſus Philippus collegerat. Eodem tamen Cardona teſte, Principes multi, et Hiſpani, et exteri, nec pauci homines eruditi, vbi Regis animus honeſtiſſimumque librorum congerendorum ſtudium innotuerat, glorioſum ſibi putarunt, ſi, quae nacti fuerant, Opera rariora eo transmitterent, ita quidem, vt IOH. MARIANA *de Rege et Regis inſtitutione lib. III. cap. 10. p. m. 289.* auctor ſit, ex omnibus Europae partibus ad famam noui operis magno numero libros, praeſertim Graecos manu ſcriptos, praecipuae pleroſque vetuſtatis, confluxiſſe. Maxime vero Didacum Hurtadum Mendozam, Caeſaris olim Caroli V. apud Venetos Legatum, adparatum ſuum, accepta e media Graecia librorum Graecorum plena naui, (quos dono dederat Turcarum Imperator ob praeſtitum ſibi obſequium in remittendis quibusdam captiuis, inter paucos chariſſimis,) aliisque, ex Bibliotheca Beſſarionis deſcriptis, locupletiſſimum, ſupremis Scorialenſi tabulis reliquiſſe, FRANCISC. SCHOTTVS *Itin. Ital. lib. II. cap. 10.* et CLAVD. CLEMENS referunt *in Muſeo pag. 532.* Sed quod ad Beſſarionis attinet Bibliothecam, alii furtum obiiciunt Mendozae, eumque, data propter dignitatem ſuam facultate perluſtrandae ſine cuſtodibus Venetorum Bibliothecae, legatos a Beſſarione theſauros expilaſſe turpiter, et armaria, ex quibus MStos Codices abſtulerit, aliis vulgaribus, eiusdemque prope molis, Operibus, ne ſtatim deprehenderetur rapina,

pina, compleuisse adfirmant. Quod licet in dubium vocet MORHOFIVS *Polyh. T. I. lib. 1. cap. 4. §. 23.* testis tamen omnis exceptione maior videtur DOMINICVS MOLINVS, qui in *Epistola ad Ioh. Meursium*, Venetiis Italice scripta, pluribus hoc furtum exponit, nominans Mendozam *un scelerato infame*, factumque ipsum *una bassezza.* Vid. GVDII *et aliorum Epistolas, a Burmanno* editas, *p. 131.* quo ex loco sua etiam hausit CAMVSATVS in *Obseruat. ad Ciacconii Bibliothecam, p. 960.* Mendozae liberalitatem sequutus est Anton. Augustinus, Archiepiscopus Tarraconensis, qui omnes libros, MSta et Antiquitates huic legauit Bibliothecae. Singulari supellex ista libraria Catalogo exhibita fuit *Tarraconae a. 1586. in 4.* Eadem ratione Petri Pontii, Episcopi Legionensis, MSta omnis Antiquitatis, ecclesiasticae cum primis, item Graeca, Hebraica et Arabica Ariae Montani accesserunt. Bibliothecam etiam Arabicam, septem mille et octingentis iustis distinctisque Codicibus constantem, ereptamque superiori aetate Maroccano Regi, a Nearcha quodam Massiliensi in Hispaniam auectam, et in Scorialensem translatam esse, ex THOMAE ERPENII *Orat. altera de lingua Arabica* obseruant CONRINGIVS de *Bibl. Aug. p. 198.* THEOPHIL. SPIZELIVS *p. 144. Collect. Schmid.* aliique. Praeterea longe lateque missi sunt a Rege Philippo viri docti in Italiam, Germaniam, Belgium et Hispaniam, qui librario huic thesauro locupletando res eximias eiusdem generis peruestigarent. LOMEIERVS *de Biblioth. p. 229.* Tantis aucta est opibus Bibliotheca spectatissima, cuius magnificentiam sic describit MARIANA *l. c: Vestibulo bibliotheca imposita, maiori longitudine omnino pedum centum octoginta quinque, lata pedes triginta duos, libros seruat, praesertim Graecos, manuscriptos, praecipuae plerosque vetustatis: qui ex omnibus Europae partibus ad famam noui operis magno numero confluxerunt: auro pretiosiores thesauri, digni quo-*

rum euoluendorum maior eruditis hominibus facultas contingeret. Quod enim ex captiuis et maiestate reuinctis litteris emolumentum? Bibliothecae parietes elegantes picturae exornant, artes ingenuas artificiose exprimentes, cum antiquis comparandae. Et ex *Hispaniae descript. noua, p. 165. sq.* haec differit LOMEIERVS *l. c. p. 231. ap. Schmidium: Bibliothecae ostium instrato opere variatum ex Germania huc delatum est. Pauimentum marmore splendet; arcuatum tabulatum variis picturis, librorum subiectorum materiae, quam continent, respondet. Repositoria et plutei cuncti ex ligno Indico parati, et marginum extremitas in libris deaurata. Quinque ordines pluteorum, sibi inuicem impositi, libros recipiunt, quisque centum passuum longitudine se extendens. Cernuntur hic Caroli V. Philippi II. III. et IV. effigies, ac aliquot globi, praecipue vere vnus coelestem et terrestrem globum cum Planetarum cursu, admirando artificio, ante oculos ponens. Nulli Monacho librum ex Bibliotheca secum in conclaue suum sumere licet, sed in Bibliotheca ipsa studiis operam et tempus impendere vnicuique integrum est. Ex hac in aliam Bibliothecam deducuntur spectatores, haec libris MStis in suos pluteos dispositis referta est, inter quos Augustinus de sacro baptismate propria manu scriptus. Carolo Caesari pro omnibus his libris quinquaginta millia coronatos oblatos fuisse narratur. Adest hic etiam Papae Pii V. mensa, qua in scribendo vti solebat; et vetus Hierosolyma, vt tempore Christi fuisse creditur, ex ligno opere sectili artificiose confecta. Totum reliquum conclaue, effigiebus meris tectum inter alias inspiciendum praebet Iohannis Austriaci imaginem cum duabus laternis, quibus in magno illo proelio nauali a. 1571. vsus est.* MATTHAEVS autem QVADVS in *Europae totius descriptione*, qui liber cum tabulis aeri incisis *Colon. a. 1594. in 4.* prodiit, *libro VII.* tria illam Bibliothecam diuersa habere conclauia dicit, in quorum primo omnes depictae videantur facultates: ad pedes cuiusuis picturae eius

eius facultatis libros conſpici, concinno ordine locatos, omnes inauratos, eiusdemque compacturae. Ibidem etiam ingentem eſſe poſitum, addit, librum, totum membranaceum, in quo omnis generis animantia, quae in vniuerſo terrarum orbe vnquam viſa ſint, ſuis coloribus ad viuum adumbrata exhibeantur. Alterum conclaue meros continere Codices manu exaratos Latinorum, Graecorum et Hebraicorum Theologorum, quibus ſingulis Auctorum ſuorum imagines ſint poſitae. Tertium autem ſolis MStis eſſe refertum variorum Auctorum et facultatum, variarum etiam linguarum, quibus ſimiliter Auctores adiuncti ſint, ad viuum depicti. Inter MSta praeſtantiora CLAVD. CLEMENS *l. c. p. 533. ſq.* memorat *S. Biblia peruetuſta, ſcripta litteris Gothicis et Longobardicis; Codicem, ipſius D. Auguſtini calamo confectum, tituloque de baptiſmo paruulorum inſignitum*, de quo paullo ſupra diximus; *quatuor Euangeliorum librum, aureis litteris in pereleganti membrana pergamena ſcriptum, compactum tabulis, atque Attalico texto opertum. Sic eum ſcribi iuſſit Henricus II. Imperator, vti fuerat inchoatus Conradi Imperatoris mandato. Longus eſt vlnae dodrantem, iuſta proportione latus: ſacer ille textus Euangeliorum cum Praefationibus et Epiſtolis D. Hieronymi, et Canonibus Euſebii Caeſarienſis, centum ſexaginta quinque foliis continetur. Circiter ſexcenti anni ſunt,* (nunc ſeptingenti) *quum ſcriptus eſt, nusquam tamen pictura ſcripturaue vetuſtate euanuit, imo adeo integra, florida et ſplendida eſt, vt opus nudius tertius abſolutum credas. - - Eraſmus Roterodamus in Annotat. in N. T. Codicem hunc, quem aureum appellat, mirifice extollit, ac profitetur, ſe legitimas ac germanas quasdam lectiones inde eruiſſe, quas in aliis exemplaribus haud repererat, nec niſi ſolemni quadam pompa, et accenſis taedis, ſibi monſtratum refert. Eum tunc poſſidebat Margarita, Maximiliani filia, Iohannis Principis vxor: venit poſtea in manus Mariae Reginae, quae illum*

cum

cum tribus aliis dedit Philippo II. Caroli V. fratris ſui filio. Eſt et hic aliquid quoddam nobile prorſus viſuque dignum, hiſtoria ſcilicet ac forma omnium plantarum atque animalium, quotquot ad Philippi II. aetatem viſa fuerunt in Indiis Occidentalibus. Pictae ſunt herbae, radices, trunci, rami, flores, folia, fructus, vellera, ſquammae, plumae, pinnae, roſtra, ſingula denique natiuis expreſſa coloribus: nec non et hominum ſtatura, veſtitus, ſiue ordinarii, ſiue laeti et lautiores; ritus et apparatus feſtorum, chorearum, ſacrificiorum, eius gentis, quorum conſideratio iucundiſſima eſt, et ad varia vtilis. Haec ex Clemente, qui *p. 535.* alia rariora quaedam, in Scorialenſi obuia recenſet. Cf. Abbatis de VAYRAC *Etat preſent de l'Eſpagne, Pariſ. 1718. in 8. Tomo I. P. 2. p. 536.* vnde *Actorum Erudit. Lat.* Collectores *a. 1719. p. 278.* obſeruant, librorum typis impreſſorum centum circiter ac triginta, manu vero exaratorum decem et quinque millia numerari. Ingens certe theſaurus, maior futurus tamen, niſi a. 1671. multa periiſſent incendio, qua de re vid. *Mercurius Batauus m. Iunio dicti anni*, et MONTFAVCON. in *Praef. ad Palaeogr. Graec. p. 28.* Generatim ad cognoſcenda huius Bibliothecae Cimelia faciunt Auctores ſequentes. Ac primum quidem hic nominandus eſt MART. de la VERA *Catalogus Regiae Biblioth. D. Laurentii*, quem a. 1625. in f. conſcriptum, et autographum quidem, ex Bibliotheca Engeliana comparauit ante aliquot annos illuſtriſſimus Bunauius. Vid. *Catal. Bibl. Bunau. Tom. I. Vol. 1. p. 850.* et *Catal. Bibl. Engelianae, in Spicilegio p. 55.* Succedat, cuius iam *Cap. II. §. 2.* mentionem iniecimus, ALEXANDRI BARVOETII *Catalogus praecipuorum librorum ineditorum, qui MSti adſeruantur in Bibliotheca Scorialenſi.* Exſtat in *Collect. Madero-Schmidiana.* Et ex hoc ipſo Catalogo theologicos deſumſerunt Codices ANT. POSSEVINVS atque THEOPH. SPIZELIVS; ille in *Adpendice Adparat. ſacri*, hic in *ſacris Biblioth. illuſtr.*

arca-

arcanis retectis, *p. 120. sq.* Baruoetius autem indicat simul, alium, eumque adcuratiorem, omnium Graecorum MStorum Catalogum a Dauide Coluillo, Scoto, esse adornatum, quem ipse, vna cum animaduersionibus Baruoetii, edere cogitet in lucem. Cui consilio exitum non respondisse, merito dolemus. cum PHIL. LABBEI *Specimine nouae Bibliothecae MStorum* in *Supplementis Lut. Paris. a. 1653. in 4.* prodiit idem Baruoetii Opusculum, cui accessit SCIPION. TETTII *Index MStor. Bibl. Scorialensis.* Arabicorum quorundam MStorum, quae in eadem adseruantur, Catalogum in *Adpendice Smegmatis Orientalis lib. III. P. 2. p. 1. sq.* et ad calcem *Bibliothecae Orientalis* exhibuit HOTTINGERVS. Sic et CHRISTIAN. RAVIVS edidit *Catalogum CCLXI. voluminum Arabicorum* in hac Bibliotheca, subiectum *Praefatiunculis* eiusdem in *Primam tredecim partium Alcorani Arabico-Latini.* Accepisse se illum a Iacobo Golio profitetur; nec tamen continet Arabicum Maroccani Regis adparatum, de quo supra. Nouissime MONTFAVCONIVS (qui in *Praefat. ad Palaeogr. Graecam p. 28.* Bibliothecam Scorialensem prae reliquis omnibus insignem semper habitam, et multis vetustissimisque Codicibus instructam esse adserit,) in *Bibl. Bibliothecarum MStorum noua, Tomo I. p. 616. sq.* cum rei litterariae studiosis communicauit MStorum Catalogum, sed vix integrum, quum tot in eo Codices non occurrant, quot praedicantur vulgo; ideoque fecisse ex Opere maiori epitomen videtur. CLAVDIVS CLEMENS in fine *Musei sui*, quod aliquoties nominauimus, *p. 515. sq. Regiae Bibliothecae Scorialensis* adiecit *Descriptionem*, vti quidem titulus promittit, at, si dicendum quod res est, leuis omnino vocari opella meretur, tamque perfunctoria, vt picturae magis et ornamenta, quam libri siue manu exarati, siue excusi, iique rariores, et notatu prae reliquis digni, exinde cognosci possint. Quod

ne

ne aliorum ſcriberemus fide, parum certa ſaepenumero, ipſi euoluimus librum, hodie non obuium frequenter. Eiusdem eſt farinae *Notitia Bibliothecae Scorialenſis*, quae legitur in FRANC. de los SANTOS *Deſcripcion del Real Monaſterio de S. Lorenzo del Eſcorial Cap. XVI. edit. tertiae, Mantuae Carpet. a. 1681. in f.* adornatae. CORDERIVS etiam in *Epiſtolis duabus*, quas CYRILLI *in Ieremiam Homiliis* praefixit, altera ad Balth. de Fuentabrada, Monaſterii S. Laurentii Priorem, altera ad Lectores, praeſtantiam huius Bibliothecae ſummis laudibus extollit. Vtramque leges in *Collect. Madero-Schmidiana P. I. p. 114. ſq.* Cf. LOMEIERVS, *ibidem p. 228. ſq.* Quae vero in ANDR. SCHOTTI *Hiſpaniae Bibliotheca T. I. cap. 3. p. 62. ſq.* inueniuntur, ea nil niſi maximam partem *Capitis* X. ex MARIANAE *lib. III. de Rege et Regis inſtitutione*, ac deinceps CARDONAE *Conſilium de inſtituenda amplificandaque Bibliotheca Regia S. Laurentii* exhibent.

§. V.

Praeter hanc Regiam celebratur apud Hiſpanos Bibliotheca *Complutenſis*, quam cum Academia erexit Franc. Ximenius, Archiepiſcopus Toletanus, de cuius rebus geſtis fuſius commentatus eſt ALVAREZ GOMECIVS ſingulari Opere, edito *Frf. a. 1603.* in *Tomo I. Hiſpan. illuſtratae*, quae ANDR. SCHOTTVM primum habuit collectorem, ac difficulter parari hodie poteſt. Hanc ipſam Bibliothecam Ximenius, magnis impenſis, Latinis, Graecis, Hebraicis, Hiſtoricis, et ad Dialecticam et ad Philoſophiam pertinentibus libris inferſit, auxit plurimis ICtorum voluminibus, et ſcriptis Medicorum omnium, atque monumentis ſacrae Theologiae illuſtrauit mirum in modum, Bibliis praeſertim ad Graecam et Hebraicam fidem reſtitutis per doctiſſimos et vtriusque linguae peritiſſimos ex diuerſis terrarum partibus, ſumtibus maximis et intolerandis, accerſitos huius Aca-

demiae

demiae ſolum illuſtrandae cauſſa. Atque haec Bibliotheca aucta magis, et locupletata omnis generis varietate librorum, et cuiuscunque facultatis atque diſciplinae Auctorum viſitur, et ab omnibus magis magisque celebratur. Quae verba ſunt MELCH. de la CERDA ex libro de *Adparatu Latini Sermonis, p. 61.* in laudati SCHOTTI *Hiſpaniae Bibliotheca.* *) Add. *Praefatio, Bibliis Complutenſibus* praemiſſa. *Salmanticenſi* Bibliothecae, quam de la CERDA *l. c. p. 33.* vetuſtiſſimam vocat, omnisque generis librorum recentiorum et antiquorum, etiam manu deſcriptorum, pleniſſimam, Ferdin. Nonium, caelibem, a. 1552. ſupellectilem ſuam, quam habebat, egregiam teſtamento legaſſe, THVANVS memorat *Hiſtor. lib. XI. in fine.* Caeterum adhuc monendum eſt, abditos paſſim in Hiſpania latere inſignes Scriptorum veterum Codices, manu exaratos, quibus quum vti neſciat gens amoeniorum ſtudiorum fere ignara, iis nullum plane pretium ſtatuitur. Eorum complures quam ſibi modico aere compararit EMANVEL MARTINI, ipſe in *Epiſtolis* ſuis exponit, *Mantuae Carpet. a. 1735. in 8. editis, Tomo I. p. 330.*

§. VI.

Ex Hiſpania tranſeamus in *Galliam*, in qua tot reperiri Bibliothecas LVDOVICVS IACOBI a ST. CAROLO adſerit, quot in reliquis Europae partibus non habeantur. Vid. ſupra *Cap. II. §. 1.* Hoc licet Thraſonicum ſit dictum, ex nimia de ſolo patrio profectum opinio-

*) En! titulum libri nunc itidem rarioris: *Hiſpaniae Bibliotheca, ſeu de Academiis et Bibliothecis: item Elogia et Nomenclator clarorum Hiſpaniae Scriptorum, qui Latine diſciplinas omnes illuſtrarunt* caet. *Frf. 1608. in 4.* Tres ſunt Tomi exigui; nam omnes paginas 649. conficiunt. In fronte libri ſe haud nominauit Auctor: Subſcripſit tamen Dedicationi: *A. S. Peregrinus.* Labor eſt vtilis, et non ad Bibliothecarum tantum notitiam aliqua ex parte, ſed ad omnem quoque ſtatum Hiſpaniae litterarium conducit.

opinione; diffiteri tamen poteſt nemo, Gallos ſtupendo Bibliothecarum pretioſiſſimarum numero eminere. Omnibus palmam praeripit Bibliotheca *Regia*, cuius hiſtoriam quum erudite exponat copioſeque *Memoire hiſtorique ſur la Bibliotheque du Roi, in Tomo I. du Catalogue des livres imprimez de la Bibliotheque du Roi, Pariſ. a. 1739. in f.* edito, noſtrarum eſſe partium arbitramur, vt excerpamus inde, quae ſunt potiora. Prima huius Bibliothecae fundamenta Carolus V. Sapientis a poſteritate elogio inſignitus, pro ſuo in Muſas amore, ſaeculo XIV. iecit, eandemque in turri quadam arcis Pariſienſis, *la Tour de la Libraire* dicta, ſplendidiſſime repoſuit. Ex Catalogo, cuius adhuc authenticum exſtat, nongenta, et quod excedit, Volumina illam confeciſſe patet. Collectio hac profecto aetate non modica! Valde autem eſt imminuta ſub Carolo VI. variis libris partim ab ipſo Rege deſumtis inde, partim a Duce Andegauenſi, Adminiſtratore regni, aliisque Proceribus, priuatos ad vſus acceptis, partim deportatis ab Officialibus aulae, nec vnquam reſtitutis. Quae quidem damna nouis indies Codicibus reſarcire ſtuduit Rex, non facta tamen Bibliotheca locupletior, quam quadraginta circiter annis ante fuerat. Mortuo tandem Carolo VI. a Iohanne Duce Bedfordio, quem Angli, in bello contra Gallos victores, regno praefecerant, mille ac ducentis libris Gallicis emta eſt eadem, et pecunia haec artifici ſoluta, cui Regis, eiusque Coniugis, Iſabellae, Mauſoleum faciendum erat locatum. Quo vero poſt hoc tempus peruenerit adparatus iſte, certo indicari nequit. Non abhorret interim a veritate coniectura, eum in Angliam eſſe delatum. Priore ergo ſupellectile penitus alienata, Carolus VII, quantum negotia bellica permittebant, collegit nouam, ſed exiguam plane, et eorum tantum librorum, qui maieſtati eius ab Auctoribus fuerant conſecrati. Ludouicus

autem

autem XI. quem inſigniter vti de litteris vniuerſis, ſic etiam de Bibliotheca fuiſſe promeritum, NAVDAEVS oſtendit in *cap. IV. de l'Addition à l'hiſtoire de Louis XI.* *) omnem nauabat operam, vt ii libri, quos Carolus V. in variis aedibus Regiis habuerat, congererentur, quibus addebat a parente relictos, nec non ſuos, interiectoque aliquo interuallo Caroli, fratris et probabiliter Ducum etiam Burgundiae, quorum Ducatum regno recuperauerat, Bibliothecam. Idem NAVDAEVS *loco citato*, quem exſcribere nolo, quum liber paſſim hodie ſit obuius, Robertum Gagui-

*) Editus fuit hic liber, rariſſimus quondam, *Pariſ. a. 1630. in 8.* Recuſum accepimus cum *Bruxellis a. 1713. eadem forma*, Supplementi loco ad *Memoires de Meſſire Philippe de Comines, Seigneur d'Argenton*, quae hiſtoria *ibid. a. 1706. Tomis III.* prodierat, tum *Pariſiis* (quamquam Londinum in fronte exſtat) *a. 1747.* in *Tomo IV. Parte 1.* laudati *Operis Cominaei*, quod Abbas DV FRESNOY *in 4. mai.* ſplendidiſſime exhibuit. Vid. plura in *den zuverläſſigen Nachrichten, Parte CXIII. p. 314. ſq.* Demonſtrare autem Naudaeus in hoc libro contra quosdam hiſtoricos potiſſimum conſtituit, quod Ludouicus XI. Princeps fuerit ſatis doctus. Eo igitur conſilio *Cap. III.* docet, Regem hunc nec ignarum linguae Latinae, nec in loquendi arte, diſciplinisque mathematicis, hoſpitem fuiſſe. Deinceps *Cap. IV.* confirmat, eundem ſemper curae habuiſſe litteras, praecipue Bibliothecam Regiam, quam inſigniter auxerit. Qua occaſione, dum Codices quidam MSti in magno tunc temporis pretio eſſent, de caritate eiusmodi Codicum varia lectu iucunda diſſerit. *Capite V.* viros recenſet eruditos, quos dilexerit, praemiisque ornauerit Ludouicus. *Capite VI.* progreſſum ſtudiorum, in Pariſienſi maxime Academia, qui fuit ſub hoc ipſo Rege, commendat. *Capite VII.* (quod Latine verſum exſtat in WOLFII *Monument. typogr. T. I. p. 486. ſq.*) typographiae vſum ſub eius imperio primum inualuiſſe apud Gallos monet, ſimulque de artis illius diuinae origine, quam demum Germanis tribuit, multa proponit egregia. *Caput VIII.* idque vltimum diuerſorum Galliae Regum in eruditos ſtudium praedicat. Vbique tamen excurrit, et obſeruationes interſpergit Auctor de variis rebus litterariis.

guinum ſupellectili huic praefuiſſe tunc temporis refert, quod vero nondum eſt expeditum ſatis. Id contra poſitum extra aleam, quod hanc ipſam ſpartam ornauerit Laurentius Palmerius. Carolus VIII. etſi litteris minus tinctus, laudabiliter parentis perſequutus veſtigia eſt, Regiamque Bibliothecam libris partim honori eius et vſibus conſecratis, partim haud exigua eorum copia locupletauit, quos ex Bibliotheca Neapolitana, vrbe armis occupata, in Galliam deuexerat. Quae ſane praeda ad hunc vsque diem ſtudioſe conſeruata, eo maiori in pretio haberi debet, quo certius conſtat, dictam Bibliothecam ſaec. XIV. et XV. a Regibus eſſe conditam, quos ingenuarum artium et ſcientia, et amor, merito ab obliuionis iniuria vindicauit. Interea temporis Ludouici, Aurelianenſis Ducis, a. 1407. nefarie interfecti, filii, Carolus, et Iohannes, Comes Engoliſmenſis, ex diuturna apud Anglos cuſtodia reduces, binarum fundamenta Bibliothecarum iecerunt, quarum altera Bleſis, altera Engoliſmae fuit. Illam Ludouicus XII. Rex, Caroli Aurelianenſis filius, Bleſis natus, et quaſi educatus inter libros, ſeruauit non ſolum in hac ipſa vrbe, ſed eo tranſtulit etiam, maioris ornamenti cauſſa, Ludouici XI. Carolique VIII. adparatum librarium, cui adiecit deinde, praeter Franciſci Petrarchae et Ludouici de la Gruthuſe libros, Bibliothecam, iure belli partam, quam Viſcontii, ſeu Vice-Comites, Sfortiaeque, Mediolanenſium Duces, maximis Ticini ſumtibus inſtruxerant. Sic illuſtrauit Bleſas, vsque ad Franciſci I. imperium, ſupellex omnibus praeſtantior diuitiis. Hic enim Rex, et Marte, et litteris, et fatorum viciſſitudine in Annalibus inſignis, iam a. 1527. conſilio Guilielmi Budaei in arce Fontisbellaquenſi Bibliothecam adornauerat copioſam, cui a. 1544. inferri iuſſit Bleſenſem, Latinis Codicibus egregie refertam, non item Grae-

cis.

cis. Quorum etiam vt compos fieret, Hieron. Fondulum, Petr. Gillium, (de quo cf. hic SCAEVOLAE SAMMARTHANI *Elogia doctor. Gallor. lib. I. artic. 11.*) Guilielm. Postellum *) et Iustum Tenellum in regiones exteras misit, Orientales maxime et Italiam, quo, post captam a Turcis Constantinopolim, complures Graeci vna cum libris suis confugerant. Idem negotium Rex demandauit ministris, qui in aula Romana et Re publica Venetorum legati honoribus eminebant.

*) Memorauit hoc loco STRVVIVS, Franciscum I. Professori huic Regio, et eruditis aestimato viro, quum vitae in melius mutandae caussa ab aula voluisset recedere, sex aureorum Francicorum obtulisse millia, Postello tamen recusante tantam munificentiam. Quae vnde hauserit Auctor, explorare non licuit; nec enim huius rei mentio iniecta in *vita Postelli*, quam *Tomus I. et IV. Obseruation. select. Halensium*, pariterque ITTIGII *Opuscula varia*, edita *Lips. a. 1714. in 8.* exhibent. Probabilis interim ex eo redditur historiola, quod Anton. Teisserius apud *Pope-Blount* in *Censura celebr. Auctorum p. 670.* et SALLENGRE *Memoir. de litterat. Tom. I. P. 1. p. 125.* confirmant, Franciscum I. eiusque sororem, Margaretham, Nauarrae Reginam, quae decima vulgo Musa dicitur, Postellum tamquam miraculum mundi suspexisse. Caussam vero, qua motus Postellus Galliam reliquerit, vberius expositam leges apud SALLENGRE *l. c. pag. 8. sq.* Ita enim vir doctus: *Le Chancélier Poyet, qui étoit mal avec la Reine, vouloit du bien à Postel, il l'engagea à venir plus souvent à la Cour, et à accepter le quart du revenu de l'Evêché d'Angers. Cela déplut fort à la Reine, et quelque temps après le Chancélier Poyet ayant été entiérement disgracié, Postel eut l'imprudence de vouloir se mêler de le raccommoder avec cette Princesse. Pour cet effet il se rendit d'Angers jusques aux Monts Pyrenées à Montmarsan, où le Roi et la Reine de Navarre faisoient leur sejour. Il n'y fut pas long-tems sans s'appercevoir, que bien loin de pouvoir secourir Poyet, il avoit lui même besoin de protecteurs; aussi ce voyage fut non seulement inutile, mais il lui fut encore nuisible, car il perdit ses chevaux avec son bagage, endura beaucoup de fatiques, et eut bien de la peine, à conserver sa liberté. Il est probable, que la mauvaise situation, dans la quelle il se trouva, l'obligea alors à quitter la France, et que vers ce tems-là il vint à Vienne.* caet.

bant. Plurimis inde incrementis ſe extulit Bibliotheca Regia; quibus addere poſſemus memorabilia alia, ſi quidem libri huius rationes id paterentur. Primariam omnis adparatus curam egit laudatus Budaeus, Gallorum lingua *Maître de la Librairie du Roi* dictus, eique, a. 1540. viuis erepto, ſucceſſit Petrus Caſtellanus, quo etiam auctore ac ſuaſore factum videtur, vt Franciſcus Bibliothecam Bleſenſem cum Fontisbellaquenſi coniungeret. Nec interruptum fuit augendae huius ſtudium aetate Henrici II. Franciſci II. Caroli IX. atque Henrici III. quamquam ob varias turbas, ex odio in Hugonottos excitatas, mediocri tantum acceſſione poterat amplificari. Sub Henrico etiam II. conſuetudo inualuit, a. 1556. publico Edicto imperata, vt quilibet bibliopola librorum, qui priuilegio erant muniti, exemplar in membrana impreſſum atque compactum Regiae Bibliothecae exhiberet. Praefectus eidem tunc temporis fuit, poſt Caſtellani obitum, Petrus Montaureus, vir diſciplinarum praecipue mathematicarum peritiſſimus, qui tandem nouarum in ſacris opinionum inſimulatus a. 1567. Sancerram conceſſit, relicta Aureliani Bibliotheca omnium librorum copia nobili, potiſſimum Mathematicis Graecis, maiorem partem manuſcriptis, atque ipſius Montaurei ſtudio emendatis et illuſtratis, inſtrumentis item ad eas ſcientias raro artificio elaboratis, vbi eadem a. 1572. in horrenda illa laniena Hugonottorum, barbara immanitate, direpta fuit, teſte THVANO *Hiſtor. libro II. p. m. 160. edit. Pariſ. d. a. 1609. in 12.* qui in hac ſparta circa annum 1593. Iacobum Amiotum, Montaurei ſucceſſorem, a Carolo IX. conſtitutum, ſequutus eſt. Turbulentis his temporibus non nihil damni fecit Regia quoque Bibliotheca, qua de cauſſa, ne in maius incideret diſcrimen, Henrici IV. iuſſu a. 1595. Fontisbellaqueo tranſportata eſt Lutetiam Pariſiorum, ſtatimque in Collegio Claromonta-

montano collocata, quo huius poſſeſſores, Societati Ieſu adſcripti, ob variorum criminum atrocitatem, ex Parlamenti Regii ſententia priori anno expulſi fuerant. Bibliotheca vix in ordinem redacta, nouis eam auctibus Henricus IV. reddidit ſplendidiorem. Etenim, praeter ſacrarum litterarum Codicem incomparabilem, quem inde a Caroli Calui aetate Abbatia S. Dionyſii conſeruarat, a. 1599. acceſſit integra Bibliotheca Catharinae Mediceae, Henrici II. coniugis, octingentis circiter libris manu exaratis, Graecis maxima ex parte et rariſſimis, inſtructa, quam, Regina mortua, apud Abbatem quendam et Bibliothecarium eius, Ioh. Baptiſtam Benciuenum, depoſitam a creditoribus pecunia Regis redemit Thuanus, vt ipſe teſtatur *libro I. de vita ſua p. m. 1295. in Tomo V. Opp. edit. Francof. a. 1614. in 8. mai.* Eodem legimus loco, Catharinam collegiſſe Bibliothecam hanc ex reliquiis Mediceae, per ſeditiones domeſticas diſſipatae: alii contra perſuaſum ſibimet habuerunt, quod Alexander Medices, Dux Vrbini, partitus fuerit cum Catharina, ſorore, libros a maioribus diligenter collectos. Sed neutra relatio firmo ſatis fundamento nititur. Vero propius eſt, hanc ipſam Bibliothecam Nicolao Ridolfo, Patri purpurato, et Leonis X. nepoti, ſuam debere originem. Is enim non ſine maximis impenſis ingentem Codicum MStorum, Graecorum cum primis, a Iohanne Laſcari oblatorum, ſibi copiam parauerat, quae deinde ſupellex, Ridolfo a. 1550. vitam cum morte commutante, emta eſt et ad Gallos deducta a Petro Stroſſio, Mareſchallo Franciae, viro librorum amantiſſimo, et Graecarum litterarum prae omnibus huius ſaeculi eruditis luculenter gnaro. Qui quum cecidiſſet in obſidione Theodonis villae, Regina, ſatis propinqua cognatione ipſi iuncta, vindicauit ſibi adparatum eius librarium, nec indignata eſt, ſi adulatores partem dicerent eun-

dem celeberrimae Bibliothecae Mediceae. En, igitur occaſionem ad peruulgandam ſabellam, quam et Thuanus, quod mireris omnino, ſuo comprobare adſenſu haud dubitauit! Reuocatis a. 1604. ab Henrico IV, qui facile flecti poterat, Ieſuitis Claromontanis in ſedem priſtinam, Bibliotheca Regia Monaſterio Patrum Franciſcanorum fuit concredita; poſtea vero magnas occupauit aedes, ad eosdem pertinentes Monachos, in platea, quam Galli *ruë de la Harpe* adpellant. Factum id ſine dubio ſub Ludouico XIII. cuius etiam iuſſu MSta, amplius quadringenta numero, coemta ſunt aere haud modico ex hereditate Philippi Huralti, Epiſcopi Carnutenſis. Direxit tum Bibliothecam, poſt mortem Thuani, Nicolaus Rigaltius, at nomine tantum filii natu maioris, Franciſci Thuani, quem a patre impuberem relictum gratia Regis tanta ſparta ornauerat. Huic ipſi, a. 1642. gladii poena necato, ſucceſſit Hieron. Bignonius, ſolitumque ius iurandum dedit, Ludouico XIV. vix ad imperii maieſtatem euecto. Magni huius Regis aetate Bibliotheca ingentes adquiſiuit opes, quas ſtatim carptimque recenſebimus. Ac primum quidem particeps facta eſt pretioſae ſupellectilis, congeſtae a Petro ac Iacobo, fratribus Puteanis, Regique ab hoc a. 1656. legatae. Sequutum paullo poſt Hippolithi Comitis Bethunenſis donum, mille ſcilicet ac nongenta MSta recentiora, ex omnibus fere diſciplinis compoſita. Praecipue autem Ioh. Baptiſta Colbertus, qui Bibliothecae, mortuo Bignonio, praefectus erat, omnem adhibuit induſtriam, vt eadem nouis in dies, ſuperbire ornamentis poſſet. Influxerunt igitur in hunc eruditionis puteum quadringenta circiter MSta politica Comitis Briennenſis, Secretarii Status; Bibliotheca inſtructiſſima Raphael. Tricheti Domini du Freſne, a vidua eius parata; a. 1667. libri et manu exarati, et impreſſi typis, Ioh. B. Gaſtoni, Ducis Aurelia-

relianenſis; pretioſiſſima artis chalcographicae monumenta Abbatis de Marolles, quae voluminibus ducentis ac viginti quatuor in forma maxima conſtant; complura, ex Bibliothecis Nicol. Fouqueti, a. 1661. in vincula coniecti, Iac. Golii, et Gilberti Gaulmini coemta; a. 1668. MSta Bibliothecae Mazarinianae, cum variis libris editis; a. 1670. Bibliotheca Iac. Mentelii, Medici Pariſienſis, decem fere millia volumina ex omnibus diſciplinis continens. Praeterea ex vniuerſo terrarum orbe libri rariſſimi comportati ſunt, adeo quidem, vt a. 1667. in Orientem etiam ad conquirenda Graeca, Arabica, Perſica, aliarumque linguarum orientalium MSta, duo viri eruditi, de Monceaux et Laiſné, mitterentur. Eodem, praeter Ioh. Franciſc. Petitum de la Croix et Anton. Gallandum, a. 1671. Regio iuſſu iter ſuſcepit Michael Vanslebius, Pater S. Dominici Ordini adſcriptus, qui per quinquennii ſpatium ſexcenta circiter ac triginta MSta Hebraica, Syriaca, Arabica, Coptica, Turcica, Perſica et Graeca ſingulari ſtudio adeptus eſt. Poſt Colberti fata ſuprema a. 1683. Franciſc. Mich. Tellerius, Marchio de Louvois, conſtitutus Bibliothecae Curator, illuſtris anteceſſoris exemplo haud exiguam librorum copiam vndique comparari iuſſit. Mabillonii cum primis induſtria laudari hoc debet loco, quippe qui ex celebrioribus Italiae vrbibus quatuor prope librorum excuſorum millia congeſſerat. Tellerium in munere Bibliothecarii ſequutus eſt a. 1691. filius, Camillus Tellerius de Louvois, Abbas, de quo vid. *Hiſtoire de l'Academiè Royale des Scienes anni 1718. p. 126. ſq. edit. Amſtaelod.* Eius aetate Bibliotheca mirifice accreuit. Nacta eſt enim a. 1697. quadraginta nouem litteraturae Sinenſis volumina, Regi ab Imperatore Sinenſium donata; a. 1700. quingenta MSta, Latina maximam partem et Graeca, liberali oblata manu a Carolo Mauritio Tellerio, Archiepiſcopo

Rhemensi, qui et nouem annis post addidit reliqua, sibi reseruata; a. 1706. Emerici Bigotii Codices plus quam quadringentos et quinquaginta, ab herede eius bibliopolis quibusdam Parisiensibus, et ab his Bibliothecae Regiae venditos; a. 1712. ex librario adparatu Melchisedeci Theuenoti, eiusdem Bibliothecae custodis quondam, trecenta fere MSta, pleraque orientalia, paulloque ante ex auctione Bibliothecae Bultellianae, cuius *Catalogus Paris. a. 1711. in 8. Partibus II.* prodiit, octingenta et quinquaginta volumina typis impressa; a. 1715. autem Orientales Gallandi Codices, itemque Franc. Rogerii Gagnierii collectionem magni pretii, cum excusam, tum scriptam, quae in Historia et Antiquitatibus, nec non topographica re et chalcographica, monumenta omnium admiratione dignissima exhibet. Haec Ludouici XIV. auspiciis. Progredimur ad pronepotem eius, hodie Sceptrum tenentem, cuius sub imperio Bibliotheca Regia locupletata est a. 1717. insigni Operum Heraldicorum ac Genealogicorum copia, per integrum fere saeculum a Carolo Hozierio, eiusque parente, mira felicitate coaceruatorum; a. 1719. quo Io. Paul. Bignonius, Abbas S. Quintini, in Camilli Tellerii de Louvois substitutus locum fuit, libris manu exaratis aeque ac typis exscriptis, et a laudato eius antecessore legatis; Philiberti de la Mare sexcentis, pariterque Stephani Baluzii amplius mille Codicibus, inter quos non nulli etiam editi, variisque Baluzii obseruationibus in margine illustrati sunt; hisque adposuit ipse Bignonius et Bibliothecae donauit collecta a se trecenta circiter ac quinquaginta MSta Sinica, Tartarica et Indica, quibus a. 1720. et 1723. earundem linguarum minimum duo millia et sexcenta accesserunt, apud Sinenses conquisita. Posteriori hoc anno adiuncti sunt etiam libri cum Andr. Dacerii, supremis relicti tabulis, tum ii, qui in conclaui quodam Palatii

(Galli

(Galli id *Louvre* dicunt) fuerant adhuc collocati. Anno 1724. Bignonius intulit Bibliothecae triginta maioris formae volumina Actorum Concilii Baſileenſis, a. 1431. conuocati, quae ex dictae vrbis Bibliotheca publica ſumtibus Regiis adcurate deſcripta fuerunt, et biennio poſt Broſſardus, Canonicus Meldenſis, donauit adparatum ſuum, ſcriptis Muſicis antiquae pariter et recentioris aetatis eximium, nullaque forſitan huius generis collectione, ſi conditiones priuati ſpectemus, inferiorem. Tum a. 1728. Fleurius, Pater purpuratus, primusque aulae Miniſter, auctoritate Regia Seuinum ac Fourmontum, ampliſſimae doctrinae Abbates, ad Orientales adlegauit populos, vt MStos Codices coemerent vbique locorum, et, meſſe iam olim facta, quoddam quaſi ſpicilegium inſtituerent. Cui ſane conatui exitus contigit, quem optauerant omnes, reportatis inde a. 1730. plus quam ſexcentis voluminibus, inter quae Graeca multa, maxime autem Armenica, etiam typis impreſſa. Cf. *Hiſtoire de l'Academie Roiale des Inſcript. et des belles lettres, Parte IV. num. 43. et 44. p. 411. ſq. edit. German. Gottſchedianae*, nec non MONTFAVCON. in *Biblioth. MStor. T. II. p. 1027. ſq.* vbi hi ipſi Codices recenſentur. Eodem anno ducenti ac quatuor libri manu ſcripti ab Eccleſiae ſanctiſſimi Martialis Lemouicenſis Canonicis comparati ſunt, qui theſauros hos, edito tunc temporis Catalogo, inuentu nunc difficili, eſſe venales voluerant. Annus 1731. attulit non MSta tantum, ſexcenta numero, Domini de Meſmes, plurima ex parte ad certiorem regni notitiam pertinentia, ſed ſplendidiſſimam quoque figurarum aeri inciſarum collectionem, quam Iac. Ludouic. Marchio de Beringhen reliquerat. Anno ſequenti Rex centena millia nummorum vncialium ſolui iuſſit pro decem millibus voluminibus manu ſcriptis et antiquis Diplomatibus, quae ornarant olim celeberrimam Colberti Bibliothecam: ac paullo poſt Dominus de Cangé

certo pretio concessit septem millia et amplius scriptorum, omne id exhibentium fere, quicquid vnquam in Historia, Poesi ac re litteraria Gallorum diuulgatum est. Tacemus Indicorum librorum multitudinem, inde ab a. 1729. Lutetiam reportatam, caeterasque accessiones insignes: hoc autem non possumus non monere, Bibliothecam, quum destinatus ei locus in arce Regia ad alios pararetur vsus, ex aedibus Colberti, palatio illius in platea, cui *ruë Vivienne* nomen est, vicinis, quo a. 1666. translata fuerat, inde ab a. 1721. adseruari nunc in Domo *Nevers* dicta, seu antiquo palatio Mazariniano, in via Richelia. Praefectus ei iam est illustris Bignonius, nepos Ioh. Pauli, qui a. 1745. octogenario maior e vita discessit. Sub Bibliothecariorum, siue custodum, prouinciam, quam et sustinuerunt quondam Ioh. Gosselinus, Isaac. Casaubonus, Nic. Rigaltius, et Ioh. Boiuinius, hodie Sallerius, Abbas, atque Melotus, viri doctissimi, administrant. Restat, vt speciatim de cimeliis litterariis, quibus abundat Bibliotheca Regia, non nihil dicamus. Inter Codices manu exaratos, quorum vltra triginta millia complectitur, monstrari e. g. solent *Epistolae S. Pauli*, Codex Graeco-Latinus, septimi circiter saeculi, in tenuissimis elegantissimisque membranis scriptus, et Claromontanus dictus vulgo, quem a Cantabrigiensi, frustra id negantibus aliis, esse diuersissimum, et DANIEL MAICHELIVS *de praecipuis Biblioth. Paris. p. 22. sq.* et IOH. ADAM. OSIANDER in *Orat. Acad. Biga, Tubingae a. 1742. 4. orat. secunda* euicerunt. Ex praestantissimo hoc volumine, quod in Bibliotheca fratrum Puteanorum adseruatum est antea, Ioh. Aymontius, Clericus quidam, qui sacra Pontificia deseruerat, circa annum 1707, praeter alia furta, exciderat folia triginta quinque; sed anno tandem 1729. ab illustri quodam Anglo, cuius in manus peruenerat raptum, suae restitutum est exemplar integritati.

Huic

Huic iungimus vetuſtiſſimum quoque Codicem mille ac ducenorum annorum, vncialibus litteris et ſine accentibus expreſſum, in quo *varii ex vtroque Teſtamento libri* exhibentur. Dolendum tamen, ſuper eandem ſcripturam, tantum non exſtinctam, a quodam ſaeculi duodecimi, vel decimi quarti, librario S. Ephraemi exarata eſſe Opera. Cf. MAICHELIVS *l. c. p. 18. ſq.* Primus veram Codicis illius ſcripturam et antiquitatem ſtupenda induſtria a. 1692. detexit IOH. BOIVINIVS, vti vberius exponunt *Memoire hiſtorique ſur la Biblioth. du Roi, p. 42.* et *Memoires de l'Academie des Inſcript. et des bell. lettr. P. IV. p. 483. ſq. edit. Germ. Gottſchedianae.* Nec ſilentio praetermitti debent *Gregorii Nazianzeni Homiliae*, Codex Graecus ſaeculi noni, auguſtam prae ſe magnificentiam ferens, de quo vid. MONTFAVCON. *l. c. p. 725; Terentii Comoediae* cum figuris perſonarum et ſcholiis, nono vel decimo ſaeculo ſcriptae, IDEM *l. c. p. 757.* nec non *Codex Petronii*, et fragmenti illius Traguriani, in quo inſignis coena Trimalchionis, Opus a multis eruditorum, ſed ſine iuſta cauſſa, inter ſuppoſita relatum. Adquiſiuit illud a. 1703. laudatus Montfauconius, qui etiam *l. c. p. 578.* plura de eo diſſerit. Caeteros quantiuis pretii Codices hic loci nemo exſpectabit. Adeant, qui ſitim explere voluerint, illam MONTFAVCONII *MStorum Bibliothecam*, qua iam ſaepius vſi ſumus, praecipue autem *Catalogum Codicum MStorum Bibliothecae Regiae, Pariſ. e typogr. Regia, a. 1739. in f.* Quatuor proſtant nunc *Tomi*, in quibus ordine concinno erudite deſcribuntur Codices ſinguli, indicata ſimul, quantum fieri potuit, certa eorum aetate. Primum tamen Tomum, qui Codices Orientales exhibet, cum typothetarum, tum ipſorum Catalogi Auctorum, mendis ſcatere, adfirmatur in *den Zuverlaesſigen Nachrichten, Parte CLI. p. 478.* Eodem anno ſubſequutus eſt *Catalogue des livres imprimez de la Bibliotheque du Roi, in f.*

III. Vo-

III. Volum. quorum *tertium a. 1742.* prelo exiit. Sed vtrumque Opus, cuius continuationem auide exſpectant omnes, infrequens eſt in tabernis librariis, ideoque comparari difficulter poteſt. *) Ad libros editos quod attinet, numerus voluminum centum millia excedit. Praeſtantiſſima hic omnium linguarum et ſcientiarum occurrunt monumenta, totque vetuſtiſſimae editiones et cum raritate, tum elegantia, commendabiles, vt Regiae huius Bibliothecae praerogatiuam expendenti fere dubium videri queat, vtrum eam Codices manu ſcripti, an typis excuſi, potiſſimum exornent: adeo omnia ibi maxima adparent ac notatu digniſſima. Vid. MAICHELIVS *l. c. p. 42. ſq.* Olim adſeruari in hac ipſa quoque Bibliotheca ſolebat inſigne Antiquitatis Cimelium, *Childerici* ſcilicet, Francorum Regis, *monumentum ſepulchrale*, quod nunc in Technophylacio Regis inueniri, IOACH. CHRISTOPH. NEMEI-

*) Deliberabatur iam ſuperiori aetate de Catalogo Bibliothecae Regiae tam MStorum, quam editorum librorum, in lucem conſpectumque publicum proferendo. Nota eſt quidem PHILIPPI LABBEI *Noua Bibliotheca MStorum librorum, ſeu ſpecimen lectionum antiquarum Latinarum et Graecarum cum Supplementis, Pariſ. 1653. in 4.* quo in Opere MStorum, quae in Gallicis Bibliothecis, Regia praeſertim, reperiuntur, Catalogus exſtat in varias diuiſus ſectiones, cum indice chronologico: in Supplementis autem *Catalogi Tomorum VI. quos Lectiones antiquas nominauit Henr. Caniſius, Scipion. Tettii Index MStorum Bibliothecae Scorialenſis, Sacrae Congregationis de propaganda fide, Arabicorum Golii, veterum editionum in Bibliotheca cum primis Regia*, a typographiae initiis ad annum 1500. nec non *Bibliotheca Bibliothecarum*, habentur. Sed plurima fere manca ſunt et mutila; hinc omnino poſtulabat Bibliothecae tam excellentis dignitas, vt nouo Catalogo manus admouerentur. Neque tamen de ordine litterario conueniebat, quaedam licet huius inſtituti idea in Catalogo eſſet Bibliothecae Tellerianae. MORHOFIVS in *Polyh. lib. I. cap. 17. §. 35.* ex BAILLETI *Jugem. des Sav. T. II. Parte 1. p. 221. edit. Amſt. in 8.* ea de re ſic diſſerit: *Primum nouus Catalogus MStorum Codi-*

NEMEITZIVS obſeruat in *Sejour de Paris cap. XXVI. p. 296. edit. nouiſſ.* Forte illud effoſſum erat Tornaci a. 1653. cum centum nummis aureis primorum Imperatorum Romanorum, et ducentis circiter argenteis, nec non figuris quibusdam aureis, quas apes vulgo eſſe crediderunt, aliisque priſcae aetatis reliquiis. Primus hoc monumentum ſibi vindicauit Leopoldus Guilielmus, ArchiDux Auſtriae, tum Belgii Hiſpanici Gubernator, quo mortuo in manus Leopoldi, Imperatoris, et inde ad Ioh. Philippum a Schoenborn, Electorem Moguntinum, iure donationis transiit, tandem vero ab eodem a. 1665. Ludouico XIV. oblatum eſt. Deſcripſit illud in *Anaſtaſi Childerici I.* IOH. IAC. CHIFLETIVS, *Antwerp. 1655. in 4.* Addatur MONTFAVCON. *dans les Monumens de la Monarchie Françoiſe Tomo I.* quem recenſent *Acta Erud. Lat. a. 1731. p. 49. ſq.* item Anonymi, (quem plurimi RIBAUD de

Codicum conficietur, longe Labbeano plenior et adcuratior, atque ſingulorum exactum rigidumque examen criticum inſtituetur. Addentur breuia eorum ſummaria, cum recenſione hiſtorica de cuiuscunque Codicis fortuna et conditione. Quod cum ab vno perfici opus non poſſit, duodecim vel tredecim viris doctrina et iudicio ſingulari praeditis totum committetur negotium, vt illi partitis inter ſe operis agant. In tria illi diſpeſcentur Collegia, quorum vnum in MStis Ebraicis aliisque Orientalibus; alterum in MStis Graecis; tertium in MStis Latinis verſabitur. Et nouimus omnino viros quosdam, perficiendo huic inſtituto prae caeteris pares, qui iam pridem ſummae illud vtilitatis Opus adgreſſi fuerunt. Sic e. g. MSta Arabica Herbelotius, Hebraica doctus quidam Iudaeus, Compiegne dictus, Graeca Ioh. Bapt. Cottelerius et Carol. du Fresne, Latina vero Mabillonius, Mich. Germanus, Dauid Placidus Porcheronus ac Theodoric. Ruinartus, Benedictini omnes, recenſuerunt. Librorum etiam typis impreſſorum Catalogum, eumque duplicem, adornauit ſuperiori ſaeculo Nic. Clemens, Sub-Bibliothecarius, alterum ſcilicet realem, tredecim amplis voluminibus in folio, alterum alphabeticum, decem ac nouem Tomis eiusdem formae. Cf. *Memoire hiſtor. ſur la Biblioth. du Roi pag. 40. ſq.*

de la CHAPELLE dicunt,) *Dissertations sur l'origine des Francs, à Paris 1748. in 8. Dissert. III.* quae *de sepulchro Childerici I. Francorum Regis* agit. Caeterum conferri ad hunc possunt paragraphum laudata iam DAN. MAICHELII *Introd. ad Histor. litt. de praecipuis Bibliothecis Parisiensibus, Cantabrig.* edita *a. 1721. in 8.* eodemque anno elegantissime *Lipsiae* recusa; (non auctior tamen, vt perperam dicitur in *Sermonibus Gundlingianis ad Heumanni Histor. litt. Tomo I. p. 287.*) GEORGII WALLINI *Lutetia Parisiorum sui temporis erudita,* quod Opusculum in *Actis Erud. Lat. a. 1722. p. 570.* merito laudatum, *Norimb. eodem anno in 8.* Auctoris excusum est sumtibus, ideoque raro in officinis librariis comparuit; IOACH. CHRISTOPH. NEMEITZII *Sejour de Paris*, cuius libri Germanice scripti prima editio *Frf. a. 1718.* sub ficto nomine *Timentis*, altera *ibid. 1722.* tertia *ibid. 1728.* quarta, multum emendata et aucta, *Argent. 1750. in 8.* prodiit; *) ac denique *der Neueste Gelehrte Staat von Paris, Ienae 1723. 8.* quem libellum illustris hodie ICtus et Historicus, CHR. GOTTLIEB BVDERVS, ex Maichelio, Wallino et Nemeitzio composuit.

§. VII.

Praeter Regiam apud Parisienses reperiuntur adhuc

I.) Bibliotheca *Collegii Sorbonici*, inter antiquissimas omnino habenda, quippe iam saeculo XIII. illustris. Excellit MStis Orientalibus, itemque editionibus librorum, qui sub initium inuentae ac deinceps in Galliam introductae typographiae excusi fuerunt. Potiorem vero adparatus sui partem liberalitati debet Armandi Iohannis Cardinalis de Riche-

*) Gallica etiam versio *Lugd. B. a. 1727. Tomis II. in 8.* adiectis passim tabulis aeneis lucem adspexit, sed inscio Auctore, et minus adcurate, de quo ipse conqueritur in *Praefat. edit. nouissimae.*

Richelieu, qui non integram tantum Bibliothecam ſuam iſti legauit Collegio, ſed ipſam etiam Domum inſignibus auxit donis atque praerogatiuis. Anno 1646. Michael le Maſle, nominato Cardinali ab Epiſtolis, inſtructiſſimam ſuam librorum ſupellectilem itidem adiecit, vna cum reditibus annuis, qui ei locupletandae inſeruire poſſent. MAICHEL. *l. c. cap. V. p. 75. ſq.* et NEMEITZ. *l. c. p. 226. edit. nouiſſimae*, qua ſemper vtimur.

II.) Bibliotheca in *Abbatia S. Genouefae*, quae praeter alias acceſſiones a. 1710. admodum creuit Bibliotheca Telleriana, de qua infra *§. X.* plura dicentur. Ambitus igitur quum tantas diuitias non caperet, locus Bibliothecae in medio diuiſus eſt, vt iam Crucis exhibeat formam, quod non poteſt non ſummam ſpectantibus iucunditatem adferre. Nam qui ſic in medio conſiſtit, is vno quaſi adſpectu omnes quatuor Bibliothecae partes perluſtrat. MStorum quidem copia non abundat, nec ea, quae poſſidet, admodum ſunt vetuſta; libris tamen editis omnino ſuperbit, iis cum primis, qui ad Hiſtoriam et Antiquitates eccleſiaſticas referuntur. Plura etiam rara et egregia Hiſtoriae Francicae monumenta ſeruat, quae ante oculos habuit Iacob. le Long, quum praeſtantiſſimum componeret Opus, *Bibliotheque hiſtorique de la France* inſcriptum. Dignum denique admiratione eſt Muſeum *Antiquitatum et Numiſmatum*, ipſi Bibliothecae adiunctum, quod ſtudioſe deſcripſit CLAVDIVS MOLINETVS in libro iam rariori, cui titulus: *Le Cabinet de la Bibliotheque de Sainte Genevieve, à Paris 1692. in f. cum fig. aen.* Nouiſſime, anno ſcilicet 1752, huic Abbatiae Ludouicus, Dux Aurelianenſis, ſuum legauit nummorum adparatum, eumque pretioſiſſimum. Vid. MAICHEL.

l. c.

l. c. cap. VI. p. 84. sq. NEMEITZ. *cap. XXIV. §. 4. p. 222.* GE. WALLINI *Comment. de St. Genouefa, Parisiorum ac totius Galliae Patrona, Vitemb. 1723. 4. Parte III. sect. 8. p. 197.* et *Thesaurus Bibliothecalis, Vol. III. p. 70. sq.*

III.) Bibliothecae *Iesuitarum* binae, altera *Collegii Ludouici Magni*, olim Claromontani, altera *Collegii Domus Professae* in via Antoniana. Prior, post Sodalium in vrbem reditum a fatali exilio, de quo supra, instrui coepit anno circiter 1608. et variorum statim liberalitate insigniter accreuit. Praecipue ea de caussa laudantur Franc. partim Fouquetus, qui Bibliothecam non loco tantum ampliore ornauit, sed librorum etiam accessione non contemnenda; et vt augeri posset eadem, annuos reditus mille librarum legauit, partim Dominus de Harlay, Comes Bellomontanus, Consiliarius Status, qui a. 1718. Bibliothecam suam, mille circiter volumina conficientem, testamento huic Collegio reliquit. Numerus librorum excusorum ad quinquaginta millia adscendit; manu scriptorum autem sexcenta prope volumina conspiciuntur, inter quae plurima pars ex Graecis constat, recentioribus maxime, non nullis tamen antiquis etiam et optimae notae. MONTFAVCON. in *Praef. ad Palaeogr. Gr. p. 26.* MAICHELIVS *cap. VII. p. 90. sq.* et NEMEITZ. *p. 223. sq.* Altera *Iesuitarum* Bibliotheca suam potissimum originem debet Carolo de Bourbon, Cardinali, fundatori Domus, qui etiam in Templo istius Collegii sepultus iacet. Accessit a. 1692. Aegidii Menagii, et a. 1721. selectissima Petri Dan. Huetii, Episcopi quondam Abrincensis, Bibliotheca, huic ipsi Collegio solemniter donata. Tabulas donationis leges apud SCHELHORNIVM *Amoenit. litter. Tomo V. n. 7. p. 164. sq.* Tandem Renatus Ioseph. Turnemi-

nus

nus, Domus huius Bibliothecarius, a. 1739. viuis ereptus, librariam ſuam ſupellectilem addidit, quibus incrementis inſignibus factum eſt, vt librorum nunc numerus triginta millia voluminum ſuperet. Praeterea Stephan. Chamillardus, eiusdem Collegii membrum, addixit illi, quod ſtudioſe congeſſerat, *Numophylacium* tam copia numiſmatum, quam delectu, admodum commendabile. MAICHEL. *p. 95.* NEMEITZ. *p. 224.*

IV.) Bibliotheca *Canonicorum Abbatiae S. Victoris*, ſaeculi duodecimi initio condita, iamque Franciſci I. aetate ob varios Codices MStos, et editiones praeſtantiores, magni aeſtimata. Creuit liberalitate virorum clariſſimorum Domini du Bouchet de Bournonville, qui a. 1640. eximia illam donatione ornauit; Domini de Tralaye a. 1698. et Domini Couſini a. 1703. Continere dicitur aliquot millia MStorum, librorum autem typis impreſſorum, triginta circiter millia. Excellit praecipue in diſciplinis theologicis et Hiſtoria eccleſiaſtica, in qua tam pulchra habet monumenta, vt multis aliis palmam praeripere videatur. MAICHEL. *cap. VIII. p. 96. ſq.* et NEMEITZ. *p. 229.* Quendam MStorum Catalogum dedit MONTFAVCONIVS *l. c. p. 1369. ſq.* qui et *p. 1375.* de Bibliothecarii moroſitate conqueritur.

V.) Bibliotheca *Patrum Oratorii* in via S. Honorati, paullo poſt huius Monaſterii fundationem, quae in annum 1611. incidit, ex Patrum opibus conſtituta. Anno 1620. beneficentiâ Achillis de Harley, Presbyteri primum Congregationis Oratorii, tandem ad Epiſcopi dignitatem euecti, aucta eſt praeſtantiſſimis Codicibus cum excuſis, tum manu exaratis, inter quos plurimi Conſtantinopoli, Salonicae, aliisque locis Turcico imperio ſubiectis collecti ab eo fuerant. Varia Opera

historici argumenti huic Bibliothecae intulit Carolus Cointius, illi praefectus olim, nec vllam eius locupletandae occasionem praetermisit Iacobus le Long, qui hoc saeculo eodem perfunctus est munere, et Catalogos confecit triplices, librosque in meliorem ordinem redegit. V. *Acta Erud. Germanica Parte XC. pag. 443. sq.* vbi Longii vita exponitur. Anno 1728. accessit adparatus exquisitissimus Cancellarii de Pontchartrain, et nuper demum, vt publicae retulerunt litterae, Ludouici, Ducis Aurelianensis, paullo ante memorati, Bibliotheca, adeoque nunc Patres illi magnam et selectissimam voluminum multitudinem seruant. Excerpta ex MStorum Catalogo attulit MONTFAVCON. *l. c. p. 1403. sq.* Cf. MAICHEL. *p. 98. sq.* et NEMEITZ. *p. 225.*

VI.) Bibliotheca *Conuentus Fratrum Praedicatorum* in eadem platea, cuius adornandae et augendae praecipuus auctor fuit Iacob. Goar, Parisiensis, eiusdem Conuentus alumnus, postquam e Graecia in patriam redierat. Iam ante triginta annos viginti quinque millia voluminum complexa est, inter quae complures etiam MSti Codices exstant, quorum rariores ex legato Ludouici Picquesii, Doctoris Sorbonici, accepit. MAICHEL. *p. 99.*

VII.) Bibliotheca *Augustinianorum Discalceatorum*, (qui vocantur vulgo *les Petits Peres*,) prope viam Victoriarum, cuius instituendae consilium a. 1650. inierunt. Primam eius rei curam sustinuit Bonauentura de S. Clara, qui libros coemit vtilissimos, atque sic Bibliothecam fundauit. Anno 1675. Germanus de S. Genevieve addidit plures; annoque 1682. ex Bibliotheca Domini le Croux, quae duo ac viginti circiter voluminum continebat millia, praeclara accessione ampli-

plificata eſt, quamquam nihil ibi reperiatur, quod in multis aliis Bibliothecis Pariſienſibus nequeat exhiberi. *Numophilacium* etiam inſigne poſſident Patres iſti, ab Alberto, Fratre eorum, relictum. Vid. MAICHELIVS *cap. X. pag. 100.* NEMEITZ. *pag. 230.*

VIII.) Bibliotheca *Ordinis Minimorum*, propriis partim Fratrum impenſis, partim virorum illuſtrium largitionibus collecta. Inter illos principem tenet locum Ioh. Launoius, qui, vt nemo ignorat, pro eccleſiae Gallicanae libertate maſcule pugnauit. Hic ducentos aureos, ac dimidiam Bibliothecae partem Ordini iſti teſtamento legauit, vnde nunc ſat amplo librorum, eccleſiaſticorum cum primis et Liturgicorum, adparatu eorum Bibliotheca inſtructa eſt. MStorum ſexcenta fere adſunt volumina, quorum non nulla prae caeteris notatu digniſſima dicuntur. Pertinent huc varii Codices, *Acta Miniſtrorum Gallicorum* in aulis exteris indicantes, item octo Tomi, qui *Hiſtoriam Cardinalium cum ipſorum inſignibus* exponunt. Plura vide apud MAICHEL. *cap. XI. p. 102. ſq.* nec non NEMEITZIVM *p. 231.*

IX.) Bibliotheca *Fratrum Coeleſtinorum*, quae non vulgari vetuſtiorum editionum copia excellit. In primis hic monſtratur *Speculum humanae ſalutis*, rariſſimus liber, Latino ſermone conſcriptus, ligneisque inciſus tabulis, quem Pariſiis non niſi in hac, et Sorbonica Bibliotheca, ſe vidiſſe memorat laudatus MAICHELIVS *p. 107.*

X.) Bibliotheca *Aduocatorum* prope Templum Cathedrale, *Notre Dame* dictum, quam Stephan. Gabriel Rifarfond, in ſuprema regni Curia Aduocatus, a. 1704. cum certis reditibus, eius augendae cauſſa, Collegis ſuis ad vſus publicos legauit. Anno 1723. eiusdem Curiae Praeſes, Do-

minus de Mesmes, libros, quos collegerat, editos adiunxit, MStis Regiae Bibliothecae illatis, vt supra dictum. NEMEITZ. *p. 233.*

XI.) Bibliotheca *S. Germani*, Ordinis Benedictini ex Congregatione S. Mauri, quae, praeter Regiam, caeteras omnes longo post se interuallo relinquit. Si enim recte calculos subduxit CAR. STEPH. IORDANVS *dans l'Histoire d'un voyage litteraire, à la Haye 1735. in 8. p. 74.* sex MStorum millia, excusorum autem voluminum sexaginta millia hic numerantur. Formata primum fuit per Patrem Dubrevil, eiusdem Ordinis Socium, a. 1614. defunctum. Emit ille plures libros alicuius pretii, maxime antiquiores editiones, quarum ingens multitudo in promtu est. Aucta fuit subinde Monachorum industria, eo contendentium praesertim, vt compararent sibi subsidia, quae ad rem ecclesiasticam spectant. Hos vero conatus ad summum perfectionis gradum perduxit virorum illustrium donatio, quales fuerunt Darrhius, ICtus, (ita eum MAICHELIVS vocat; sed forte intelligendus est Ioh. Dartisius, cuius de testamento vid. BVDERI *Vitae clariss. ICtorum p. 228.*) Vaillantus, Medicus, Baudrantus, Geographus, et, qui primus laudari debebat, Abbas Etreus, a Rege ad Archiepiscopi dignitatem euectus, sed fato interceptus a. 1718. Hic enim Bibliothecam locupletissimam, duodecim mille voluminum, Abbatiae S. Germani vltimis testamenti tabulis consecrauit. Cf. *Leipz. gelehrt. Zeit. a. 1718. p. 258.* Idem fecit a. 1720. Eusebius Renaudotus, Abbas, cuius libraria supellex nouem prope millia voluminum expleuit. Vid. *Hist. de l'Acad. des Inscript. et des belles lettr. Part. III. p. 513. edit. Gottsched.* Nouissime etiam, a. 1732. nimirum, MSti Codi-

ces

ces ex Bibliotheca Coiſliniana, olim Seguieriana, centum fere millium librarum Gallicarum pretio aeſtimandi, eorundem Monachorum fidei commiſſi ſunt. Numerus iſtorum Codicum ad quatuor millia procedit, inter quos quadringenti Graeci, iique praeſtantiſſimi, et vetuſtiſſimi maximam partem, exſtant, deſcripti adcurate a MONTFAVCONIO, cuius et *Muſeum Antiquitatum* Bibliotheca S. Germani nacta eſt, in *Bibliotheca Coiſliniana*, *Pariſ. a 1715. fol.* Cf. *Leipz. gelehrt. Zeitung. a. 1733. p. 49.* In hisce Codicibus Coiſlinianis orbem litterarium ad ſpectaculum euocant *Liber Bibliorum Graecus* in forma maiori; Heptateuchum, et alios ſacrae Scripturae libros exhibens, et vnciali charactere quadrato rotundoque, cum Hexaplorum notis ad marginem, ſexto, vel ſequenti, ſaeculo exaratus; *Pſalterium* vnciali ſimiliter charactere, ſine accentibus ac ſpiritibus, ſexto circiter ſaeculo expreſſum; Quatuordecim folia ex *Epiſtolis Pauli*, quae ad fidem Codicis Bibliothecae Caeſareae in Palaeſtina, manu S. Pamphili confecti, quinto circiter ſaeculo deſcripta ſunt; *Codex Cypriani* ſexto ſeptimoue ſaeculo vncialibus litteris ſcriptus, cuius Auctoris antiquior Codex vix alibi reperietur. In veteri autem San-Germanenſi Bibliotheca emicant, tamquam ſtellae primae magnitudinis, celeberrimus ille *Codex Pſalmorum*, argenteis aureisque litteris vncialibus in charta purpurea Latine exaratus, quinti ſextiue ſaeculi, quem vulgo S. Germani Pſalterium nuncupant; *Codex Euangelii S. Matthaei*, in charta purpurea rubra, aureis et elegantibus litteris, ſeptimi circiter ſaeculi; Codex inſignis ac perrarus *Epiſtolarum S. Auguſtini*, in papyro Aegyptiaca vncialibus litteris eo ipſo forte ſaeculo deſcriptus; *Codex*

Epiſtolarum quarundam S. Pauli Graece et Latine, iisdem litteris quadris ac rotundis, ſeptimi ſaeculi, caet. Adſunt etiam tabulae ceratae, in quibus veteres ſcribere ſolebant. Vid. MONTFAVCON. in *Biblioth. MStor. T. II. pag. 1041. ſq.* MAICHELIVS *cap. III. p. 61. ſq.* et NEMEITZ. *p. 220.* Cf. idem MONTFAVCON. in *Praef. ad Palaeogr. Gr. p. 27.* vbi haec: *Multos habet* (Bibliotheca illa) *Codices peruetuſtos, inter quos pauci Graeci ſunt,* (ſcilicet ante illatos theſauros Coiſlinianos) *ſed vetuſtiſſimi et pretioſi, vt verbi cauſſa Epiſtolae illae S. Pauli Graeco-Latinae. Hic item erat decantatum illud Gloſſarium Graeco-Latinum, VIII. vel IX. ſaeculo conſcriptum, quod paucis abhinc annis ab neſcio quo improbo ſubreptum eſt.*

Tacemus et Bibliothecam *Collegii Nauarreni*, de qua pauca diſſerit BAYLE in *Diction. hiſt. et crit. Tomo I. voce Pierre d'Ailli litt. e.)* et Bibliothecam Senatus Magni, (*du Grand Conſeil*) cuius mentio iniicitur in *den Leipz. gel. Zeit. a. 1740. p. 531.*

§. VIII.

Publicis etiam Pariſienſium Bibliothecis addenda eſt *Mazariniana*, cuius hiſtoria ſingularem omnino hic loci pertractationem meretur. Sane CONRINGIVS *de Biblioth. Auguſta p. 228. in Collect. Schmid.* ſcribere non dubitauit, quod *reapſe Mazarinianae illi, quum adhuc eſſet integra, ſimilem ſol neque viderit hactenus, neque vnquam forte ſit viſurus.* Ab eodem ſummo Polyhiſtore *l. c. p. 165.* diſcimus, fundamentum illius Cordeſianam fuiſſe Bibliothecam, de qua ſupra *Cap. I.* dictum *§. 23.* idque confirmat etiam elegans IANI NICII ERYTHRAEI locus *Epiſt. ad Tyrrhenum, Tomo poſter. Epiſt. 8. p. 18. edit. Colon. anni 1649.* vbi haec leguntur: *Mazarinae iſtius Bibliothecae conſtituendae initium fecit ex Bibliotheca quadam Cordeſii cuiusdam, Ca-*

nonici Lemouicensis, *quae*, *vt videre licet ex indice*, *qui tum erat impressus*, (Parif. a. 1643. in 4.) *ex voluminum sexies millium numero constat*, *quaque nihil tum Parisiis perfectius absolutiusque inueniri posse existimabatur. Hanc Bibliothecam*, *intra anni vnius spatium*, *cum etiam tum esset Parisiis*, *altero tanto librorum numero auxit.* Reliqua, quibus stupendam Naudaei in libris conquirendis industriam extollit, non subiicimus, quoniam dictae Epistolae in omnium hodie manibus versantur. Originem autem et nomen habet Mazariniana Bibliotheca a Iulio Mazarino, Ecclesiae Romanae Cardinali, et primo, Ludouici XIV. Administro, de quo vid. Amplissimi KLEFEKERI *Biblioth. erud. praecocium p. 211.* et *Lexicon Eruditorum Menckenio-Ioecherianum Tomo III. p. 335.* Ad hanc igitur ornandam nec sumtibus parcebatur, nec deerant donationes, quum complures Reges Principesque totius Europae, omnes item Legati Gallici, qui integro decennio in regiones quasque missi erant, operam suam liberaliter contulerint, ita quidem, vt, GABRIELE NAVDAEO teste, Opusculo paullo infra nominando, Bibliotheca isthaec volumina quadragies mille et amplius comprehenderet, atque MStorum Codicum quamplurimos, centum potissimum ac quinquaginta Tomos, in quibus descripti exterarum prouinciarum ciuitatumque mores, leges, consuetudines: Leges item et fundationes omnium religiosorum collegiorum, hospitalium, communitatum et fraternitatum: pars denique magna historiae perpetuae vniuersalis erat. Cf. CONRING. *de Biblioth. Augusta*, *p. m. 224.* An haec eadem sint volumina, quorum paullo ante *p. 222.* ex RIGALTII *Vita Puteani* meminit Conringius, definire iam non ausim; saltim scrupulum iniicit numerus eorum, a priori longe diuersus. Add. beati IAC. BVRCKHARDI *Histor. Biblioth. Augustae*, *P. I. p. 171.* Ingens vero thesaurus iste, infinitis curis collectus, Mazarino pro-

ſcripto, iuſſu ſupremae Curiae, quae vulgo Parlementum dicitur, publice diuenditus fuit atque diſſipatus, qua occaſione tranſlati ſunt permulti libri in Bibliothecam aulae Stockholmenſis. *) MSta e contrario vniuerſa Regiae Pariſienſi, quod alibi a nobis obſeruatum eſt, acceſſerunt. Naudaeus quidem, vt auerteret haec fata, omnes induſtriae neruos, at ſine ſucceſſu ſperato, intendebat, eoque conſilio *Pariſiis a. 1652. in 4.* diuulgabat *Advis à nos Seigneurs de Parlement ſur la vente de la Bibliotheque de Mr. le Cardinal Mazarin*, quae editio hodie rarius occurrit. Interim eius in locum ſubſtitui commode poteſt *Germanica verſio, Frf. ad M. a. 1654. in 4.* adornata, ac inſerta deinceps Diario Lipſienſi, cui titulus: *Vergnügung müſſiger Stunden, P. I. p. 42. ſq.* Ipſius Naudaei Bibliothecam a poſſeſſore adhuc ſuperſtite decies mille librarum pretio redemtam ſuae adieciſſe Mazarinum, ex GVID. PATINI *Epiſtolis p. 168.* refert KLEFEKERVS *l. c. p. 260.* atque inde exiſtimat, Naudaeum in hoc ſermone non Mazarinianae, ſed et ſuae Bibliothecae infortunium deprecari voluiſſe; refutatur autem ab Auctore *der Vergnüg. müſſiger Stund. P. XIV. p. 157. ſq.* Reuocatus Lutetiam Cardinalis reſtaurabat quidem Bibliothecam, plures etiam, qui libros inſignibus eius notatos ex eadem tenebant, vltro offerebant illos; neque tamen priſtino eadem reſtituta ſplendori fuit. MAICHELIVS, qui in *Opuſculo* ſaepius adhibito *p. 66. ſq.* de hac agit Bibliotheca, memorat Ioh. Deſcordium, Canonicum, emta Bibliotheca Beſſiana, Mazarinianae, iterum inſtructae, iluſtrem feciſſe acceſſionem, eumque ſequitur NEMEITZIVS *cap. XXIV. p. m. 228.* Sed vterque vir doctiſſimus aliquid

*) Integram tunc temporis Bibliothecam Mazarinianam comparare ſibi voluit Regina Sueciae, Chriſtina, vti Iſaac. Voſſius ad Nic. Heinſium ſcribit in BVRMANNI *Sylloge Epiſtolar. Tomo III. p. 597.*

quid hic paſſus humani eſt. Supra enim Bibliothecam Cordeſianam, ex Beſſiano adparatu conflatam, prioris Mazarinianae fundamentum fuiſſe monuimus, nullumque huius rei ſupereſſe dubium poteſt, ſi, praeter adductum Conringii locum, cui iam BAILLETVM *Jugem. des Savans T. II. Parte* I. *p. 223. edit. Amſt. in 8.* ſubiungere liceat, Erythraei Epiſtolam, quae Romae a. 1645. adeoque ante Cardinalis exſilium ſcripta eſt, attentius legerimus. Tacemus, Cordeſium, ſiue Deſcordium, iam a. 1641. vitam cum morte commutaſſe. Fuerunt etiam, qui crederent, quod ex prioris Bibliothecae Mazarinianae auctione et MSti, et excuſi libri in Auguſtam Wolfenbuttelenſem traducti fuerint, horumque in numero ipſe eſt NEMEITZIVS *loc. cit.* Sed longe alia, poſt CONRINGIVM *de Bibl. Aug. p. m. 202.*, docet Celeb. BVRCKHARDVS in *Hiſtoria eiusdem Bibliothecae, P. I. p. 170.* et quibusdam interiectis falſi huius rumoris originem aperit, qua de re infra *Cap. ſequenti* commodior erit dicendi occaſio. Hodie Bibliotheca illa in Collegio Mazarini ſumtibus inſtaurata, quod Galli vocant *College des Quatre Nations*, *) adſeruatur, et ſingulis hebdomadis bis patet, Lunae ſcilicet ac Iouis die. Numerus librorum iam eo tempore, quo doctiſſimus Maichelius commoratus eſt Pariſiis, triginta fere ac ſeptem confecit millia, inter quos permultae conſpiciuntur editiones rariores, primo inuentae artis typographicae ſaeculo adornatae.

§. IX.

Memorandae nunc ſunt aliae quaedam Bibliothecae publicae, quae in ampliſſimo Galliae regno celebrantur.

Sic *Rothomagi* Bibliothecam condiderunt Canonici non nulli, cuius originem exponit inter alia

P 5 *Hiſtoire*

*) De hoc ipſo Collegio fuſius agit *Fondation du College de Mazarin, dit de quatre Nations, l'an 1661. à Paris 1674. in f.*

Histoire de l'Eglise Cathedrale de Roüen, Métropolitaine et Primatiale de Normandie, à Roüen a. 1687. in 4. vt b. STRVVIVS hoc loco adſerit. IACOBVS autem le LONG in *Biblioth. hiſtor. de la France, p. 187. num. 3919.* librum ſic inſcriptum ab auctore FRANC. POMMERAY *ibid. a. 1646.* editum eſſe monet, et in *Catalogo Hiſtoricorum* LANGLETI du FRESNOY, a Menckenio *Lipſ. a. 1718.* Germanice exhibito, *p. 303.* editio anni 1678. nominatur. Catalogus MStorum, quae in hac exſtant Bibliotheca, *Rothomagi a. 1746. in 12.* prodiit hoc titulo: *Notice des Manuſcrits de la Bibliotheque de l'Egliſe Metropolitaine de Roüen, par Mr. Saas.* Vid. *Catalog. Biblioth. Bunauianae Tom. I. Vol. 1. p. 850.* De MStis *Monaſterii S. Audoeni* Rothomagenſis euoluatur MONTFAVCON. in *Biblioth. MStor. Tom. II. p. 1237. ſq.*

Burdegalenſis Curia Bibliothecam habet legatam a Nicol. Boerio, ICto, qui a 1539. fato ceſſit. Audiamus verba IOH. ALESMII, in *Vita illius p. 22.* apud LEICKHERVM in *vitis clariſſimorum ICtorum: Libros ſuos omnes,* inquit, *ſimul et Senatus Burdegalenſis Placita, quae diutiſſime elucubrarat, legauit ampliſſimo patrum Ordini, in perpetuum Curiae Burdegalenſis vſum: poſtulauit autem, vt in aptum aliquem locum ſacri palatii reponerentur libri, ne forte a cimicibus, tineis et blattis roderentur. Senatus lubentiſſime agnouit legatum, tantum abeſt, vt repudiauerit. Mox conſtitutus eſt locus ad Bibliothecam apparandam, quae hodie eſt inſtructiſſima honeſtiſſima ſupellectili librorum, qui ad cognitionem Iuris pertinent.* Fallitur ergo, cui Struuius fidem tribuit, LOMEIERVS, in Tractatu *de Bibliothecis p. 219. Collect. Schmid.* perhibens, Bituricenſibus relictam eſſe Boerii Bibliothecam.

Caeſaroduni etiam Bibliotheca ſeruatur egregia, *Eccleſiae S. Gatiani* adiuncta. Primus eius ieciſſe fundamenta dicitur S. Perpetuus, quintus a Gatiano Epiſcopus Turonenſis, qui moriens omnes opes et libros ſuos Eccleſiae illi donauit. Saeculo XV. Ioh. Bertrandus

dus, Archiepiſcopus, ſplendidum exſtruxit aedificium, in quo Bibliotheca hodienum reperitur. MStorum Codicum quadringenta et ſexaginta volumina poſſidet, quorum Catalogus, notis illuſtratus, et rariſſimus nunc, *Caeſaroduni* excuſus eſt *a. 1706. in 8.* ſtudio GVIL. IOVAN, maioris Archidiaconi, et VICTORIS d'AVANNE, Canonici. Inter hos Codices *Pentateuchus* eſt mille ac centum annorum, item *Euangeliorum liber*, mille annos aetate excedens, non igitur, quod perperam olim credebatur, S. Hilarii autographum, vt euidenter oſtendit THEOD. RVINARTVS in *notis ad Gregorii Turonenſis Opera p. 1317.* Plures Codices adfuerunt olim; ſed commodati eruditis nunquam ad ſuos dominos redierunt, cuius ſpeciatim iniquitatis arguuntur Iac. Aug. Thuanus, Andr. du Cheſne, et Abbas de Marolles. Vnde libri catenis firmati ſunt hodie, vt legi quidem, nec tamen auferri queant. Cf. *Noua litterar. Germaniae a. 1708. p. 91.* et MONTFAVCON. in *Biblioth. MStor. Tomo II. p. 1273. ſq.*

Bibliotheca *Praedicatorum* apud *Lugdunenſes* antea fuit Santis Pagnini, ibique librum IV. Maccabaeorum, Graece ſcriptum, vidiſſe Sixtum Senenſem, LOMEIERVS teſtatur *l. c.* ex quo ſine dubio eadem ſumſit le GALLOIS in *Traité des plus belles Biblioth. de l'Europe, p. m. 146.* Aliam Bibliothecam, qui ibidem exſtat, Pater de COLONIA memorat in *Hiſtoire litteraire de la ville de Lion P. II. p. 757. ſq.* Pertinet illa ad *Collegium Ieſuitarum*, S. S. Trinitati conſecratum, et liberalitate Henrici III. Ludouici XIV. nec non Camilli de Villeroi, Archiepiſcopi Lugdunenſis, ingentes nacta eſt eruditionis diuitias. Hic maxime a. 1693. teſtamento legauit integram, eamque ſplendidiſſimam, Bibliothecam. Inter MSta, quorum quadringenta circiter volumina adſunt, *Plinii naturalis hiſtoria;* inter excuſos autem libros multae antiquiſſimae editiones Bibliothecae illi praecipuo ſunt ornamento. Refert

Auctor

Auctor ad hanc posteriorem classem *Liuium, Venet. 1470, Tomis II. in f; Plinii hist. natur. ibid. 1472. eadem forma, totidemque Tomis; Ciceronis Opera, Mediolani 1490 et 1498. Tom. II. in f.; Virgilium cum Seruii Commentariis*, quem Liuii editione, modo laudata, vetustiorem credit COLONIA, simulque id obseruat, versum decimum octauum Eclogae I. *saepe sinistra caua caet.* hic pariter, et in MSto quodam huius Bibliothecae Codice, imo in duobus ac viginti Florentinis aliis, desiderari. Addendus denique *Dio Cassius*, manu Henrici Stephani in margine illustratus. *Scabinorum* etiam huius ciuitatis *Collegio* Petrus Aubertus, ICtus, cui meliorem Dictionarii Richeletiani editionem debemus, a. 1731. totam suam supellectilem, optimis libris egregie instructam, certis conditionibus vendidit, vt ex Niceronio in *Lexico Eruditor. Menckenio - Ioecheriano, Tomo I. p. 619.* obseruatur.

De Bibliotheca *S. Remigii*, Monasterii in superiori Campania, praedicat IOH. GVIL. IANVS, qui inspexit eandem, quod omnium totius Galliae Bibliothecarum, quae hodie exstant, forsitan sit antiquissima. Vid. illius *Historia Cycli Dionysiani*, DIONYSII *Exigui libro de ratione festi Paschalis* subiuncta, *Vitemb. 1718. 4. p. 37. nota t)* Idem *l. c.* se vidisse ait Catalogum istius Bibliothecae, tempore Hincmari Rhemensis scriptum, et rarum velut cimelium ex Bibliotheca Thuana, in quam nescio quo casu peruenerat, cura Caroli Maurit. Tellerii, Archiepiscopi Rhemensis, Monasterio S. Remigii restitutum. Addit denique haec: *Tametsi non nulli ex libris in eo* (Catalogo) *recensitis temporum iniuria amissi atque dispersi sint, non pauci tamen restant, ipsius Hincmari manu signati, et alia venerandae antiquitatis documenta prae se ferentes.* De eadem Bibliotheca cf. MONTFAVCONIVS in *Praef. ad Palaeogr. Gr. p. 27.* vbi *in Bibliotheca*, inquit, *S. Remigii Benedictinorum habentur exemplaria MSta bene multa, et inter illa Codices Graeci*

Graeci circiter LX. olim Cardinalis a Lotharingia, Archiepiſcopi Rhemenſis. Vid. IDEM in *Bibl. MStor. Tomo II. p. 1288.* et *p. 1335.* quo ipſo in Tomo de pluribus aliis Monaſteriorum Bibliothecis agitur.

Monaſterio S. Mariae de Bono Nuntio in vrbe *Aurelia* ampliſſimam ſuam, et ab Hadriano Valeſio primum collectam, Bibliothecam, vt publica eſſet, a. 1715. legaſſe Guilielmum Prouſteau, perdoctum in hac Academia Anteceſſorem, referunt *Miſcellanea Lipſienſia*, a PEZOLDO quondam edita, *Tomo I. pag. 382.* itemque celeberrimus MEERMANNVS in *Praefat. Tomi III. Theſ. Iur. Ciuil. et Canonici, pag. 8.* Catalogus prodiit *Aurel. a. 1721. in 4.* et Supplementum quoddam *ibid. a. 1747.* De Bibliotheca *Nationis Germanicae*, quae ibidem eſt, duo proſtant Catalogi. Alter ſtudio EMMICHII NEELERGORDII, Cimbri *a. 1664. in 4.* alter a GISBERTO EDINGH *ibid. a. 1678. in 8.* luci expoſitus publicae eſt. Nuper etiam accepimus, Stanislaum, Poloniarum Regem, Ducemque Lotharingiae, *Nanceii* Bibliothecam publicam condidiſſe, Domino de Salignac conſtituto Bibliohecario. Plura in poſterum innoteſcent. Vid. interim *die Hamburg. freyen Vrtheile a. 1751. Parte XXXVIII. p. 302.* itemque *den Hamburg. Correſpondenten a. 1752. Num. XII.* vbi relatum legimus, quod Rex laudatus Bibliothecam hanc nouam ſeptem millibus ac ſeptingentis libris egregiis haud ita pridem adauxerit.

§. X.

Inter priuatas Gallorum Bibliothecas eminuerunt olim *Thuanea, Seguieriana, Telleriana, Colbertina* et *Lamoniana*, de quibus ſingulis hic loci potiora referemus.

Thuanea auctorem habuit Iac. Auguſtum Thuanum, hiſtoricum ſuperioris aetatis praeſtantiſſimum, talisque fuit omnino, vt Ioh. Launoius eum, qui Bibliothecam Thuaneam non viderit, Lutetiam Pariſiorum

rum non vidiſſe iudicarit. Vid. STRVVII *Acta litteraria Faſc. II. p. 11.* Quantas curas ſumtusque in eandem impenderit Thuanus, Praefatio, quam Catalogo ſupra commendato praemiſit IOSEPH. QVESNEL, exponit. Quadraginta annos in librorum collectione abſumſerat poſſeſſor, ſolaque eorum inuolucra viginti millibus Scutatorum nummorum et amplius illi conſtabant. Ne quid cultui deeſſet, vbi deerat optima et maior charta, in regiones etiam longinquas talis miſſa eſt, non ſine ingentibus impenſis: imo, quod mireris, coemtis pluribus vnius libri exemplaribus optimae chartae folia exinde ſelecta fuerunt, vt exemplar pulcherrimum conficeretur. VIGNEUL-MARVILLE *Melang. d'Hiſt. et de Litterat. p. 27. edit. Roterod. a. 1700. in 8.* quae iam ad manus eſt. Ad inſtruendam hanc recteque ordinandam Bibliothecam Thuanus conſilio et opera doctiſſimorum virorum, maxime Fratrum Puteanorum, vſus eſt. Inde factum, vt librorum multitudo, ſelectus, raritas, ornatus, copia item MStorum quamplurimorum, et praeſtantiorum quidem, inter quae actorum etiam publicorum inſignis collectio fuit, in ſummam omnes admirationem traduceret. Diſtrahi eandem vltimae voluntatis tabulis vetuerat Thuanus, atque digna ſunt teſtamenti verba, quae ex *Vitae illius libro VI. in fine* hic adducantur. *Bibliothecam meam*, inquit, *quadraginta amplius annorum ſpatio, magna diligentia ac ſumtu, congeſtam, quam integram conſeruari non ſolum familiae meae, ſed etiam rei litterariae intereſt, diuidi, vendi ac diſſipari veto, eamque communem cum numiſmatibus antiquis, aureis, argenteis et aereis inter filios, qui litteris operam nauabunt, facio, ita, vt etiam exteris, aliisque Philologis, ad vſum publicum pateat. Eius cuſtodiam Petro Puteano cognato meo et multis nominibus mihi charo, donec filii adoleſcant, committo, qui et libros manu ſcriptos iis, qui opus habebunt, vtendos dare poterit, modo de illis reſtituendis ido-*

nee

nec caueatur. Certae haec magum boni publici amorem prae ſe ferunt. Seruauit etiam theſaurum hunc eiusdem nominis filius, qui fratribus, Franciſco Auguſto et Achille Auguſto, mortuis vnicus ſupererat; ſed poſt mortem illius Ludouicus Auguſtus, filius, edito Catalogo, de quo ſupra *Cap. I. §. 23.* dictum, eundem venum expoſuit, qua de re IOH. GE. GRAEVIVS *Epiſt. XIV. ad Gudium p. 51. Epiſtol. Gudianarum,* et *p. 463.* in *Praefat. et Epiſtol. Graeuii a Fabricio* editis ſic ſcribit: *Indices inſignis illius Bibliothecae Thuaneae, quae vendita eſt, credo te vidiſſe. Digni ſane ſunt, qui videantur a te. Manu ſcriptos Codices ſibi vindicauit Colbertus, vt et plerosque editos. Sic ad alios dominos tranſiit tam pretioſa Bibliotheca, quae longe vilius fuit vendita, quam inuolucra voluminum fuerunt olim a Thuano parata.* Cf. HVETIVS in *Comment. de rebus ad eum pertinentibus p. 392.* MARVILLE contra *l. c.* a Menarſio emtam eſſe hanc ipſam Bibliothecam, contendit, quod et adſeritur in *Nouis litterar. Germaniae a. 1707. p. 8.* vbi haec: *Pariſiis Princeps de Soubize, Armandus Gaſto de Rohan, Epiſcopus Argentoratenſis, a Domino de Menars, in ſuprema Curia Pariſienſi Praeſide, pretio quadraginta mille librarum Gallicarum coemit Bibliothecam, quam numero et praeſtantia librorum inſignem ante Menarſium poſſedit Dominus de Thou, ſeu Thuanus.* Cf. *Nemeitzii Sejour de Paris p. 236. edit. nouiſſ.* Non tamen difficile fuerit, haec inter ſe conciliare, ſi dixerimus, MSta et librorum editorum partem ad Colbertum, reliqua ad Menarſium perueniſſe.

Bibliotheca *Seguieriana* nomen habet a Petro Seguierio, conditore, qui vir erat eruditiſſimus, magnusque Galliae Cancellarius ſub imperio Ludouici XIII. Hanc non nulli cum Vaticana olim atque Florentina comparare non dubitarunt; Codices enim manu ſcriptos, bonitate atque elegantia praeſtantes, quorum numerus quatuor fere millia explebat, vndecun-

decunque miris infinitisque curis magnisque ſumtibus colligi curauit; nec Latinos modo et Gallicos, verum Orientales quoque varii generis, Hebraicos nimirum, Syriacos, Arabicos, Copticos caet. maxime autem Graecos, non minus abundanti numero, quam praeſtantia excellentes, comparauit; conſtitutis hanc in rem viris doctis, et qui huic muneri pares videbantur; quibus non modo per Europam, ſed per alias etiam orbis partes proficiſcendi prouinciam demandauit. Ea poſt mortem Seguierii hereditario iure ceſſit Henr. Carolo du Cambout de Coiſlin, Duci et Pari Franciae, Epiſcopo Metenſi et laudati poſſeſſoris pronepoti ex linea materna, vnde Bibliotheca Coiſliniana deinceps adpellata fuit. Catalogus librorum prodiit *Pariſ. a. 1685. in 8.* quem anno poſt *ibidem* ſequutus eſt *Catalogue des Manuſcrits de la Bibliotheque du Chancelier Seguier*, *eadem forma.* Sed leui hic eſt brachio confectus, et vix per tranſennam argumenta Codicum perſpicienda praebet. Melioris farinae eſt *Catalogus MStorum in Bibliotheca Coiſliniana, olim Seguieriana*, a MONTFAVCONIO *ibid. a. 1715. in f.* editus. Recenſentur hic in modum, quo Lambecius Vindobonenſis Bibliothecae Cimelia deſcripſit, Codices Graeci manu exarati, quorum numerus ad quadringentos accedit, quorumque dimidia fere pars ex Monaſteriis montis Atho fuit eruta. Indicata igitur ſingulorum aetate, folia numerantur, et vbi antea latuerint, aut a quonam profecti ſint librario, et quae alia forte occurrunt, adnotantur ſtudioſe. Tribus autem Sectionibus hic ipſe Catalogus abſoluitur, et prima quidem Codices maioris formae, altera in paruo, vt ſic dicere liceat, folio et in quarto, tertia in octauo exhibet. Quaelibet Sectio in capita ſex vel ſeptem diſpeſcitur, ita, vt 1.) Codices biblici et Catenae, 2.) Synodi, libri Canonum et Rituum, 3.) Patres et Scriptores eccleſiaſtici, 4.) Hiſtorici ſacri ac profani,

5.) Iuris

5.) Iuris Canonici et Ciuilis Scriptores, 6.) Philoſophi, Medici, Mathematici, Geographi, 7.) Poetae, Grammatici, Lexicographi, Rhetores et Oratores enarrentur. Vnde patet, haud nudam in hocce Catalogo titulorum recenſionem occurrere, ſed multa moneri erudita, quaedam etiam adhuc inedita, et collationes non nullorum Codicum cum editis auctoribus, ibidem reperiri. Cf. omnino *Acta Erud. Lat. a. 1715. p. 481. ſq. der Neue Bücher-Saal, Parte L. p. 67. ſq.* nec non FABRICII *Bibl. Gr. Vol. XIII. p. 840. ſq.* Nunc, mortuo a. 1732. Coiſlino, (de cuius vita legatur *Hiſt. de l'Acad. Roiale des Inſcript. et des belles lettr. P. V. n. 46. p. 341. ſq. edit. Germ. Gottſched.)* MSta Bibliothecae S. Germani illata, vt §. *VII. huius Capitis* monuimus, libri autem typis impreſſi emtionis titulo variorum in manus peruenerunt. Vid. NEMEITZII *Sejour de Paris, Cap. XXIV. §. 23. p. m. 241.* et MAICHEL. *p. 64.* ex quo hic loci profecimus.

Tellerianae Bibliothecae auctor fuit Carolus Mauritius le Tellier, Archiepiſcopus Rhemenſis, et Conſiliarius Status, qui a. 1710. ad ſuperos abiit. Quanto ſtudio ſumtuque illa comparata fuerit, et quantam vtilitatem litterarum cultoribus adferat Catalogus huius Bibliothecae, *Pariſ. a. 1693. in f.* ſplendidiſſime editus, *Capite I. §. 23.* eſt obſeruatum. Summus igitur vir, metuens, ne numeroſa haec atque pulchra Bibliotheca aliquando diſtraheretur, teſtamento diſpoſuit a. 1709. vt ea Canonicis Abbatiae S. Genouefae poſt mortem eius tota in peculium cederet. MAICHEL. *p. 86.* MSti vero Codices Bibliothecae Regiae acceſſerunt. Vid. ſupra *§. VI. huius Capitis.*

Colbertina Bibliotheca nomen ſuum ac ſplendorem accepit a Ioh. Baptiſta Colberto, Marchione de Seignelay, Status Adminiſtro ſupremo aetate Ludouici XIV. cuius *Vita* Gallice prodiit *Colon. a. 1695. in 12.* Verus hic erat Maecenas, litteris licet non tinctus, quan-

doquidem ex tenui ordine ad altiſſimum dignitatis gradum adſcenderat. Potiora, MSta cum primis, nacta eſt eius Bibliotheca ex Thuanea, tantisque mox cura Steph. Baluzii, Bibliothecarii, acceſſionibus creuit, vt proximas a Regia partes obtinere videretur. Ex ſolis Codicibus Graecis pene mille adfuerunt. Eorum antiquiſſimus pariter et elegantiſſimus fuit *Codex* non nulla *Fragmenta* exhibens *ex textu Septuaginta Interpretum*, prout in Hexaplis Origenianis exſtabat. Aetatem illius ad ſaeculum ſextum refert MONTFAVCONIVS in *Palaeogr. Gr. p. 187.* Inter Latinos habuit vnicum, qui hodie, quantum conſtat, ſupereſt, *Lactantii Codicem* de *mortibus perſecutorum*, de quo copioſe differit Celeb. MAICHELIVS *p. 51.* et *p. 178. ſq.* Dignus etiam notatu eſt, quem ſeruauit Bibliotheca Colbertina, *Curtii Codex* octo circiter ſaeculorum. Exinde illorum refelli ſententia poteſt, qui hunc ipſum hiſtoricum recentioribus demum temporibus vixiſſe contendunt. Cf. MONTFAVCON. *l. c.* in *Praefat. p. 2.* Nec ſilentio praetermittendus *Codex Bibliorum* ſummae raritatis, et picturis ornatiſſimus, quem Canonicos S. Martini Metenſes Carolo Caluo dono dediſſe adfirmat *Hiſtoire litter. de la France*, *Tom IV. p. 228.* Poſt Colberti obitum litterarius hic theſaurus hereditatis iure peruenit ad filios, qui et in augendo eo nobilem operam collocarunt. Tandem vero iuſſu Caroli Leonorii Colberti, Comitis de Seignelay, venum fuit expoſitus, prodiitque Catalogus *Pariſ. a. 1728. in 8. Tomis III.* de quo plura memorat *Journal des Savans m. Nov. 1728. art. VI.* et exinde hauſta ſunt, quae ſuppeditant *die Leipz. gel Zeit. a. 1729. p. 124. ſq.* MSta e contrario omnia quadriennio poſt a Rege ſunt emta, vt ſupra iam diximus. Cf. *Memoire hiſtorique ſur la Bibliotheque du Roi*, *p. 72. ſq.* et MONTFAVCONII *Biblioth. MStor. Tomo II. p. 922. ſ.*

Lamoniana Bibliotheca, quam habuit ſuperiori ſaeculo

culo Dominus de Lamoignon, Aduocatus generalis, a praefecto ſuo, Adriano Bailleto, eſt notiſſima. Praefationem, Catalogo huius Bibliothecae praemiſſam, inſertam videmus eiusdem *Jugemens des Savans Tom. I. P. 2. p. 140. ſq. edit. Amſtaelod. minoris formae.* Idem vir doctiſſimus ipſum Catalogum ſua manu confecit, qui triginta duo volumina in fol. complectitur, nec tamen editus eſt. Praeſtantiam tanti Operis indicat CAROL. ANCILLON *Memoires concernant les vies et les Ouvrages des pluſieurs modernes celebres dans la Republique des lettr. p. 238.* Cf. MORHOFIVS in *Polyhiſt. Tomo I. lib. 1. cap. 5. num 13.*

Succedat denique Bibliotheca *Ioh. Paul. Bignonii*, Abbatis et Bibliothecarii Regii, quam a ſexaginta voluminum millibus non longe abfuiſſe perhibent. Maximam eius partem accepit, et quinquaginta quinque millibus librarum Gallicarum emit, Cardinalis du Bois, quo mortuo inſignis illa Bibliotheca, ab vltimo poſſeſſore multum adaucta, publice diuendita eſt in Belgio. *Catalogus Partibus IV. in 8. Hagae Comit. a. 1725.* prelo exiit. Cf. NEMEITZ. *l. c. p. m. 239.*

§. XI.

De priuatis Pariſienſium Bibliothecis, quae hoc tempore adhuc exſtant, pauca in promtu ſunt. Quamquam enim dubio caret, multas earum et copia et raritate librorum eſſe excellentiſſimas; iis tamen ſubſidiis iam deſtituimur, quibus opus eſt ad commendandas easdem. Vnicam laudat NEMEITZIVS *p. 237.* ſcilicet *Bibliothecam Claudii Groſaei de Boze*, Numophylacii Regii cuſtodis, illamque tot abundare ſcribit libris rarioribus, quot in locupletiſſimis etiam Principum Bibliothecis vix inueniantur. Pertinent huc *Speculum humanae ſaluationis*, tabulis ligneis inciſum; *Pſalmorum Codex Latinus* anni 1457; *Idem Codex*, et *Durandi Rationale diuinorum officiorum* anni 1459.;

Biblia ſacra Latina anni 1462. quae omnes editiones Moguntiae a Fauſto et Schoeffero adornatae fuerunt; *Lactantii Inſtitutiones diuinae*, primum excuſae in Monaſterio Sublacenſi a. 1465; itemque *altera huius libri editio Romana* a. 1468. opera Conradi Schweynheym et Arnoldi Pannartz. De aliis rarioribus Operibus vid. IORDAN dans *ſon Hiſtoire d'un voyage litteraire, p. 82. ſq.* Addit Nemeitzius, *Catalogum huius Bibliothecae a. 1745. in 4.* Bozii ſumtibus prodiiſſe, eumque diuiſum eſſe in quinque Sectiones praecipuas, Theologiam nimirum; Iurisprudentiam; Scientias et Artes; litteras humaniores, quae Grammaticam, Rhetoricam, Poeſin, Philologiam ac Polygraphos complectantur; et Hiſtoriam tandem, in quam etiam claſſem redactae ſint Geographia, Chronologia, Antiquitates et Hiſtoria litteraria. Rariſſimus autem eſt hic ipſe Catalogus, duodecim ſaltim exemplaribus excuſis, quae inter amicos doctiſſimi poſſeſſoris diſtributa fuerunt. Vitam illius exponit clariſſ. STRODTMANNVS in *den Beytraegen zur Hiſtor. der Gelahrtheit* caet. *Hamb. 1748. in 8. P. II. p. 21. ſq.*

§. XII.

Relicta nunc Gallia ad *Anglos* procedimus, in quorum fortunatiſſima inſula Bibliotheca *Regia Weſtmonaſterienſis* primum ſpectanda occurrit. Illam adſeruat D. Iacobi fanum, crediditque, cum aliis, Struuius, Eduardi VI. munificentiam promouiſſe eandem potiſſimum, dum inter omnes conſtet, quantus ille fuerit ſtudiorum protector. Certiora tamen intelligimus ex THOMAE SMITHI *vita Patricii Iunii*, quae in *Vitis quorundam eruditiſſimorum et illuſtr. viror.* ab eo ipſo *Londini a. 1707. in 4.* editis obuia eſt. Librum hunc non omnibus hodie tenentibus, operae facturi ſumus pretium, ſi Auctoris verba integra adſcripſerimus. Ita vero ille *l. c. p. 12. Inter locupletiſſimos,*

ſimos, inquit, *vtriusque Aulae apparatus diu deſiderabatur Bibliotheca: neque ea cura Principes noſtros, aut artibus regendi populos, aut rebus bellicis, aut religioni ſtabiliendae, aut motibus componendis ſummopere intentos, tangebat, quaſi theſaurus iſte litterarius magis ad priuatos ſpectaſſet, et in Academiis potius, quam in Palatiis eſſet recondendus. Satis nimirum ſibi eſſe gloriae duxerunt, mentem bonis litteris excolere, et litteratos Regia munificentia et patrocinio fouere: de libris congerendis, niſi qui propriae delectationi et curioſitati, ſuisque vſibus inſeruituri eſſent, parum ſolliciti. Quod de Regina Eliſabetha potiſſimum arbitror dicendum, quae, licet ob accuratum linguarum Graecae et Latinae, quibus pro re nata prudenter, absque vel leuiſſima oſtentationis vmbra, aut affectata gloriae cupidine, vti norat, ſtudium, ſapientiae ciuilis diſciplinis feliciſſime coniunctum, aeternis laudibus ſit cumulanda; tamen ſiue negotiis maioris momenti, in quibus ſalus populorum vertebatur, impedita, ſiue id muliebri ſexui parum conueniſſe iudicauerit, hoc decus in partem ſuarum curarum venire haud permiſit; (neque Muſeum iſtud, libris quibusdam pretioſisque cimeliis refertum, quod in aedibus Richmondianis habuit, glorioſum Bibliothecae Regalis titulum et nomen meretur,) quod ſucceſſori Regi Iacobo, Regum doctiſſimo, integrum relinquebatur. Gnarus occaſionum captandarum Rex, quo nouae Bibliothecae fundamenta auſpicatius iacerentur, libros tum impreſſos, tum manu exaratos, omnes optimae notae, quos nobiliſſimus D. Baro Lumleyus magnis ſumtibus et diligentiſſima indagine congeſſerat, in peculium ſibi comparauit, a quo, cum non alibi ſatis commodus pateret locus, obtinuit vir elegantiſſimi ingenii, D. Adamus Newtonus, Equeſtri dignitate ornatus, et qui Henrico* (primogenito ſcilicet Iacobi I. filio, in flore aetatis exſtincto,) *ab ipſius pueritia fuerat a litterarum ſtudiis, tum ipſius Principis hoc nouo librorum ornatu ad intenſiorem litterarum amorem alliciendi, tum Sancti cogno-*

 minis

minis cauſſa, vt in Palatio S. Iacobi reponerentur. Non leue poſtea incrementum acceſſit ex Bibliotheca viri clariſſimi, D. Mauritii, Equitis Aurati, ex Wallia oriundi, qui ſelectiſſimos omne genus libros ex Italia et Gallia conquiſiuerat: vt iam titulo et nomine digna et vere Regia haberetur. Confuſa tamen iacuit, et pene abſcondita, iſta librorum moles. Patricius igitur Iunius eo omnes induſtriae neruos intendit, vt, ex iuſſu Regis, adcuratum eorundem Catalogum conficeret. Vnice etiam vir laudatus interceſſit, ne multi libri e Regia Bibliotheca Richardo Bancrofto, Archiepiſcopo Cantuarienſi, commodati olim, illo viuis erepto, in heredes, tamquam legitima priuati peculii pars, tranſirent. SMITHVS *l. c. p. 13.* Eiusdem ſtudio Regiae illata eſt ſupellex libraria, Codicibus MStis egregia, quam Iſaacus Caſaubonus in Angliam e Gallia aduexerat, qua de re ſic *pag. ſequenti* diſſeritur: - - *ne tantum dedecus ex nobiliſſimae Bibliothecae iactura Anglicano nomini inureretur, vrget, monet, obſecrat, quaſi de fortunis ſuis et capite eſſet contendendum, importunisque efflagitationibus apud Epiſcopum Bathonienſem et Wellenſem, fauore Regio praepollentem, obtinet, ne tot libros aut ſcriptos, aut ad manuſcriptorum Codicum fidem diligenter recognitos, et additis in margine eruditiſſimis obſeruationibus illuſtratos, ex Anglia exportari pateretur, ſed potius Bibliothecam Regiam inſigniſſimo hoc auctario locupletandam curaret. Nulla enim res dignior aut Regia munificentia, aut Epiſcopali, ſecundum religionem, dignitate, aut priuati hominis litterarum amantiſſimi cura et ſtudio, vnquam viſa eſt: nec in minima parte Iunianae tum laudis, quod huic negotio tanta cum ſolicitudine ſeſe immiſcuerit, tum felicitatis, quod hi conatus, haec pia vota tam bene in commune litterarum commodum ceſſerint, ponendum eſt.* Hactenus Smithus. Cf. *Acta Erud. Lat. a. 1710. p. 190. in princ.* Tot ergo in Bibliothecam Regiam Iunii merita omnino effecerunt, vt eiusdem

illi

illi cura crederetur, quam iucundiſſimam prouinciam ſub duobus Regibus, Iacobo et Carolo I. patre ac filio, mira adminiſtrauit dexteritate, neque vllam ornandae Bibliothecae occaſionem facile praetermiſit. Perpetrata vero immani Caroli I. caede, moxque amoto Iunio, haec ipſa praedae expoſita fuit Hugonis Petri, qui claues a Barone Greio, capitali Regis hoſte, acceperat. Ille enim turbis ciuilibus in fraudem impulſus, multa ex libris, numiſmatibus, annulis et gemmis, quas olim cum integra Gorlaei dactyliotheca pecunia ſua acquiſiuerat Henricus, Walliae Princeps, ſurripuit nefario auſu, et priuatis diuendidit. Certe ex duodecim fere numiſmatum millibus vix tertia pars relicta fuit Carolo II. ab exilio reduci. SMITHVS *l. c. p. 34. et 35.* Reſtituta regno concordia, plures per annos non ita, vt fas erat, Bibliothecae Regiae proſpectum eſt, (Cf. CHRISTOPH. ARNOLDI *Epiſtola*, inter GE. RICHTERI *Epiſtolas, Norimb. 1662. in 4. p. 483.* et MORHOFIVS in *Polyh. lib. I. cap. 17. §. 33.*) donec ea, poſt Henrici Iuſtelli obitum, fidei Richardi Bentleii a. 1694. committeretur, a quo iuſtum in ordinem redacta, laudatque hinc viri doctiſſimi induſtriam HENR. LVDOLPH. BENTHEMIVS *im Engelländiſchen Kirch- und Schulen-Staat, Cap. V.* §. *27. p. 122. edit. nouiſſ.* Nunc filius eius Regiam pariter et Cottonianam Bibliothecam curat, Sub-Bibliothecarius autem Dauid Caſleius eſt. Vid. *Leipz. gelehrt. Zeitung. a. 1729. p. 99.* Hic *Londini a. 1734. in 4.* lingua Anglica *Catalogum MStorum in Bibliotheca Regia, cum Adpendice Catalogi Bibliothecae Cottonianae*, edidit, quem recenſent *Acta Erud. Lat. a. 1737. p. 296. ſq.* Cf. MONTFAVCONII *Biblioth. MStor. T. I. p. 626. ſq.* Regia bis mille volumina MSta poſſidet, quae non omnia quidem maximi ſunt momenti; quaedam tamen et antiquitate, et vſu, mirifice ſe commendant. Singulorum aetatem notauit Auctor, variis hinc inde obſerua-

ſeruationibus litterariis adiectis. Omnium horum Codicum ſine controuerſia praeſtantiſſimum eſt, paſſim licet mutilum, *Volumen Veteris ac Noui Teſtamenti* membranaceum, litteris vncialibus, absque accentuum et ſpirituum adiunctione, exaratum. Alexandrinus vulgo Codex dicitur, Carolo I. per Thomam Rowaeum, ipſius in aula Turcica legatum, circa a. 1628. dono transmiſſus a Cyrillo Lucari, Patriarcha Conſtantinopolitano, qui pretioſiſſimum hocce Cimelium ex Aegypto, relicta ſede Alexandrina, ſecum aſportauerat. Vid. SMITHVS *p. 24.* itemque NEOCORI et SIKII *Biblioth. libr. nouor. a. 1698. m. Maio et Iunio, p. 345.* De aetate huius Codicis certant Critici, quorum omnium proferre opiniones, noſtri non eſt inſtituti. Nimis eum diminuit, et ad faeculum X. abire iubet CASIMIR. OVDINVS in *Diſſertat. critic. Triade, L. B. a. 1717. in 8.* quarum *prima* de hoc agit Codice, merito refutatus propterea in *Diſſ.* erudita, *antiquitatem Codicis Alexandrini vindicante, et nouo argumento comprobante*, quae, Praeſide IOH. HENR. SCHVLTZIO, *Hal. Magd. a. 1739.* defenſa publice eſt, fuſeque recenſetur in Diario Halenſi (*den Hälliſchen gelehrt. Anzeigen*) eiusdem anni *Semeſtri I. num. 20.* Add. OSIANDRI, Profeſſoris Tubingenſis, *Orat. de Codice Alexandrino,* in *Triga Orationum* (quae plane ab iis differunt, quarum ſupra *§. VI.* mentio iniecta eſt) *Tubingae 1742. in 4.* Iuſto contra antiquiorem ii facere Alexandrinum Codicem videntur, qui traditioni, ab ipſo Cyrillo in ſchedula ſeparata adductae, fidem habent, eundemque manu Theclae, Martyris, nobilis feminae Aegyptiacae, paullo poſt Concilium Nicaenum I. ſcriptum eſſe arbitrantur. Vid. IOH. ERNEST. GRABIVS in *Prolegom. nouae editioni LXX. Interpretum, Oxonii a. 1707. in fol. et octaua forma* adornatae, praemiſſis, nec non in ſingulari *ad Ioh. Millium Epiſtola*, *ibid. 1720. in 4.* de

qua

qua legatur IOH. CLERICVS in *Biblioth. choisie*, *Tomo XIII. p. 389. sq.* Mediam igitur viam elegit doctissimus CASLEIVS *l. c.* vbi *p. 5. sq.* quum de hoc ipso Codice differit, eum saeculo quarto, vel quinto, confectum pronuntiat. Exhibet etiam specimen scripturae, aeri incisum, quod recusum exstat in *Actis Erud.* loco supra memorato. Praeter Regiam Bibliothecam aliae adhuc Londini conspiciuntur, quamquam intestini Anglorum tumultus plures euerterunt superiori aetate, e. g. adparatum *Carmelitarum*, meris constantem MStis, et *Franciscanorum*, cum Rogerii Baconis libris.

Sic praeclara est Bibliotheca *Collegii Sionensis*, in vsum Cleri a Thoma White a. 1631. instituti. Illius fundamenta iecit Ioh. Simson, multumque aliorum paullatim liberalitate, et operibus in primis, e Templo cathedrali D. Pauli eo translatis, aucta fuit, quemadmodum ex Catalogo patet, quem IOH. SPENCERVS, eidem praefectus olim, *Londini a. 1650. in 4.* edidit. Postquam maxima eius pars a. 1666. acerrimo incendio, (de quo vid. Consultissimi IOH. BASIL. KÜCHELBECKERI *nach Engelland reisender Passagier*, *Hannov.* ex edit. altera, *a. 1736. in 8. p. 72.*) consumta fuerat, e Iesuitarum, post tentatam a. 1678. conspirationem regno eiectorum, Bibliotheca, tribusque aliis illustribus, feliciter instaurata est, et nunc omnibus aperitur. Copia tamen librorum non excellit admodum. Ita enim IORDAN *dans son voyage litt. p. 145.* scribit: *Elle est fort petite, et il y a cent Particuliers à Paris, qui en ont de plus nombreuses. - - J'y vis l'Edition du Nouveau Testament de Complute, de 1514. Grec et Latin, en lettres Grecques quarrées. Mr. Maittaire parle de cette Edition dans ses Annales. Il y a dans cette Bibliotheque des Pieces fort curieuses sur l'Histoire d'Angleterre, et en particulier sur l'Histoire des Stuarts.* Nouus *Catalogus*, *duplici forma concinnatus*,

Auctore GVILIELMO READING, *Bibliothecario*, *Londini a. 1724. in f.* prodiit. Pars prior exhibet libros, iuxta ordinem Scriniorum diſtributos, et ad proprias claſſes redactos, pars altera omnium Scriptorum nomina, et rerum praecipuarum capita, ordine alphabetico complectitur. Accedit hiſtoria Collegii et Bibliothecae Sionenſis, ab eodem viro erudito Anglice ſcripta. Quum tamen ſubſcriptionis lege Opus hoc fuerit typis impreſſum, difficulter nunc parari poteſt. Conf. *Acta Erud. Lat. a. 1724. p. 375.* et *anni 1709. p. 113.* quo loco ea memorantur, quae Anonymus in libro, *a new view of London* inſcripto, *ibidemque a. 1708. Vol. II. in 8. mai.* excuſo, *Sectione V. p. 639. ſq.* de Bibliothecis Londinenſibus edocuit harum rerum amatores.

Inſignis quoque eſt Bibliotheca *Archiepiſcopalis Lambetana*, cui praefuit olim Paul. Colomeſius. Nomen habet a Lambeto, ſede Archiepiſcopi Cantuarienſis, e regione Londini ad littora Tameſis collocata. Conditorem BENTHEMIVS *l. c. p. 1038.* dicit Gilbertum Scheldonum. Vidit eam, inque ſuccum et ſanguinem conuertit, DAN. MAICHELIVS, prout *Lucubrationes* eius *Lambetanae, Tubingae 1729. in 8.* teſtantur. Idem vir clariſſimus hiſtoriam eius et Catalogum rariſſimorum Operum promiſit, quod conſilium ne abiiciat plane, eo magis optandum, quo parcius apud hiſtoriae litterariae ſcriptores huius Bibliothecae mentio iniicitur. Cf. interim BENTHEM. *p. 1153. §. 295.*

Nec *Regia Scientiarum Societas* librorum adparatu pretioſo deſtituitur, de quo MAITTAIRIVS in *Praef. ad Tom. I. Annal. typogr.* haec obſeruauit: *Publicam Regiae Societatis Londini Bibliothecam perluſtraui, quam magno rariorum et antiquiorum editionum numero paucae aequant, ſuperant pauciſſimae.* Hunc vero adparatum maxime acceptum referre debet Bibliothecae a Duce Norfolcienſi, Henrico, legatae. Haec olim pertinuit

ad

ad Thomam Comitem Arundelliae, qui, vt SMITHVS in *Vita Patric. Iunii p. 23.* loquitur, ex Oriente non ſolum magnis impenſis, praeter Codices MStos, ſtatuas, gemmas, aliaque quantiuis pretii Cimelia, ex barbarorum manibus feliciſſimo Guilielmi Pettaei auſu et cura erepta, in Angliam aduehi curauit; ſed integram etiam Bilibaldi Pirckheimeri, Patricii Norici, ſupellectilem librariam, quae per ſeculi fere ſpatium, poſt mortem illuſtris poſſeſſoris, apud Norimbergenſes cuſtodita fuerat, circa a. 1638. coemit. Audiamus GE. RICHTERVM, fide digniſſimum teſtem, in *Epiſtolis p. 236.* vbi eo ipſo, quem indicauimus, anno Norimbergae haec perſcripſit ad Ioh. Frid. Gronouium: *Ad primas denique tuas illud ſaltem eſt, quod nunc reſpondeam, - - - verum omnino eſſe, quod de Pirckheimeri Bibliotheca, Legato Magnae Britanniae Regis* (ſcilicet Comiti Arundelliae) *vendita, audiuiſti: quod vt tu non absque cauſſa miraris, ita multi ſunt apud nos, qui hanc felicitatem exteris inuident. Sed ita, credo, erat in fatis.* Cf. IACOBI BVRCKHARDI *Hiſtor. Bibl. Aug. P. III. p. 294.* Multos hanc felicitatem inuidere Anglis, merito dicit Richterus. Erat enim Pirckheimeriana Bibliotheca libris cum excuſis inſtructiſſima, tum manu exaratis, quos conquiſiuerat vndique, etiam ex Budenſis naufragio, vt in *ſuperiori Capite* §. XXVIII. probatum eſt. Non parum igitur commendat eam MELCH. ADAMI in *Vitis German. ICtor. p. 49. edit. Heidelb. a. 1620. in 8. mai.* Bibliotheca autem haec Norfolciana in Greshamenſe, vbi tunc temporis congregari ſolebat Regia Societas, Collegium a. 1679. translata eſt, annoque 1681. *Londini in 4.* lucem adſpexit rarior hodie *Catalogus librorum MStorum et impreſſorum Bibliothecae Norfolcianae, (olim Arundellianae,) quos Henricus, Dux Norfolciae, Regiae Societati Londinenſi donauit. Muſeum* eiusdem Societatis ſingulari Opere, Anglica lingua compoſito, ſed itidem difficillimo inuen-

inuentu, defcripfit, *Londinique a. 1681. in f.* edidit NEHEM. GREW.

Bibliothecam in *Temple-Bar*, aedificio, quod Templarii quondam incoluerunt, nunc ICti, *Efquires* ab Anglis dicti, poffident, Bartholomaeus Shore fundauit. Auxerunt deinde alii, libris praecipue iuridicis atque hiftoricis, ianuaeque infcripta funt haec verba: *Anno Domini 1697. Bibliotheca ornata et aucta, Francifco Morgan Thefaurario.* Patet ea per fex horas quotidie.

In *Collegio Medicorum* elegantiffima monftratur Bibliotheca, Marchionis Dorceftriae ac Theodorici Mayerne cura fumtibusque comparata. Ipfi quoque Chirurgi (*Barber-Surgeons*) Bibliothecam libris Medicis et Chirurgicis refertiffimam feruant, quae fingulis Martis ac Iouis diebus aperiri folet. Vid. *Acta Erud. Lat. a. 1709. p. 113. et 114.* quo loco non nullae fimul Bibliothecae fcholafticae laudantur. Cf. KÜCHELBECKER *l. c. p. 95. fq. et p. 105.*

Reftat inter Bibliothecas publicas *Cottoniana*, Regiae vicina. Auctor illius fuit Robertus Cottonus, Eques Auratus et Baronettus Angliae, qui a. 1631. fexagenario maior e vita difceffit. Praecipuum is ftudium pofuit in comparandis libris atque documentis, quae ad illuftrandas patriae Antiquitates quoquo modo conducere viderentur; haud neglectis tamen, quae fponte fe offerebant, aliis quantiuis pretii, fummaeque vetuftatis, Operibus. Vnde, et a quibus, reliquias iftas, ex notiffima religiofarum aedium fub Henrico VIII. euerfione conferuatas, acceperit, non liquet, id certum vero, tantam pecuniae vim in iftas merces impenfam fuiffe, vt et aliqui, licet falfo, perfuaferint fibi, Cottonum haud modicam patrimonii partem ea de cauffa vendidiffe. Poft obitum illius, multi Codices clariffimorum virorum liberalitate, multi etiam fumtibus Thomae, filii, et Iohannis, nepotis, acceffferunt. *Catalogum MStorum* THOMAS SMITHVS impul-

impulſu Ioh. Cottoni, *Oxon. e Theatro Scheldoniano a. 1696. in f. charta regali* exhibuit, praemiſſa vita conditoris, ac Bibliothecae hiſtoria. Ita vero in hocce Catalogo conficiendo ſeſe geſſit Auctor, vt ſolos librorum titulos adpoſuiſſe haud contentus, ipſa retulerit ſubinde argumenta, paſſimque alia notatu digna adiecerit. Subiuncti ſunt indices bini. Alter Scriptorum nomina complectitur, alter praecipuarum rerum, de quibus in Codicibus MStis vberius agitur, notitiam ſuppeditat. Vid. *Acta Erud. Lat. a. 1696. p. 441. ſq.* et REIMMANNVS in *Catal. Bibl. ſuae, T. II. p. 3.* vbi haec de laudato Catalogo, at a priori iudicio non nihil diuerſa, leguntur: *Dignus, qui manu ſollicita verſetur. Non quidem ob dictionis Smithianae pompam; haec enim tota phalerata eſt, et anxie quaeſita, et ad oſtentationem compoſita; nec ob MStorum ordinem et diſtributionem, quae exilis admodum et fere nulla eſt; nec ob eorundem deſcriptionem accuratam, ſiquidem perpauci admodum ſunt Codices, quorum vel externam ſpeciem delineauit Auctor, vel quas comprehendunt dapes deguſtandas Lectori appoſuit. Non, inquam, ob rationes allatas manibus terendus hicce Catalogus; ſed ob raritatem, et MStorum, ad antiquitatum Brittannicarum illuſtrationem in primis ſpectantium inſignem molem, et duorum, vel trium, Codicum ſtupendam antiquitatem. Quorum vnum, Geneſeos textum Graecum continentem, in toto Chriſtianorum orbe antiquiſſimum iudicauit Fronto Ducaeus.* caet. Selecta ex hoc ipſo Catalogo dedit MONTFAVCON. in *Biblioth. MStor. T. I. p. 634. ſq.* Adpendicem vero eiusdem inuenies, vt ſupra meminimus, in doctiſſimi CASLEY *Catal. MStor. Bibl. Regiae, p. 313. ſq.* Emendantur hic partim perperam ſcripta, partim ſupplentur praetermiſſa, partim notantur ii Codices, qui a. 1731. fatali incendio vel laeſi ſunt, vel combuſti. Magnam ſane tunc temporis iacturam fecit Bibliotheca Cottoniana, (quod de Regia etiam perhibent *die Leipz. gel. Zeitung.*

a. 1731.

a. 1731. p. 913.) ſed longe maius ei detrimentum adlatum eſt an. 1741. quo *Codex* ille *Geneſeos* Graecus, a REIMMANNO memoratus, Vaticanoque et Alexandrino aetate ſuperior, flammarum itidem violentia periit. Vid. Clar. STRODTMANNI *Beytraege zur Hiſtorie der Gelahrtheit*, *P. II. p. 81.* in *Vita Magni Cruſii*, cuius *Diſſertatio Epiſtolica ad Chriſtian. Wormium*, *Epiſcopum Danum*, *Lipſ. 1728. in 4. p. 5.* de hocce Codice antiquiſſimo legi meretur. Vnum ſubiiciendum adhuc, initio huius ſaeculi a Regni Senatu ſupremo decretum fuiſſe, vt, quoniam publice intereſſet, ne tam eximia monumentorum collectio priuatorum in manus veniat, poſt mortem Ioh. Cottoni viri quidam primae dignitatis curam ſuſciperent Bibliothecae, conſtitutoque Bibliothecario erudito, diligenter ſeruandis augendisque opibus eiusdem inuigilarent. *A new view of London Vol. II. Sect. 5. p. 652.* BENTHEMII *Engliſch. Kirch. vnd Schul. Staat*, *cap. V. §. 28. p. m. 122.* Neque remiſſius hac de re actum eſſe a. 1733. docent fuſius *die Leipz. gelehrte Zeitung. a. 1734. p. 60.*

Atque hactenus de publicis Londinenſium Bibliothecis, de quibus vid. etiam *Memoires et obſervations faites par un voyageur en Angleterre ſur ce, qu'il y a trouvé de plus remarquable tant à l'egard de la Religion, que de la Politique, des moeurs, des curioſités naturelles, et quantité de faits hiſtoriques, avec une deſcription particuliere de ce, qu'il y a de plus curieux dans Londres. à la Haye a. 1698. 12.* In hoc libello, licet Auctor, qui militiae ſe deditum eſſe profitetur, nec iuſto vtatur ordine, nec ſtili ſuauitate commendandus ſit, varia recenſentur, quae digna ſunt notatu. Nec vſus plane nullius hoc eſſe loco poteſt ANDR. ADAMI HOCHSTETTERI *Orat. de vtilitate peregrinationis Anglicanae*, *Tubingae* ſub auſpicium muneris Academici recitata, *ibidemque* edita *1697. in 4.* vbi, inter alia, Bibliothecas quoque, ſed breuiſſimis tantum, attingit. Vix e con-

e contrario operae pretium erit, conſulere hic KÜCHELBECKERVM, quippe quem in libello ſuo, *der nach Engelland reiſende curieuſe Paſſagier* inſcripto, *Cap. XI. p. 179. ſq.* de Bibliothecis Londinenſibus quaedam falſo, cuncta leui admodum cura retuliſſe, hiſtoriae litterariae periti primo ſtatim adſpectu obſeruabunt.

Ad priuatas Londinenſium Bibliothecas quod attinet, Lectorum noſtrorum ſatisfacere deſiderio non licet; ſaltim ea, quae nouimus, tam certa et adcurata haud eſſe videntur, vt aliquem hic occupare locum debeant. Ne tamen plane muti diſcedamus ab hoc argumento, Bibliothecas tantum illuſtriſſimi Comitis, *Roberti Harleii*, et *Richardi Mead*, Archiatri Regii, nominabimus, quae praecipue hoc ſaeculo exteris innotuerunt. De hac diſſerit IORDAN *dans ſon voyage litter. p. 169.* verbis ſequentibus: - - *l'illuſtre Docteur Mead, qui tient un Rang ſi diſtingué dans la République des Lettres. Ce ſavant et poli Médecin a une Bibliotheque des plus curieuſes, et fournie de quantité de Livres rares, d'Editions d'Alde, de Vaſcoſan, de Colines et des Etiennes. Il eſt peut-être le ſeul en Europe, chez qui on trouve tous les Ouvrages de Servet imprimez. J'y ai vû l'Edition de la Bible, que cet infortuné Médecin publia à Lyon, et ſes autres Ouvrages, qui ſont très connus. Harleana* vero *Bibliotheca* ſplendidiſſima fuit Codicibus, ſub typographicae artis incunabula excuſis, quod Catalogus eius comprobat, *Londini a. 1743. Tomis II. in 8. mai.* cum Auctorum indice, ac Praefatione MICH. MAITTAIRII, diuulgatus. Vid. hic omnino *die Leipz. gelehrt. Zeitung. a. 1743. p. 497.* Cf. eadem Noua litteraria *a. 1722. p. 449.*

§. XIII.

Prima apud *Oxonienſes* Bibliotheca celebratur Richardi de Bury, alias Angervyll dicti, Epiſcopi Dunelmenſis, adſcripta ab eo ipſo a. 1345. quo mortuus eſt,

Colle-

Collegio, quod Monachi Dunelmenſes ad erudiendam ordinis ſui iuuentutem circa a. 1290. in borealibus Oxonienſium ſuburbiis adgreſſi fuerant. Eo autem ab Henrico VIII. euerſo, omnes illi libri partim ad Collegium Balliolenſe, partim ad Bibliothecam Humphredi, Glocestrienſium Ducis, transuecti ſunt. Tum circa a. 1320. Thomas Cobham, Epiſcopus Wigornienſis, Bibliothecam ſupra veterem Congregationis Domum, in ſeptemtrionali B. Virginis Coemiterio ſitam, vel inchoauit ipſe, vel ſaltim de rebus proſpexit ad eandem inchoandam pertinentibus. Maecenates experta eſt Henricum IV. eiusque filium Henric. V. Thomam, Iohannem et Humphredum, dicti Henrici filios, Thomam Arundell, Archiepiſcop. Cantuarienſem, Philipp. Repyngdon, Epiſcopum Lincolnienſem, Edmundum, Marchiae Comitem, et Richard. Courtney, Vniuerſitatis Cancellarium, qui omnes Bibliothecam reddere ſplendidiorem ſtuduerunt. Anno autem 1480. tota tranſiit in Bibliothecam Humphredi, Ducis Gloceſtrienſium, cuius modo iniecimus mentionem. Haec tantis aucta theſauris eo ipſo tempore publicis aperta eſt vſibus, vix tamen per octoginta annos floruit, quum direptores neſarios inueniret, quibus pretioſiſſima totius Orbis Cimelia in praedam ceſſerunt. Poſtquam enim ortus ſub Henrico VI. furor religioſus, quo non ſolum in Monaſteria, ſed in libros etiam innoxios ſaeuitum eſt, imperante Eduardo VI. eius filio, latius vim ſuam diffuderat, nec Academia Oxonienſis a communi exemta fato fuit, miſſique ſunt ad eandem reformandam deputati, qui ſiue auaritia, ſiue zelo quodam fanatico abrepti, Bibliothecam Humphredianam penitus expilarunt, et libros omnes, maxime mathematicos, tamquam artis magicae reos, aut combuſſerunt in foro, aut in ſuis repoſuerunt Muſeis, aut librariis demum, bibliopegis, chirothecariis ac ſutoribus vendiderunt,

vſibus

vſibus indecoris inſeruituros, ita ſane, vt, habita ſub Maria, Regina, inquiſitione, ne vnus quidem ſupereſſet Codex, praeter Valerium Maximum, Commentariis Dionyſii de Burgo, fratris Auguſtiniani, atque Iohannis Wethamſtede, Abbatis S. Albani, indicibus inſtructum. Imo ipſe Bibliothecae locus, demto adparatu, rebus addictus fuit ſordidiſſimis, qua de cauſſa Academici, reſtituendae Bibliothecae ſpe deiecti, a. 1555. ſubſellia etiam ac repoſitoria diſtrahenda cenſuerunt. Miſera hac rerum facie commotus Thomas Bodleius, ſuum de Bibliotheca inſtauranda conſilium Academiae Procancellario a. 1597. expoſuit, ſtatimque cum adplauſu obtinuit, quae deſiderabat, omnium ſuffragia. Interea temporis varii litterarum fautores ad colligendam Bibliothecam egregia liberalitatis documenta ediderunt: ipſe vero Bodleius Ioh. Billium, bibliopolam, in Galliam, Italiam, Germaniam et Hiſpaniam miſit, ad libros rariores vndique coemendos, imo, ne Orientales deeſſent, iuuenem quoque, harum linguarum peritum, in regiones Turcicas adlegare conſtituerat, adeoque facultates ſuas in Codices et excuſos, et manu ſcriptos, liberaliter profudit, efflagitatoque inſuper doctorum ac diuitum auxilio, diſponendae Bibliothecae negotium Thomae Iameſio demandauit. Iſta ratione ditata haec, intra quinquennium, plus quam bis mille voluminibus, ac more ſolemni dedicata fuit anno ſuperioris ſaeculi ſecundo. Ab eo tempore, vsque ad a. 1612. Bibliotheca vltra mille et centum libras Anglicas multorum accepit largitionibus, quumque ſpatium non caperet libros exinde comparatos, Bodleii conſilio amplificatus eſt locus. Mortuo demum a. 1613. ſeu, ex aliorum calculo, a. 1612. viro hoc Muſarum amantiſſimo, quem CASAVBONVS *Epiſt. 754. p. 978. edit. ſec. Brunſuicenſis a. 1656. in 4.* ad ornandam Bibliothecam, opus vel Rege dignum, nedum priuato, du-

centa millia librarum Gallicarum*) aut viuum, aut morientem, contulisse scribit, illustre illius exemplum aliorum quoque munificentiam excitauit, ita quidem, vt aedes Bibliothecae a. 1634. denuo dilatari deberent. Prae caeteris autem, liberales fuerunt Ecclesiae Oxoniensis Decanus et Canonici, qui centum ac triginta Codices MStos obtulerunt; Guil. Herbert, Comes Pembrochiensis, et Academiae Cancellarius, cuius munere a. 1629. praestantissima MSta Graeca, Venetiis deportata, atque emta ab eodem, prioribus accesserunt, quae, quum ex Bibliotheca Franc. Baroccii prodierint, plerumque libri Barocciani nuncupantur; Kenelmus Digby, Eques Auratus, qui a. 1634. libros manu scriptos ducentos triginta quinque, et Guilielmus Laud, infelix ille Archiepiscopus Cantuariensis, atque Cancellarius Academiae, qui plus quam mille ac trecentos, ex omni Oriente et Occidente conquisitos, paullo post exhibuit. A. 1659. Bibliothecae obtigit Ioh. Seldeni Museum, octo millibus voluminum amplius, librisque manu exaratis pariter ac typis impressis instructissimum, quod quidem Halesio, Vaughanio, et Rowlando Iucks, testamenti sui curatoribus, legauerat, hi vero, certis quibusdam legibus, Bodleianae tradere, quam inter se partiri, maluerunt. Vid. SELDENI *Vita*, praemissa *Operibus eius*, *Londini a. 1726. in f.* editis, *p.* 48. Anno 1671. Mericus Casaubonus Parentis, Isaaci, Aduersaria et Collectanea omnia, in publicum litterarum commodum, eidem testamenti tabulis reliquit, SMITHVS in *Vita Patric. Iunii*, *p. 14.* qua etiam ratione, biennio post, Thomae Fairfax supellex, centum et quinquaginta Antiquita-

*) In *Epistola* tamen *741. p. m. 968.* non nihil aliter hoc exponit Casaubonus. *In ipsum*, ait, *aedificium*, *aut libros*, *vel alia Academiae ornamenta impendit viuus centum millia librarum Gallicarum*, *nuper autem rebus humanis renuntians legauit Academiae LXX. millia librarum.*

quitatum Voluminibus conſtans, quae D. Rogerus Dodſworth collegerat olim, vna cum viginti octo varii generis Codicibus, adiuncta fuit. Anno 1677. Franc. Iunius centum prope Codices MStos Saxonicos, Francicos, Gothicos, Teutonicos, aliisque linguis Septentrionalibus exaratos, ex teſtamento addidit, memorante id IOH. GE. GRAEVIO in *Vita Iunii*, quae antecedit *libros eius de Pictura veterum*, *Roterod. 1694. in f.* Cf. TENTZELII *Monathliche Vnterred. a. 1695. p. 859.* Tacemus, quid Robertus Huntingdon, Thomas Marshal, Thomas Barlouius, viri omnes egregii, praeſtiterint. Ipſa inſuper Academia, non ſolum a. 1693. in Codices Orientales, quos Eduardus Pocokius, et laudatus Huntingdon, magna conquiſiuerant induſtria, libras Anglicas mille trecentas erogauit, ſed aliquot etiam annis poſt coemit Eduardi Bernardi MSta et Collectanea. Inſignis denique a. 1731. acceſſio facta eſt, legata Bibliotheca pretioſiſſima Caroli Boyle Comitis Orrery, qua de re vid. *die Leipz. gel. Zeit. ad hunc annum, p. 745.* Prope Bibliothecam Bodleianam *Muſeum* exſtat *Ashmoleanum*, ſeu locus, vbi a. 1683. Elias Ashmole, Regius Fecialis de Windſor, ingentem rerum naturalium theſaurum, ex omnibus collectum regionibus, et Academiae donatum, repoſuit. Mirifice illud auctum eſt partim ex donatione Guil. Dugdale a. 1685., partim ab ipſo Ashmolio, qui non exiguam librorum excuſorum et manu ſcriptorum copiam ex naturali potiſſimum hiſtoria morti proximus adiecit, partim ab Antonio Wood, cuius chartae omnes, libri ac MSti Codices, ſupremo teſtamento relicti eidem Muſeo fuerunt. Recenſio horum inuenitur in *Catalogis librorum MStorum Angliae et Hiberniae*, de quo Opere paullo poſt plura dicentur, *Tomo I. p. 315. ſq.* Praeterea *Numophylacio* praeſtantiſſimo, cuius fundamenta iecit adductus ſupra Laudius, inſtructa eſt Bibliotheca Bodleiana, nuper-

que prodiit, auctore FRANCISCO WISE, *Catalogus nummorum antiquorum, cum Commentario, tabulis aeneis et Adpendice. Oxonii, e Theatro Scheldon. a. 1750. in f.* Dolent saltim eruditi, conditionem eius externam non respondere argumenti elegantiae. Vid. *Journal Britannique m. Martio a. 1751.* Add. *die Leipz. gelehrte Zeitung. a. 1751. p. 577. sq.* De Bibliotheca hac Bodleiana, vitaque conditoris, vberius agitur in ANTON. A WOOD *Hist. et Antiquit. Oxon. Vniuers. lib. II. pag. 48. sq.* in *eiusdem Athenis Oxoniens. P. I. p. 327. sq.* nec non in Prolegomenis, *Catalogis librorum MStorum Angliae et Hiberniae*, quos modo nominauimus, praemissis. Lucem adspexit hoc Opus *Oxonii in Theatro Scheldon. a. 1697. in fol.* ac diiudicatur cum in *Actis Erud. Lat. a. 1699. p. 225.* tum in NECORI et SIKII *Bibliotheca libror. nouor. T. III. m. Nov. ac Dec. a. 1698. pag. 794. sq.* Excerpta vero MONTFAVCONIVS inseruit inde *Bibliothecae suae MStor. Tomo I. p. 641. sq.* In limine statim occurrit *Epistola* de *ratione et vtilitate huius Catalogi generalis*, ex qua discimus, totius rei negotium demandatum fuisse Eduardo Bernardo, propter ipsius infinitam librorum notitiam, et magnam domi forisque auctoritatem. Is igitur, ex decreto Oxoniensis Academiae, omnes, qui MSta possiderent, orauit et obtestatus est, vt confectos eorum Catalogos ex tribus Britanniae insulis transmitterent. Quare non vnius, sed plerarumque tam publicarum, quam priuatarum, Bibliothecarum in hacce Collectione extant Catalogi, a diuersis adornati, quorum etiam nomina Bernardus haud reticuit. Indices quinque amplissimi proficiscuntur ab Humphedro Wanley, qui auctor simul Praefationis videtur, vbi obiectionibus quibusdam, ad editionem et ordinem, modumque horum Catalogorum spectantibus, respondetur, nec non illud deploratur cum primis, quod Bernardus tam sero, et aetate iam ingrauescente, huic Operi

manus

manus admouerit, vt nec abſoluere totum illud, nec ſingula folia a typographorum repurgare mendis potuerit. Comprehenduntur his Catalogis triginta millia MStorum, Wanleius licet teſtetur, totidem adhuc alia in Angliae Bibliothecis deliteſcere. *Primi Tomi Pars prima* Bibliothecae Bodleianae et Muſei Ashmoleani; *ſecunda* Collegiorum et Aularum Oxonienſium; *tertia* Vniuerſitatis Cantabrigienſis Codices exhibet. *Secundus Tomus* eiusque *Pars prior* libros Eccleſiarum Cathedralium manu ſcriptos, aliosque a priuatis in Anglia congeſtos, recenſet; *poſterior* Catalogos ex Hibernia ſuppeditatos complectitur, quos inter omnium ſunt vaſtiſſimi, qui Henrici, Comitis Clarendonii, atque dehinc Collegii S. Trinitatis, quod eſt Dublini, Codices referunt. Dolendum ſaltim, breuem admodum eſſe Codicum deſignationem, longe meliorem futuram, ſi criteria, et alia notatu digna, adiicere voluiſſent Collectores. Interim tamen eorum labor eximiae eſt vtilitatis, ac THOMAE IAMESII *Catalogo MStorum*, ſeu *Ecloga Oxonio-Cantabrigienſi, Londini 1600. in 4.* miris modis locupletior. Idem *Catalogum librorum Bibliothecae, quam Thomas Bodleius, Eques Auratus, in Academia Oxonienſi publicam inſtituit, Londini a. 1605. in 4.* diuulgauit; quem ſequutus eſt *Catalogus vniuerſalis librorum in Bibliotheca Bodleiana, omnium librorum, linguarum* caet. *ac ſcientiarum genere refertiſſima, Oxonii a. 1620. in 4. impenſis Bodleianis* ab eodem luci expoſitus. *Adpendix ad hunc Catalogum*, plus minus ter mille libris locupletata, itidem *Oxonii* prodiit *a. 1635. in 4.* Vid. ANTON. TEISSERII *Catalogus Auctorum, Geneuae 1686. in 4. p 306.* Verum longe ſuperat iſtos Iameſii libros THOMAE HYDE *Catalogus Bibliothecae Bodleianae, Oxonii 1674. in f.* in quo ſub Auctoribus, ordine alphabetico productis, ſcripta illorum typis impreſſa fuerunt digeſta, quotquot in dicta Bibliotheca reperiun-

riuntur. Locupletiſſimus certe theſaurus eſt, qui aliis etiam, ad noſcenda eruditorum Opera, atque editionum diuerſitatem, poteſt prodeſſe, quamuis, vt fieri ſolet in eiusmodi rebus, errores hinc inde irrepſerint. Cf. BAILLET *Jugem. des Savans, T. II. P. 1. p. 225. ſq. edit. Amſt. in 8.* et *Hiſtoria Bibliothecae Fabricianae, P. III. p. 185. ſq.* Nunc nouus proſtat *Catalogus impreſſorum librorum in Bibliotheca Bodleiana*, confectus, vti Praefatio docet, a IOSEPHO BOWLESIO, ROB. FYSHER, et EMAN. LANGFORDO, editusque *Oxon. e Theatro Scheld. a. 1738. Vol. II. in f.* Vid. *Leipz. gel. Zeit. a. 1738. p. 687.* Ad Bibliothecam illam, cui a primordiis eius Thom. Iameſius, Ioh. Rouſe, Thom. Barlow, Thom. Lockley, Thom. Hyde, Ioh. Hudſon, Ioſeph. Bowleſius praefuerunt, iamque laudatus Fyſherus, quantum ſciamus, praefectus eſt, ſingulis diebus aduenae per integras ſex horas admittuntur; a iuuenibus autem, qui Oxonii litteras colunt, iusiurandum ſimul exigitur, tacto S. Iohannis Euangelio, quod et oſculari debent, praeſtandum. Formulam eius lege apud BENTHEMIVM, im *Engliſch. Kirch. und Schulen-Staat, Cap. XXIV. §. 70. p. m. 454.* Cf. SAM. STRYK in *Tract. de iure ſenſuum, Diſſ. VII. cap. 1. §. 28.*

Praeter Bibliothecam *Bodleianam* multae adhuc aliae in Collegiis, vt vulgo dicuntur, Oxonii exſtant. Tales ſunt Bibliothecae in *Collegio Vniuerſitatis*, in *Collegio Baliolenſi*; in *Collegio Mertonenſi;* in *Collegio Exonienſi;* (cuius priorem ſupellectilem librariam incendio periiſſe a. 1709. refert *die Europ. Fama, P. XCVII. p. 97.*) in *Collegio Orialenſi*; in *Collegio Nouo;* in *Collegio Lincolnienſi;* in *Collegio Magdalenſi;* in *Collegio Corporis Chriſti*; in *Collegio S. Iohannis*, aliisque Collegiis, de quibus, praeter iam adducta WOODII ac BERNARDI Opera, vid. BENTHEIM. *l. c.* §. *6. ſq. p. m. 401. ſq.* De omnibus enim vt multo verborum adpa-

adparatu differamus, instituti ratio non patitur. Cf. GRABIVS in *Dedic. Tomo I. Spicilegii Patrum* praemissa, vbi *est*, inquit, *Vniuersitas Oxoniensis, si qua per vniuersum orbem alia, propter instructissimas praesertim Bibliothecas, easque ad publicum vsum comparatas, omnibus cuiuscunque artis, vel scientiae, studiosis commodissima, nullis tamen magis, quam ecclesiasticae Antiquitatis cultoribus, vtpote cuius tantus in libris excusis et MStis Codicibus patet partim, partim latet thesaurus, vt exquirendis ac colligendis, expurgandis et perpoliendis sacris* κειμηλίοις *nulla studiosorum industria, nulla mortalium aetas suffecerit.* Ac ipse certe Grabius thesauro illo, quem laudat, Bibliothecarum Oxoniensium diligenter vsus est in hoc libro, qui ab ITTIGIO in *Tract. de Cat. et Bibl. Patr. p. 698.* haud male *Bibliotheca Patrum Oxoniensis* vocatur.

Nunc noua Oxonii Bibliotheca constituta est, *Radclifiana* vocata, cuius originem paucis accipe. Scilicet Iohannes Radclifius, Medicus Londinensis, diuitiis circumfluens, quum a. 1714. ἄγαμος decederet, Academiae quadraginta millia librarum Anglicarum reliquit ad condendam, memoriae caussa, Bibliothecam, ita quidem, vt, exstructo eius aedificio, ex annuis legati fructibus centum et quinquaginta librae Bibliothecae Praefecto, centum autem librae, pro eadem quotannis augenda, exsoluantur. *Miscellanea Lipsiensia Pezoldiana, T. IV. p. 302. Neuer Bücher-Saal der gelehrt. Welt, Tomo V. P. 51. p. 233. sq.* itemque *die Leipz. gel. Zeitung. a. 1715. p. 429.* Tanti ergo Musarum patroni consilio voluntatique vt fieret satis, mense Aprili a. 1749. aperta publice, ac dedicata solemniter fuit Bibliotheca illa Radclifiana, Oratione Latina habita in Theatro Scheldoniano, quae *Londini a. 1750. in 4.* prodiit. Vid. *Göttingische gel. Zeitung. a. 1749. p. 399.* et *Journal des Savans, m. Martio 1751.*

§. XIV.

Neque Academia *Cantabrigienſis*, quae de antiquitate cum Oxonienſi certat, theſauro librario deſtituitur. Auctor illius eſt Thomas Rotheram, Archiepiſcopus Eboracenſis, qui ſaec. XVI. adiutore Cuthberto Tonſtall, Epiſcopo Dunelmenſi, libros bonae notae comparauit. Quamquam autem Fanaticorum furor maximam eorum partem corruperat; hanc tamen iacturam reſarcire ſtuduerunt viri quidam ſummae dignitatis, praecipue Archiepiſcopi, Matthaeus Parkerus, Edmund. Grindal atque Richard. Bancroftus. Et Parkerum quidem Bibliothecae publicae Cantabrigienſi inſignem impreſſorum ac manu ſcriptorum Graecorum, Latinorum, Saxonicorum voluminum copiam donaſſe, ex *Vita illius*, a IOH. STRYPE edita, commemorant *Acta Erud. Lat. a. 1712. p. 442.* Bancrofti autem ſupellectilem a. 1647. legati iure acceſſiſſe, legimus in *Vita Ioh. Seldeni*, Operibus eius praemiſſa, *p. 40.* Praeclare etiam de eadem meritus eſt Iobus Ruſtotius, qui annuas quinquaginta libras, locupletandae eius cauſſa, teſtamento conſtituit. Thomae porro Erpenii Collectio librorum Orientalium, a Duce Buckinghamo emta, *) itemque Bibliotheca Hebraica Iſaaci Pragenſis ibi conſpicitur, teſte VOSSIO in *Epiſtolis Londini a. 1690.* excuſis, *Epiſt. IV.* LOMEIERO *de Bibl. cap. X. p. m. 224.* et BENTHEMIO *l. c. cap. XXIV. §. 118. p. 505.* qui *p. 1094. in principio* Ioh. Hacket addit, Epiſcopum Lichfeldiae et Conuentriae, ſaeculo ſuperiori adparatum ſuum librarium, mille et quingentis Sterlingenſibus aeſtimatum, Bibliothecae Academicae liberaliter conſecrantem.

*) Falſa igitur audiuit ANDR. RIVETVS, quandoquidem in *Epiſtola ad Ioh. Meurſium* a. 1626. ſcripſit, hanc ipſam Bibliothecam, quae initio Acad. Leidenſi deſtinata fuerat, ad Oxonienſem perueniſſe. Vid. *Noua libr. rarior. Collectio Halenſis, Faſciculo III. p. 548.*

tem. Nihil vero comparari poteſt cum inuſitata Georgii I. auguſtiſſimi Regis, munificentia, quippe qui Ioh. Mori, Epiſcopi Elienſis, inſtructiſſimam Bibliothecam, ſex mille pondo Sterlingenſium redemtam, ſumtu autem longe maiori collectam olim, Academiae Cantabrigienſi, ob ſingularem eius erga Domum Guelficam fidem et reuerentiam, ſub imperii primordium donauit. *Leipz. gel. Zeit. a. 1715. p. 501.* et HEVMANNI *Conſp. Reip. litter. cap. IV. §. 68. p. 200. edit. nou.* Cf. CONIERS MIDDLETON, qui Protobibliothecarius, confectus ſenectute, a. 1750. e vita deceſſit, *Bibliothecae Cantabrigienſis ordinandae methodus quaedam, Cantabrig. 1723. in 4.* Singularia de libello hoc apud nos parum obuio adfert RATHLEFIVS in *den Geſchichten ietzlebender Gelehrten, P. I. p. 165.* Nunc facilius parari poteſt, poſtquam recuſus fuit in *Parte III. Operum miſcellaneorum Middletonianorum,* quae *Londini a. 1752. in 4.* prodierunt. Reperitur in hac Bibliotheca, praeter alia non vulgaris pretii MSta, rariſſimus *Pſalmorum Codex*, Hiſpanis in Gadium oppugnatione ereptus, item *Codex Noui Teſtamenti* Graeco-Latinus, isque vetuſtiſſimus, Lugduni quondam in S. Irenaei Coenobio vsque ad ann. 1562. adſeruatus, quem Theod. Beza inter turbas Galliae ciuiles nactus eſt, et Academiae a. 1581. muneri dedit. Vberius deſcripſit eundem IOH. ADAM. OSIANDER in *Orationum Acad. biga, Tub. 1742. 4.* Cf. omnino BENTHEM. *l. c. p. 505.* vbi et litterae donationis integrae exhibentur, ex quibus diſcimus, mutilum eſſe volumen, neque ſatis emendate ab initio vbique ſcriptum, neque ita, vt oportuit, habitum, quemadmodum ex paginis quibusdam, diuerſo charactere inſertis, adiectisque alicubi notis barbaris indocti Graeci Calogeri id adparere Beza confirmat.

Singula etiam Collegia Cantabrigienſia, quorum non pauca ſunt, Bibliothecas habent librorum excu-

ſorum manuque exaratorum copia ornatiſſimas. Exempli cauſſa duas tantum nominamus, Bibliothecam nimirum *Collegii S. Trinitatis*, atque *Collegii Corporis Chriſti*, quod Angli vulgo dicunt *Benet-College.* In illa notari praecipue debent *Cromwellianae hiſtoriae monumenta*, nec non *Codex Holmienſis*, qui magnam partem Operum, ab Origene Graece Scriptorum, complectitur, et Huetio vtiliſſimus fuit, quum Patris huius in ſacras Scripturas Commentarios ederet: in hac vero conſpiciuntur Matthaei Parkeri, Archiepiſcopi Cantuarienſis, libri, praeter impreſſos, manu ſcripti longe plurimi, per teſtamenti tabulas ſaeculo XVI. legati, quorum *Catalogus Londini a. 1722. in f.* diuulgatus eſt. Merito theſaurus omnis hiſtoriae eccleſiaſticae, quae Angliae ſtatum huius aetatis illuſtrat, dicenda iſthaec ſupellex, cum nulla alia Bibliotheca facile comparanda. Vid. *Acta Erud. Lat. a. 1712. p. 442. in fine.* Sic v. g. monſtrantur variae *Epiſtolae Henrici VIII.* eiusque coniugis, *Annae Bolenae*, porro *Eliſabethae* Reginae, *Thomae Cranmeri*, *Petri Martyris*, atque etiam *Lutheri.* De his, aliisque, Bibliothecis euoluatur, cuius §pho *ſuperiori* facta mentio eſt, IAMESII *Ecloga Oxonio-Cantabrigienſis*, in duos libros diſtributa, quorum primus continet confuſum librorum MStorum in Bibliothecis Oxonienſibus et Cantabrigienſibus Catalogum; ſecundus Catalogum eorum diſtinctum et diſpoſitum ſecundum quatuor Facultates, obſeruato tam in nominibus, quam in Operibus ipſis, alphabetico litterarum ordine. Singulare de hac Collectione iudicium Caſpar Barthius exemplari ſuo inſcripſerat olim, quod ita ſe habet: *in hac Collectione nominantur bis mille et octingenti omnis aeui ſcriptores, parte maxima nondum editi, nec alibi, quam in Anglia, exſtantes;* de quo poſtremo tamen adhuc dubitandum videtur. Vid. CONRING. *de Bibl. Aug. p. m. 163.* Mira ſunt, quae hoc ſaeculo Robertus Greenius,

nius, non ignotus ille Philoſophus, fecit, iſto quidem loco, dum in mentem venerunt, haud praetermittenda. Reliquit ſcilicet a. 1730. teſtamentum, quo Collegio, *Clarehall* dicto, libros et bona omnia legauit, ea conditione, vt manuſcripta eius Opuſcula ederent Socii, et oſſa, Medicorum arte coniuncta, in imo Bibliothecae angulo reponerent. Qua voluntatis declaratione imitari ſine dubio Caelium Calcaguinum voluit. Sed contra teſtamenti auctoritatem honorifice eſt ſepultus. CHRIST. FALSTERI *Amoen. philolog. Tomo III. Sermone 14.* qui inſcribitur: *Ambitioſum Cadauer philoſophicum.* Caeterum nec deficiunt Bibliothecae, MStis potiſſimum refertae, in Eccleſiis Cathedralibus. Add. generatim ARNOLDVS in *Epiſtolis Ge. Richteri, p. 485.* BENTHEMIVS *l. c. p. m. 494 ſq.* BERNARDI *Catal. MStor. Angliae et Hiberniae*, et LOMEIERVS *l. c. p. 224. ap. Schmidium.* Reſtat, vt non nihil de Bibliotheca *Academiae Dublinenſis* in Hibernia, S. Trinitati dicatae, diſſeramus, quae a. 1661. Iacobi Vſſerii adparatu mirifice creuit. Age! rem omnem exponamus THOMAE SMITHI verbis, in *Vita celeberrimi huius Archiepiſcopi, p. 128. Olim*, inquit, *dum florente Eccleſia, res domeſticae integrae ſtarent, Vſſerius ſelectiſſimam hanc Bibliothecam, e decem millibus libris, tam impreſſis, quam manu exaratis, conflatam, Collegio Dublinenſi, in quo educatus fuerat, in perpetuum obſeruantiae et grati animi teſtimonium et monimentum, poſt mortem dono dare apud ſe conſtituerat: ſed mutatis temporibus, nouaque rerum facie vbique per vniuerſas Britannias inducta, de filia, cuius virtus, pulcherrima forma, ingenium, modeſtia, reliquaque muliebris ſexus decora, quando nupſerat, ampliſſimae dotis vicem ſupplebant, eiusque numeroſa prole, aliquo modo prouidendum eſſe iuſſit potentior paternae curae et pietatis ratio. Dum enim poſt exortam Hibernorum exſecrandam rebellionem et lanienam, omnibus reditibus, fundis, fortunisque exſpoliatus, anguſtiis*

rei

rei familiaris opprimeretur, vix aliud quicquam, quo erat donanda, illi ſuppetebat. Omnes vero, quibus harum rerum erant aliquis vſus, cura amorque, ne in multorum manibus diſtraheretur, in publicos litterarum et litteratorum vſus alicubi integram ſeruari cupiebant: quam ex certa fide conſtat, tum ſereniſſimum Regem Daniae, tum Cardinalem Mazarinum, ſingulos nimirum in ſuum peculium, redimere voluiſſe. Sed interceſſit Cromwellus. Quis autem crederet, hominem, enthuſiaſmi furoribus ſubinde correptum, et humanioris litteraturae oſorem, cauiſſe, ne theſaurus iſte extra Angliam, non ſine ſumma iniuria genti inurenda, exportaretur? Interim commodum accidebat, vt ductores copiarum, quae duce Cromwello Hiberniam expugnauerant, perquam laudabili aemulatione incitati, pecuniis ad bis mille et ducentas libras ſterlingicas excreſcentibus, tum ex ſuis, tum ex gregariorum in exercitu militum ſtipendiis, ſimul collectis, vt in Bibliotheca Dublinienſi primum condenda factum fuerat, de libris Vſſerianis, vt nobilis eidem Bibliothecae fieret acceſſio, redimendis conuenerint. Sed poſtquam in Hiberniam aduecti fuiſſent, reiecto iſthoc propoſito, ne tali admixtione quippiam exinde gloriae, quam captabant, decederet, de nouis conclauibus alibi exſtruendis, in quibus ad maiorem munificentiae oſtentationem ſeorſim reconderentur, deliberarunt. Nondum conſtituta iſta re, in quasdam arcis Dublinenſis cameras, quibus propemodum incuſtoditis, nimium facilis patebat aditus, detruduntur; malorum hominum, qui multos, vti fertur, tam excuſos, quam manuſcriptos optimae notae, Codices clam ſurripuerant, fraudibus obnoxii. Poſt inſtauratam Monarchiam, a. 1661. quo tempore excellentiſſimus et illuſtriſſimus Princeps, Iacobus Dux Ormondiae, ſumma prudentia et fortitudine Hiberniam gubernabat, ſereniſſimus Rex Carolus II. ad quem omne illud ius deuolutum erat, Prorege et Ordinibus regni petentibus, communi Bibliothecae, quotquot ſupererant, inferri, pro benignitate ſua, iuſſit. Cf. *Acta Erud.*

Erud. Lat. a. 1687. p. 119. vbi eadem fere ex RICH. PARR *Vita Vſſerii, Londini a. 1686. in f.* Anglice edita, breuiter ſtrictimque commemorantur. MStorum autem in Bibliotheca Dublinenſi recenſionem exhibet BERNARDI *Catal. MStor. Angliae et Hibern. Tomo II. Parte poſteriori.*

§. XV.

In Belgio Foederato, ob priuatas plurimas, tantae Bibliothecae publicae non inueniuntur, quantas exſtare ſcimus apud Gallos, Anglos atque Italos. Habent interim non nullas, quae ad ſumma Rei publicae ornamenta pertinent. Praecipua eſt *Leidenſis*, cuius prima fundamenta iecit Guilielmus I. Arauſionenſis Princeps, dum Biblia Regia, Philippi II. auſpiciis *Antwerpiae in offic. Plantini* ſplendidiſſime excuſa, necnon varia ſcripta Talmudica Academiae donaret. Aliquot annis poſt integra Bibliotheca acceſſit, a Ioh. Holmanno, Theologiae Profeſſore, a. 1586. legata. ADAMI in *Vitis Theolog. German. p. 594. edit. Heidelb. a. 1620.* et MEVRSIVS in *Athen. Batauis lib. I. cap. 13. p. 37.* Eadem liberalitate nomen illuſtrarunt ſuum Ioſeph. Scaliger, qui a. 1609. quo mortuus eſt, quum praeſens Academiae prodeſſe amplius non poſſet, totam ſuam peregrinae eruditionis ſupellectilem, MSta nempe Orientalia, Graeca et Latina, reliquit; Bonauentura Vulcanius, a quo varia MSta Graeca et Latina profecta ſunt; Leuinus Warnerus, qui Codices Orientales, magni pretii, legauit; Franciſcus porro Nanſius et Chriſtianus Hugenius, cuius ex teſtamento Bibliotheca Leidenſis a. 1695. MSta mathematica, eademque Latina praecipue, nacta eſt. Superbit etiam rariſſimorum librorum theſauris, quos ex Oriente aduexerat Iacob. Golius, quorumque *Catalogus Pariſ. a. 1630. in 4.* prodiit, parum recte a non nullis Petro Gaſſendo adſcriptus; maximum vero decus et ſplendorem

dorem accepit Bibliotheca Isaaci Vossii et manu exaratorum, quorum non paucos ex Bibliotheca Christinae, Sueciae Reginae, surripuerat, et impressorum librorum plenissima, quam Curatores Academiae triginta et sex millibus Florenorum Hollandicorum ab heredibus redemerunt. Singulare est, quod hac de emtione narrat PETR. BAELIVS in *Epist. select. Tomo I. p. 307: Les Anglois sont bien fachés de n'avoir pas acheté la bibliotheque de feu Isaac Vossius, et, si l'on n'eut usé de diligence, desque le marché eut été conclu à trente six mille florins, de faire porter les livres chez Mr. Citters, l'Ambassadeur de cet Etat à la Cour d'Angleterre, il fut venu des ordres pour empêcher le déplacement de la bibliotheque; afin que les heritiers fussent obligés, de rompre le marché avec l'Université de Leyde, et en faire un autre avec celle d'Oxford.* Inter Graecos Vossii Codices *Pentateuchus* est, cum parte *librorum Iosuae* et *Iudicum*, quem, litteris vncialibus et antiquissimis scriptum, aequare, si non superet, aetatem Codicis Alexandrini, MONTFAVCONIVS putat in *Bibl. MStor. Tomo I. p. 675.* Catalogum MStorum Vossianorum iam olim, iussu Guil. Sancrofti, Archiepiscopi Cantuariensis, concinnauit PAVL. COLOMESIVS, cuius in *Operibus* exstat, a *Fabricio Hamb. 1709. in 4.* iunctim exhibitis. Nec tenuis est accessio Iacobi Perizonii legatum, quo a. 1715. centum prope volumina Auctorum veterum, partim manu exarata, partim vel primo post inuentam typographiam saeculo excusa, vel cum Codicibus MStis collata, Bibliotheca Leidensis acquisiuit. Vid. *Leipz. gel. Zeit. a. 1715. p. 143.* Adiunxit praeterea vir doctissimus viginti Florenorum millia, ex quorum reditu trecenti annui studioso alicui cederent ad septem vsque annos: reliqua in libros, maioris praecipue pretii, quique a priuatis non facile comparantur, impendi praecepit. Verba haec sunt ANTON. SCHVLTINGII, ICti clarissimi in *Oratione funebri,*

Peri-

Perizonii memoriae consecrata, L. B. a. 1715. 4. mai. p. 46. Nouissime Gerard. Papenbrokius eidem praeclaram antiquorum Monumentorum collectionem testamento reliquit, quorum descriptio a FRANC. OVDENDORP luci exposita est *a. 1746. in 4.* Primus hanc Bibliothecam ordinauit PETRVS BERTIVS, a quo et habemus *Nomenclationem Bibliothecae Academicae Lugduno-Batauae, cum Epistola de ordine eius atque vsu. L. B. typis Raphelengii a. 1595. in 4.* Idem forte *Catalogum* edidit *eorum, qui Bibliothecam Lugduno-Batauam ditarunt, ibid. 1597. in 4.* Possedit Opusculum illud Vffenbachius, cuius in *Catalogo librorum, Frf. ad. M. 1735.* diuulgato, occurrit, ac *Tomo* quidem *IV. p. 132. n. 59.* Nouum Catalogum, imperfectum tamen, Bibliothecae Leidensis DAN. HEINSIVS prodire iussit *L. B. a. 1640. in 4.* quem *a. 1674. eadem forma* sequutus est alius, nouiter recognitus (a FRID. SPANHEMIO,) huncque rarius inueniri, obseruat IOH. CHRISTOPH. WOLFIVS in *Praefat. ad Notit. Karaeor. p. 12.* vbi Codices quosdam recenset. Nunc autem facile eo carere possumus, praestantiore Catalogo *ibid. a. 1716. in f.* foras dato. Quum enim, ex quo prior editus fuerat, magna librorum et MStorum facta esset accessio, ex decreto Curatorum tres clari Academiae huius Professores, inter quos et Iac. Gronouius fuit, partem simul aliquam laboris in se suscipiente Petro van der Aa, bibliopola, dictum Catalogum nouissimum decima circiter parte ampliorem reddiderunt. Ordo hic obseruatus deprehenditur: Post editiones et versiones Scripturae sacrae, itemque Lexica biblica, historiae ecclesiasticae Scriptores, et Patres cum Graecos, tum Latinos caet. Iureconsulti, Medicique veteres et recentioris aetatis producuntur in medium, quos Philosophi, Mathematici, Historici, Litteratores, et vniuersi elegantioris doctrinae Auctores excipiunt. Vltimo loco exstat quicquid ex editis Orientalibus Iudaicisque

cisque libris siue impensis ipsius Bibliothecae comparatum est, siue ex Scaligeri et Warneri legatis accessit. Haec prior veluti Catalogi istius pars est. Alteram constituunt libri omnis generis MSti, cum delineatione Sphaerae Armillaris Copernicanae, ornamenti incomparabilis, quale in sola Regis Franciae supellectili mechanica inueniri perhibetur. Sphaeram hanc Sebast. Schepers, Senatoris Rotterodamensis, heredes dispersam et collapsam publico destinarunt vsui, Curatores vero Academiae ab artifice, Bernardo Cloesio, in ordinem redactam et auctam a. 1711. bonis artibus studioque astronomico consecrarunt. Finem Operi imponit Auctorum Index, a Sigeberto Havercampo confectus, qui tamen imperfectus est, et ob paginas tantum indicatas euoluentibus molestus. Cf. *Acta Erud. Lat. a. 1716. p. 540. sq.* vbi, inter alia, haec legimus: *Parum est, veterum Autorum complures editiones videre, quas indipisci vili adeo pretio possis, sed easdem doctissimorum virorum manibus notatas magno est isti Bibliothecae ornamento. Videas autem a Iosepho Scaligero, Gerardo et Isaaco Vossiis, Claud. Salmasio, Isaaco et Merico Casaubonis, Franc. et Hadriano Iuniis, Ger. Falckoburgio, Grotio, Scriuerio, Meursio, Grutero, Colomesio, Gatakero, Ioh. Fr. Gronouio, aliis, plurimos veterum Autorum notatos. Rarior manus M. A. Mureti, Andr. Schotti, Hadr. Turnebi, Henr. Stephani, Frid. Sylburgii et Angeli Bergitii. Meruisset eorum librorum singularis index exstare.* Nos vero duo adhuc monemus, quae in Catalogo isto desideranda iure videntur. Primum enim vellemus, vt adcurata tam illustris Bibliothecae Historia fuisset praemissa: tum caussam scimus nullam, cur editores neglexerint FRID. SPANHEMII sermonem Academicum *de Bibliothecae Lugduno-Batauae nouis auspiciis*, dictum publice a. 1674. et priori Catalogo eiusdem anni praefixum. Quamquam enim iam recusa sit Oratio in Auctoris *Opp. Tomo II. p. 1426.*

p. 1426. ſq; plurimis tamen iucundiſſimum accidiſſet haud dubie, ſi opportuno hoc loco data eſſet eius legendae occaſio. Praeter ea docet WOLFIVS in *Praefat. ad Vol. III. Bibl. Hebr.* omiſſa eſſe in hoc ipſo Catalogo MSta quaedam Orientalia, quae tamen lacuna expleta forte fuit in Supplementis, a. 1741. excuſis, vt referunt *die Leipz. gel. Zeit. ad hunc ann. p. 587.* Inter Bibliothecae Praefectos eruditionis laude floruerunt cum primis Ianus Douſa, iunior, Paul. Merula, Frid. Spanhemius, filius, Ioh. Frid. Gronouius, et Petrus Burmannus, *) quo a. 1741. exſtincto, ſpartam hanc nactus eſt V. C. Abrah. Gronouius. Vid. *die Leipz. gel. Zeit. a. 1741. p. 667.* Deſcribunt Bibliothecam Leidenſem, quamquam paucis, LOMEIERVS *p. 211. ap. Schmidium*, et BENTHEMIVS im *Hollaendiſch. Kirch. vnd Schul. Staat, P. I. cap. 3. p. 82.* Add. FRANC. FABRICII *Orat. in annum Iubilaeum tertium Acad. Lugduno-Batauae, Lugd. Bat. a. 1725. in f.* de qua agitur in *Actis Erud. Lat. Supplem. Tomo IX. p. 129. ſq;* HOTTINGERVS ad calcem *Biblioth. Orient. p. 18. ſq.* et BAELIVS in *Dict. hiſt. crit. voce Hali-Beich litt. C.* quorum hic *Biblia MSta et in linguam Turcicam conuerſa* memorat, quae Warneri ſtudio Leidam transmiſſa, tandemque Academicae Bibliothecae illata fuerunt: ille vero inter Codices Scaligeri Orientales *Pentateuchum* in primis laudat *Arabicum*, charactere Arabum Maurita-

*) Auſpicatus eſt hoc munus *Orat. ſolemni de Bibliothecis publicis, earumque Praefectis*, quae neſcio an edita ſit. Vitam viri de litteris humanioribus meritiſſimi ex *Schachtii Orat. funebri Actis Erud. Lat. anno 1742. p. 620. ſq.* inſerui, quibusdam autem Orationibus eius omiſſis, quae mihi tunc temporis non ſuccurrebant. Varia Opuſcula, quibus perſtringitur Burmannus, adducit AVG. BEYERVS in *Memoriis hiſt. criticis libr. rar. p. 52. 53.* Subiici his debet elegans, et acerbus, libellus, qui inſcriptus eſt *Chreſtomathia Petronio-Burmanniana, annoque 1734. in 8.* prodiit. Cf. *die Leipz. gel. Zeitung. 1736. p. 289.*

ritanico, itemque *Nouum Testamentum Arabicum* integrum, ex quo Codice suam N. T. editionem expressit Erpenius.

§. XVI.

Sequitur Bibliotheca *Vltraiectina*, quam in Choro Templi, S. Iohanni sacri, conspicere licet. *De restauratione illius ac renouatione* CORN. DU VERDEN *Oratio* prostat, *Vltrai. 1644. in 4.* Eius dedicandae occasionem praebuerunt testamenta Huberti Buchelii, Canonici D. Mariae, et Euerh. Poll. ICti, qui suas quisque Bibliothecas vsibus publicis legarunt. Postea libris aliis, MStis potissimum theologicis, fuit locupletata. GISBERT. VOETIVS *Vol. I. Disput. selectar. theolog. Disp. 4. de Atheismo* huius Bibliothecae mentionem facit, dum testatur, se intulisse eidem foedissimum illud carmen Ioh. Casae, Episcopi Beneuentani, quod in laudem Sodomiae scripsit, vt publico loco, et peculiari in eo capsula, hoc sanctitatis Papisticae monumentum seruaretur, nec Pontificii, quamuis impudentiae scuto armati, negare vel auderent, vel possent, quod nec ipse Casa diffitetur, sed tantum carmine quodam ad Germanos, apud quos propterea male audiebat, excusare conatur. Verum, quum a. 1672. et 1673. per Gallicum illum tumultum, quo aliquot Foederati Belgii prouinciae misere vastatae sunt, etiam Vltraiectum occupatum teneretur, rerumque potestas penes Pontificios esset, hoc monstrosissimum scriptum, vna cum aliis carminibus Italicis, eodem volumine contentis, a nescio quo per sacrilegium ablatum est. Sed ipsa infamiae nota sublata non est, litura perpetuum exstabit. Sed quo non progressa est iniquitas, horresco haec scribens, monstrosus hic foetus, obstetricante typographorum infraenata licentia, rursus in lucem prodiit. Ita LOMEIERVS *de Biblioth. p. m. 214.* GVNDLINGIVS tamen,

tamen, vt ea, quae de Iohanne Caſa referuntur hoc loco, a veritate prorſus eſſe aliena demonſtraret, omnes ingenii neruos intendit in *Obſeruat. ſelect. Tomo I. obſeruat 5. p. 120. ſq.* Cf. BEYERI *Memoriae hiſt. crit. libror. rar. p. 279. ſq.* Catalogus Bibliothecae Traiectinae primam lucem vidit *Vltrai. a. 1608. in 4.* recuſus *ibid. 1670. in f.* et nouiſſime *a. 1718. eadem forma.* Poſtrema haec editio (priores enim haud vidimus) libros omnes, ordine Auctorum alphabetico, praebet conſpiciendos, quae methodus in MStorum etiam recenſione obſeruata eſt. Eorum quingenta fere adſunt volumina, theologici maxime argumenti. Subſequuntur ſexaginta, et quod excedit, Quintiliani editiones variae, a Theod. Ianſſon. ab Almeloveen legatae, quibus vſus eſt olim Petr. Burmannus, quum de Rhetore hoc emendando illuſtrandoque laboraret. At, ſi dicendum libere, quid ſentiamus de Catalogo iſthoc, diſſimulare non poſſumus, eum nec librorum excellere copia, nec vlla MStorum praeſtantiorum deſcriptione commendari. Imo deeſt Praefatio, ſaltim in exemplari, quod ante oculos habemus, adeoque vix eo excuſus conſilio videtur, publicis vt vſibus inſeruiret.

Amſtaelodamenſium Bibliotheca MStis potiſſimum celebris eſt, inter quae multa Dauid. Blondelli repeꝛiuntur, Hiſtoriarum per aliquot annos in Gymnaſio Profeſſoris. *Catalogus* prodiit *Amſtael. a. 1622. a. 1668.* ac denique *anno 1711. in 4.*

Bibliothecae *Franequeranae*, quae libris egregiis inſtructa, *Catalogus*, adiectis Statutis Legibusque illius, impreſſus typis eſt *Franequ. a. 1656.* recuſus *ibidem* longe auctior *anno 1713. in f.*

Sic et *Catalogum Bibliothecae Harlemianae* habemus, *Harlemi a. 1716. in 4.* nec non alium, qui Bibliothecam *Vniuerſitatis Groningae et Omlandiae* complectitur, ſtudio GERARDI LAMMERS *Groningae a. 1669. in f.* edi-

tum, ac denuo prelo ſubiectum, vna cum notitia MStorum, *ibid. anno 1722. eadem forma.* Nec praetermitti debet, *Delphenſis* etiam Bibliothecae Catalogum *a. 1721. in f.* luci eſſe expoſitum, prout indicat *Catologus Bibliothecae Bynkershoekianae p. 42.*

§. XVII.

Belgio Foederato ſubiungimus Auſtriacum, ubi *Louanienſis* Bibliotheca publica prae aliis commendari meretur. Illi ſuam legauit Laurent. Beyerlinck, inſertaeque etiam Leuini Torrentii, Carolique Langii, nec non Franc. Craneueldii Bibliothecae. LOMEIER. *cap. X. p. m. 210.* Deſcripſit huius *Bibliothecae primordia* ſermone auſpicali, et *Louanii a. 1638. in 4.* edidit VALER. ANDREAS, Deſſelius, quod Opuſculum ſtatim *a. 1639. ibidem in 4.* ſequuta ſunt ERYCII PVTEANI *Auſpicia Bibliothecae publicae Louanienſis. Accedit Catalogus librorum primae collectionis.* De nouis conſiliis augendae huius Bibliothecae ornandaeque cauſſa initis ante hos triginta annos, vid *Leipz. gel. Zeit. a. 1722. p. 910.* Praeter hanc *Ieſuitarum* quoque *Collegium* Bibliothecam habet, MStis Codicibus inſtructam, quos enumerat SWEERTIVS in *calce Athen. Belgic.* quorumque non contemnendum adparatum, vna cum libris Graecis, ex legato Iuſti Lipſii accepit, teſte MIRAEO in *vita Lipſii p. 61. Tomo. I. Opp. Lipſianorum, edit Plantin. a. 1637. in f.* adornatae.

Apud *Antwerpienſes* Ieſuitarum et Franciſcanorum Bibliothecae potiſſimum ſunt conſpicuae. Vrbs tamen haec, Belgii ſingulare ornamentum, in tumultibus illis bellicis, et iconomachicis, multis adfecta cladibus fuit, quarum non minima eſt, quod ſimul Bibliothecarum libri, butyro inuncti, a ſeditioſis incenſi fuerint, quae LOMEIERI verba ſunt, *l. c. p. 207.* Idem paullo poſt ſcribit, Bibliothecae etiam publicae fundamenta iacta eſſe, in quam plurimorum ſe effuderit liberalitas, edictoque ſereniſſimorum Belgii Principum omni-

omnibus Vrbis typographis iniunctum fuiffe, vt librorum, quos euulgarent, vnicum exemplar huic Bibliothecae fuppeditaretur. *Primordia illius* ftudio AVBERTI MIRAEI *Antwerp. a. 1609. in 4.* prodiiffe refert REIMMANNVS *Parte I. Hiftor. litter. p. 380.*

Gemblacenfis apud Brabantos *Monafterii* Bibliotheca plurimos olim poffedit, et antiquos quidem, Codices manu exaratos, ad quos Erafmus Roterodamus, aliique viri docti faepe confugerunt. Cf. LOMEIER. *pag. 208.* Sed incendio illam deflagraffe fuperiori faeculo, iam obferuauimus in *§pho vltimo Capitis fecundi.* Interim dubitari vix poteft, nouam ibidem Bibliothecam, poft haec fata aduerfa, effe collectam, quamquam non aeque, vt prior illa, MStis fuperbiat. Plenior MStorum, in Belgio Auftriaco exftantium, notitia haurienda ex ANTON. SANDERI *Bibliotheca Belgica MSta*, qua comprehenditur Elenchus vniuerfalis Codd. MStor. in Belgii coenobiis, ecclefiis, vrbium ac priuatorum hominum Bibliothecis adhuc latentium, *Infulis a. 1641.* et *1644. Partibus II. in 4.* Opus eft parum obuium, at multae vtilitatis, optandumque foret, vt fimile quid de MStis in Germaniae Bibliothecis haberemus. De Iohanne Bunderio ANDRAE in *Bibliotb. Belgica p. 107.* haec notauit: *Collegerat indicem Codicum MStorum per Belgium vicinasque prouincias; Alphabeti ferie ex fchedis fcriptisque Guil. Cornificii Gandenfis, itidem Dominicani, qui Belgii Bibliothecas fere omnes, et illuftriores Germaniae, Galliae, Angliae, ante exortas faeculi fuperioris haerefes, fedulo excufferat. Vidi Codicem illum MStum apud Lucam Opmerum, Delfium, ICtum, fed dolendum, thefaurum illum, nefcio quo fato, periiffe.*

§. XVIII.

Italicae nunc Bibliothecae nos vocant, quae MStorum cum primis copia et antiquitate omnino eminent. Dignitate autem ac praeftantia reliquas

 vincit,

vincit Bibliotheca *Pontificia*, dicta *Vaticana*. Nos missis iis, quae de origine et incrementis eiusdem primis statim post Christum natum saeculis fabulantur non nulli, (Angelus enim Roccha atque Ludouic. Iacobi ipsum Petrum, Apostolum, conditorem perhibent, cf. CONRINGIVS *de Bibl. Aug. p. 191. ap. Schmidium*,) hoc saltim notamus ex PLATINAE *Vitis Pontificum p. 145. edit. a. 1645. in 12.* Hilarium I. apud Oratorium, S. Stephani baptisterio Lateranensi additum, duas aedificasse Bibliothecas, sine dubio ad sacrorum Codicum, Patrum et rerum ecclesiasticarum scripta ibidem adseruanda. Translata deinceps in Gallias per Clementem V. saeculi XIV. initio summi Pontificatus sede, Bibliotheca quoque ex vrbe Roma Auenionem commigrauit, inque Palatio Apostolico collocata est. Sed exstincto, per Martini V. electionem, schismate, praeter pauca volumina Auenione relicta, quae Pius V. postea recuperauit, reducta in Vrbem, et in Palatio Vaticano, vbi Pontifex sedem fixerat, recondita fuit, praestantissimis omnis doctrinae monumentis a Martini successoribus eidem illatis. Sic Calistus III. quum Barbari Graeciam vastarent, in eripienda ex eo naufragio MSta Graeca quadraginta millia aureorum impendisse dicitur, quod antecessor etiam, Nicolaus V, capta a Turcis Constantinpoli, pari industria praestiterat, redemtis aere suo ex Barbarorum manibus Imperatoriae Bibliothecae reliquiis, missisque, vt egregios Codices conquirerent, per vniuersam Europam viris doctissimis. Cf. DOMINCI GEORGII *Diss. de Nicolai V. erga litteras et litteratos viros patrocinio*, adiecta eius *Pontificis Vitae*, quae *Romae a. 1742. in 4.* prodiit. Quum vero diffusi essent sparsique libri, certum iis ordinem et locum attribuit Sixtus IV. adhibito eam in rem Bartholomaeo Platina. Idem adsignauit certos, vnde noua doctrinae subsi-

ſubſidia comparari poſſent, reditus, cuſtodesque et librarios Hebraeos, Graecos, Latinos, conſtituit. Leo X. ſuaſu forte Philippi Beroaldi, Bibliothecae Praefecti, a. 1514. legatum quendam in Germaniam amandauit, vt varias perluſtraret Bibliothecas, et praeſtantioribus libris inde deſumtis Vaticanam locupletaret, teſte MARTINO KROPFF in *Bibliotheca Mellicenſi*, de qua alibi pluribus dicemus, *p. 77.* Nec dubium eſt, quin in compluribus Monaſteriis adſequutus ſit Pontifex, quae optauerat; quis enim chartacea munera denegauerit facile ſanctiſſimo Patri, qui, vt poetae verbis vtamur, imperio premere poteſt, ac vinclis et carcere frenare? Grauem autem Bibliotheca iacturam paſſa eſt ſub Clemente VII. quum Roma a Caroli V. exercitu, Borbonio duce, a. 1527. caperetur. Praecipue antiquiſſimus Actorum Apoſtolicorum Codex Graecus, aureis litteris ſcriptus, et a Cypri Regina Innocentio IX. donatus, auro et gemmis, quibus liber exterior diſtinctus erat, ex compoſito eſt nudatus. Cf. Adami Reiſneri verba apud SCHELHORN. *Amoen. litter. Tomo VII. p. 121.* ex quibus patet, multa tunc vel lacerata, vel combuſta, vel equis in templo S. Petri, aliisque, ſtramenti loco eſſe ſubiecta. Cogitauit igitur de damno reparando Pius IV. cuius litteras ad Panuinium et Franciſc. Auanzatum, ut omnis eruditionis libros, Orientalibus etiam linguis editos, pro Vaticana Bibliotheca colligerent, RAYNALDI *Annales* referunt *ad ann. 1564. n. 53.* Sixto V. debetur immenſum ornatiſſimumque Bibliothecae conclaue, cuius fornicem lateritiae pilae, e medio ſurgentes, ſuſtinent. Librariis porro et cuſtodibus, ipſi quoque Bibliothecae praefecto Cardinali, idoneos cubiculorum ordines parauit, vt eo ſecedere pro arbitratu poſſent. Factum id a. 1588. Cf. NEMEITZII *Inſcript. ſingular. Faſcic. p. 207.* Sub Clemente VIII. Fuluius Vrſinus omnes ſuos

libros tam Graecos, quam Latinos, manu ſcriptos et impreſſos legauit, docente id ex ipſis teſtamenti verbis celeb. BVDERO in *Diſſ. de Biblioth. legatis p. 671 Opuſculorum, Ienae a. 1745. in 8. mai.* editorum. Poſtea Paulus V. praeter multos manu ſcriptos, egregiis Codicibus, typis impreſſis, et Graecis et Latinis, Bibliothecam ornauit, eidemque, rogante Baronio, Bibliothecario, reditus haud exiguos conceſſit: Vrbanus VIII. a. 1624. intulit amplas MStorum gazas ex Palatina Bibliotheca, poſt Heidelbergenſem victoriam, a Maximiliano, Bauariae Duce, receptas, et Gregorio XV. dono oblatas, vt clariſſime ex NEMEITZII libro iam adducto *p. 208.* perſpicitur:*) Alexander VII. inſignia Bibliothecae Vrbinatis MSta adiunxit a. 1658. EODEM *l. c.* probante: Alexander vero VIII. a. 1690. mille nongentos Codices ex Bibliotheca Chriſtinae, Suecorum Reginae ſelectos, paucis quoque e domeſtico ſuo librorum adparatu ſuperadditis, Vaticanae attribuit, et Alexandrinae nuncupatione, propriaque aula, diſtinxit. Vid. inſcriptio in *Actis Erud. Lat. Supplement. Tomo VI. p. 343.* Coemiſſe hos ipſos Codices Alexandrum VIII. a nepote Cardinalis Azzolini, quem Regina bonorum omnium heredem teſtamento conſtituerat, quique ipſe deceſſerat duobus menſibus poſt eius obitum, refert, poſtquam antea teſtamentum integrum produxerat, celeberrimus ARCKENHOLTZIVS *en Memoires de Chriſtine, Reine de Suede, T. II. p. 320.* Add. le LONG in *Praefat. ad Biblioth. hiſtor. Franciae §. III.* Catalogum autem eorum exhibet MONTFAVCONIVS in *Biblioth. MStor. Tomo I. p. 14. ſq.* qui et *p. 61. ſq.* alium ſubiungit, continentem Alexandri Petauii MSta, a patre eius, Paulo, relicta, inter quae ampliſſima de vitis Sanctorum collectio eſt. Nemo enim ignorat, integram eruditi huius viri Bibliothecam Lutetiae Pariſio-

*) Dictum hac de re ſupra, Cap. II. §. XIX.

risiorum a Christina fuisse comparatam. Cf. BAELIVS in *Dictionario histor. critico, v. Bongars litt. d.)* Laudanda quoque liberalitas est Clementis XI. quippe qui magno partim Graecorum librorum numero, qui ad domesticam olim Pii II. Bibliothecam pertinuerant, et, post varios casus, in Patrum Theatinorum S. Andreae de Valle peruenerant potestatem, Vaticanam locupletauit, si vera dicunt *die Leipz. gel. Zeitung. a. 1715. p. 409*, priuatam simul, quam habuit, supellectilem cum eadem coniunxit, partim conquirendis Orientalium gentium scriptis curas nouas adiecit, effecitque, vt Bibliotheca Apostolica, quum Graecis ac Latinis Codicibus satis videretur repleta, Hebraicis etiam, Syriacis, Samaritanis, Arabicis, Persicis, Turcicis, Aegyptiacis, Aethiopicis, Armenicis, Ibericis, atque Malabaricis praeter ea, quibus ante donata fuerat, Manuscriptis instrueretur. Scilicet occasionem suppeditante Gabriele Eua Maronita, Ordinis S. Antonii Monacho, et S. Maurae in monte Libano, Abbate, Elias, Iosephi Simon. Assemani consobrinus, a. 1707. huius rei caussa legatus in Aegyptum est, quod similiter negotium, eiusdem Pontificis iussu, laudatus Assemanus a. 1715. suscepit, Romamque sub anni 1717. initium redux, ingentem eiusmodi Codicum copiam adportauit. Eorum pariter, et reliquorum omnium, quae Clemens XI. Vaticanae addixit, MStorum Index conspicitur in ASSEMANI *Bibliotheca Orientali, Tomo I. p. 516. sq.* Idem vir doctus in *Dedicatione, Tomo VI. Operum Ephr. Syri* praemissa, hodierni Pontificis, Benedicti XIV. egregia in hanc ipsam Bibliothecam fusius merita praedicat. Neque tamen minores tribui laudes debent Angelo Mariae Quirino, S. E. R. Cardinali, summoque saeculi nostri ornamento, qui Vaticanam non priuatis tantum, quas Venetiis et Brixiae constituerat, Bibliothecis amplificauit, sed eidem quoque annuos adsignauit re-

ditus, vt praestantissimis semper Operibus splendidior fiat. Vid. *Leipz. gel. Zeitung. anni 1736. p. 59.* et ipsius QVIRINI *Commentar. de rebus ad se pertinent. Parte II. lib. 2. cap. 4.* Nouissime Marchionis Alexandri Gregor. Capponi instructissima libris, maxime Italicis, Bibliotheca, ex legato possessoris, accessit, cuius Catalogus hoc insignitus titulo excusus est: *Catalogo della Libreria* CAPPÓNI, *ossia de' libri Italiani del fù Marchese* ALESSANDRO GREGOR. CAPPONI, *con annotazioni e coll' appendice de' libri Latini, delle Miscellanee e dei Manoscritti. Roma 1747. 4.* Cf. *Leipz. gelehrte Zeit. a. 1749. p. 233.* Praecipuus Bibliothecae Vaticanae thesaurus ex MStis constat, quorum numerus iam superiori saeculo ad sedecim millia voluminum membranaceorum adscendit, MABILLONIO teste, in *Musei Italici Tomo I. P. 1. p. 63.* Ioseph. Iust. Scaliger quidem in *Epistola ad Gruterum p. 728. Epistolar. Frf. a. 1728. edit.* ea non adeo magni esse momenti scribit; verum hoc ita se habuit, antequam Palatina Romam deferretur. Leo enim Allatius in *suis ad* CVRTII INGHIRAMII *Fragmenta Antiquit. Hetruscarum animaduersionibus* ad Codices, eosdemque eximios, prouocat. In tanta eorum copia quidam exsplendent velut luna minores inter ignes, v. g. *Graecus Bibliorum Codex*, sine accentibus, charactere vnciali exaratus, et Alexandrino, qui Londini in Bibliotheca Regia seruatur, palmam faciens dubiam, quandoquidem aetas eius ab aliis in quarto, ab aliis in quinto sextoue, post Christum natum, saeculo collocatur. In Epistola I. Iohannis testimonium de tribus personis non exstare, monet MABILLONIVS *loc. cit.* Hunc ipsum Codicem, ex quo pariter et ex Alexandrino praestantissimam LXX. Interpretum editionem IOH. IAC. BREITINGERVS *Tiguri a. 1730. sq. IV. Voluminibus in 4.* adornauit, singulari descripsit Oratione, et non solum de conditione eius externa et antiqui-

tiquitate, ſed de naeuis etiam, variisque eruditorum iudiciis, diſſeruit IOH. ADAM. OSIANDER *in Orationum triga, Tubingae 1742. 4.* Cf. IOH. SAM. HICHTELII *Diſſ. qua antiquitas et praeſtantia Codicis Romani prae Alexandrino contra Millium adſeritur, Ienae 1734. in 4.* et MONTFAVCON. in *Diario Italico p. 277.* Monſtratur etiam *Virgilii Codex* remotiſſimae vetuſtatis, vnciali charactere, cum figuris miniatis non ita peritae manus, antiqua ſacrificia et alia id genus reconditae gentilium eruditionis exprimentibus, vt, de MABLLONII opinione *l. c.* Conſtantini M. tempus ſuperare videantur. *Fragmenta Codicis huius antiquiſſimi et picturae ad priſcas imaginum formas a Petro Sancte Bartoli inciſa*, prodierunt *Romae a. 1741. in f.* Vid. GOETZII *Merckwürdigkeit. der Königl. Biblioth. zu Dresden, Vol. II. p. 262.* et *die Leipzig. gel. Zeitung. a. 1743. p. 57. ſq.* Nec multum aetate inferior eſt *Codex Terentii,* quem Fuluius Vrſinus vna cum Franc. Petrarchae rhythmis, ipſius Auctoris manu conſcriptis, legauit Vaticanae. Dignus eſt, qui hoc loco videatur, IAN. NIC. ERYTHRAEVS in *Pinacoth. imag. P. I. cap. 4. p. m. 10.* vbi inter alia *peruetuſtis*, inquit, *codicibus, quorum multos in ſua Bibliotheca habebat*, (ſcilicet Vrſinus) *immania pretia faciebat: atque illud accidit perridicule, quod cum, die quodam, Franciſco Cardinali Toleto Terentii comoedias oſtendiſſet, easque affirmaſſet ante annos mille fuiſſe conſcriptas, ac re vera eſſent antiquae, ſed mire deprauatae atque corruptae, atque addidiſſet, nullam eſſe pecuniam, quae antiquiſſimi illius codicis aeſtimationi par eſſet; proh Deus, Cardinalis inquit, quid audio? equidem mallem codicem vnum, quantumuis recens impreſſum, ſed caſtigatum emendatumque, quam decem alios mendoſos et corruptos, quamuis Sibyllae manu exaratos: riſus omnium, qui aderant, eſt factus, cum viderent, rerum earum pretia, quae ille in coelum efferebat, Cardinalis aeſtimatione ſic concidiſſe.* Omnium,

quibus

quibus Bibliotheca Vaticana ſuperbit, MStorum Catalogum plures fuerunt adgreſſi. Ineditum, qui inſcriptus erat *Inuentarium Bibliothecae Diui Sixti IV. Pontif. Max. per Barthol. Platinam*, olim cum b. Struuio communicauit Ioh. Tribbechouius, Adami filius, Profeſſor in Academia Fridericiana, delirus tandem, vt in GVNDLINGII *Sermonibus ad Heumanni Hiſtor. litter. T. I. p. 573.* traditur. Iuſtam is Catalogus diſpoſitionem ſeruat, ita, vt Biblia, Scripta Patrum ſingulorum, Codices hiſtorici, et ad artem oratoriam pertinentes, exhibeantur, omnibus in ſuos loculos redactis. Quis vero nunc eiusdem poſſeſſor ſit, ignoramus. Interim STRVVIVS potiora decerpſit exinde, et in *faſciculo IV. Actorum litterariorum* edidit. Poſt Platinae aetatem Catalogum Bibliothecae etiam fuiſſe continuatum, dubio caret. LEO certe ALLATIVS in *Apibus ſuis vrbanis p. 22.* haec memorat de Alexandro Raynaldo, huius Cuſtode: *Continuauit indicem librorum Latinorum, qui calamo exarati adſeruantur in Bibliotheca Vaticana, addiditque indici ſextum et ſeptimum Tomum, cum quinqe priores confecti eſſent a Dominico eius fratre, dictae Bibliothecae Cuſtode; confecit item indicem librorum Latinorum MStorum, qui ex ſpoliis Electoris Palatini et Heidelberga in Vaticanam Bibliothecam aduecti ſunt, congeſſitque in eos varias obſeruationes et notas. Verum ex hisce nihil editum eſt.* ANTONIVS POSSEVINVS *Adparatui ſacro* Graecorum MStorum Indicem inſeruit, qui licet infra exſpectationem ſit, a SPIZELIO tamen in *Sacris Bibliothecar. illuſtr. arcanis retectis p. 253. ſq.* collocatus fuit. Anno 1736. retulerunt *die Leipz. gel. Zeitung. p. 401.* eruditos quosdam viros, iuſſu Pontificis, MStorum omnium Catalogos adcuratos concinnare, eo quidem conſilio, vt in lucem aliquando ederentur. Qui conatus, laude profecto digniſſimi, vt ad felicem perducantur exitum, Rei publicae litterariae plurimum intereſt. Non enim ſufficere

ficere ea, quae MONTFAVCONIVS in *Bibliotheca MStorum Tomo I. a pag. 1. vsque ad p. 156.* attulit, facile omnes peritiores perſpiciunt. Orientalium Codicum recenſionem, adplaudentibus Muſis, ante hos triginta et quatuor annos ſuſcepit laudatus ſupra IOSEPH. SIMONIVS ASSEMANVS in *Bibliotheca Orientali Clementino-Vaticana*, cuius *Tomus I. Romae 1719. Tomus II. 1721. Tomi III. Pars I. 1725.* et *Pars II. 1728. in f.* prodiit. Tomum etiam IV. lucem vidiſſe perhibent *die Leipz. gel. Zeit loco ſupra citato;* ſed falſus haud dubie nuntius ea de re ad Lipſienſes peruenit, ſaltim omnes, quos conſuluimus, id ignorant. Plures autem Tomos Auctorem eſſe meditatum, intelligimus ex *Actis Erud. Lat. Supplem. Tomo VIII. p. 2.* vbi totius inſtituti ratio exponitur; ideoque dolendum ſane, nondum vltimam impoſitam fuiſſe manum Operi inchoato, in quo, vt vere adſeritur, ſingulorum Scriptorum nomina, aetas, acta, libri, eorumque auctoritas, antiquitas, argumentum et vſus ſollicite, imo et copioſe ſaepius, indicari ſolent. Leges Bibliothecae tabula marmorea, quae in eadem exſtat, his conceptas verbis continet: *Sixtus V. Pontif. Max. perpetuo hoc decreto de libris Vaticanae Bibliothecae conſeruandis, quae infra ſunt ſcripta, hunc in modum ſancita ſunto, inuiolateque obſeruantor. Nemini libros, codices, volumina huius Vaticanae Bibliothecae ex ea auferendi, extrahendi, alioue aſportandi, non Bibliothecario, neque Cuſtodibus, ſcribisque, neque quibusuis aliis, cuiusuis ordinis et dignitatis, niſi de licentia ſummi Romani Pontificis ſcripta manu, facultas eſto. Si quis ſecus fecerit, libros partemue aliquam abſtulerit, extraxerit, clepſerit, rapſeritque, carpſerit, corruperit dolo malo, ille a fidelium communione eiectus, maledictus, anathematis vinculo colligatus eſto. A quoquam, praeterquam a Romano Pontifice, ne abſoluitor.* Cf. CICARELLA in *Collect. Madero-Schmidiana p. 112.* et NEMEITZII *Inſcript. ſingular. Faſciculus p. 207.* vbi

tamen

tamen non nulla ſe aliter habent. Ex his igitur legibus permiſſum Pontificis impetrare debuerunt Baronius atque Kircherus, antequam libri ipſis ex Bibliotheca Vaticana priuatos ad vſus concederentur. Inter Cardinales Bibliothecarios ac Protectores nominatus modo Baronius atque Henr. Noriſius prae caeteris noti ſunt. Omnium eorum Catalogus, iuxta chronologicum ordinem confectus, reperitur in IOH. CIAMPINI *Examine libri Pontificialis, ſeu vitarum Romanorum Pontificum, quae ſub nomine Anaſtaſii Bibliothecarii circumferuntur. Romae a. 1688. in 4.* Praeſtantior tamen labor eſt eminentiſſimi purpurati ſcriptisque eruditiſſimis celeberrimi, et hodie Vaticanae Praefecti, ANGELI MARIAE QVIRINI, quippe qui in *Decade Epiſtolar. Brixiae 1742. in 4. mai. Epiſtola VI.* Cardinales Bibliothecarios ab Hieron. Aleandro, annoque Chriſti 1519. ad noſtra vsque tempora, ſtudioſe recenſuit. Ex Cuſtodibus huius Bibliothecae famam nominis ſui ad poſteros propagarunt Nicol. Alemannus, Lucas Holſtenius, Leo Allatius, Eman. Schelſtrat, Laur. Alex. Zacagnius, et, qui hodie munus illud ornat, Ioſeph. Sim. Aſſemanus. Hiſtoriam Vaticanae a variis eruditorum expoſitam nouimus. MVTIVS PANSA *Romae a. 1590. in 4.* edidit librum nunc rariorem, cui titulus: *della Libraria Vaticana Ragionamenti* caet. Sed generalia tantum pertractat Auctor, dum de litteraria re diuerſarum gentium, Bibliothecis celebrioribus, hiſtoria Conciliorum Romanorum atque ſimilibus agit, inter quae de litterarum inuentione multa quidem erudita, at loco maxime alieno, profert. Memorat etiam Sixti V. Opera, et vbi ad ipſam Bibliothecam accedit, ornatum deſcribit tantum ac picturas illius; ideoque MORHOFIVS in *Polyhiſt. Tomo I. lib. 1. cap. 17. §. 25. quod ad ipſam*, ait, *Bibiothecam attinet, parum ab Autore illo adfertur, quod memoratu dignum: nam in digreſſionibus totus eſt, quae plane ad hoc argumentum non perti-*

pertinebant. Immiſcet multa de picturis huius Bibliothecae, de litteris et Alphabetis, de litterarum artiumque Autoribus, de Bibliothecis aliarum gentium; quibus non erat hic opus. Sequutus Panſam fuit ANGEL. ROCCHA, cuius *Bibliotheca Apoſtolica Vaticana a Sixto V. in ſplendidiorem commodioremque locum tranſlata, Commentario variarum artium ac ſcientiarum materiis curioſis ac difficillimis, ſcituque dignis refertiſſimo illuſtrata, Romae a. 1591. in 4.* excuſa eſt. Sed hic itidem Scriptor, indice CONRINGIO *de Biblioth. Auguſta p. 191. ap. Schmid.* nihil habet dignum memoratu, praeterquam quod ex compilatis Onuphrii Panuinii hactenus latentibus monumentis illaudabili facinore eſt ſubductum. Cf. MORHOFIVS *l. c. §. 26.* Copioſe recenſetur hic liber ſummae raritatis in *Theſauro Bibliothecali, Norimbergae* diuulgato, *Volum. I. p. 313. ſq.* Praeter hos in *Collectione Madero-Schmidiana de Bibliothecis* varia etiam Excerpta de Vaticana exſtant, ſcilicet narratio FRANCISCI SCHOTTI, quae ex *eiusdem Itinerario Italiae lib. II. cap. 10. p. m. 437. edit. Amſtael. a. 1655. in 12.* deſumta eſt; dicti ſupra PANVINII ſcriptum, quod ineditum primus in lucem protulit IOH. BAPTISTA CARDONA in *IV. Tractatibus rariſſimis, Tarraconae a. 1587. 4.* poſt SCHOTTVS *l. c. p. 440. ſq.* inſeruit, quamuis de Bibliothecis veteris Eccleſiae, et Vaticane Bibliothecariis, diſſerat Auctor potiſſimum; ac denique ANTON. CICARELLAE *Bibliothecae Vaticanae deſcriptio,* ex *Vita Sixti V. Hiſtoriae Platinae* ſubnexa, *Colon. a. 1626 4. p. 468. ſq.* quae tamen inſcriptiones tantum et picturas varias ante oculos ponit. Legi etiam de eadem Bibliotheca poſſunt laudati iam ſupra Benedictini celeberimi, IOH. MABILLONIVS in *Muſeo Italico, Tomo I.* qui *Pariſ. a. 1687. in 4.* prodiit, *p. 62. ſq.* et BERN. MONTFAVCON. in *Diario Italico, p. 276. ſq;* GREGOR. LETI in *Vita Sixti V. p. 541 edit. Germ.* vbi vero pleraque ex Cicarella hauſit; MAXIMIL.

MIL. MISSON in *Itinere per Italiam*, *P. II. p. 620. sq. edit. German. anni 1713. in 8*; NEMEITZ. in *der Nachlese besonderer Nachricht. von Italien*, *p. 221. sq.* et IOH. GE. KEYSLERVS in *den neuesten Reisen*, *Tomo I. p. 791. sq. edit. prioris.* *) Sed hos omnes Scriptores longo post se interuallo reliquit ASSEMANVS, qui *Tomo I. Biblioth. Orientalis* praemisit *Bibliothecae Vaticanae historiam*, a nobis hic adhibitam. Aedificii, in quo adseruatur illa, Conspectum, post insignem aulae accessionem, ei factam a Clemente XII, tabulae aeneae incidit, annoque 1735. splendidissime edidit IOH. BAPTISTA SINTES. Vid. *Leipz. gel. Zeit. a. 1736. pag. 58.* Constructum illud ad figuram litterae T esse, adserit MONTFAVCON. *l. c. p. 276.* quae duo minora aedificia, a latere maioris adiecta, Bibliothecae inseruire secretiori, CICARELLA testatur *loc. cit. p. 105. ap. Maderum.* Triplex enim dicitur Bibliotheca Vaticana, scilicet vna patens diebus profestis per duas horas, altera secretior, cui adiuncta est tertia clausa, nec peruia omnibus, quae, a Sacerdotibus D. Petri concinnata, postea, siue negligentia hominum, siue fraude, exhausta prope et exinanita fuit, scribente sic MVRETO ad Turnebum, *lib. II. Epist. 18.* vbi refert etiam, se post multas difficultates introductum in eandem, vidisse volumen quoddam perantiquum *Philippicarum Marci Tullii*, ex quo multa in his Orationibus mutila expleuerit, multa temere addita resecuerit, multa corrupta ac deprauata sanauerit ipse, suaeque restituerit integritati. Hunc autem librum ante septingentos annos esse exaratum credit. Cf Le GALLOIS *Traité des Bibliotheques*, *p. 93.* quo loco haec de Bibliotheca Vaticana clausa subiun-

*) Struuius prouocauit quoque hoc loco ad FERDIN. CAROLI *Tom. I. Templi Vaticani*, nec non ad SWEERTIVM in *Admirandis Vrbis Romae*, quae an recte se habeant, inuestigare non licuit; sit igitur fides penes Auctorem.

subiunxit: *Parcequ'elle a toûjours contenu des livres plus rares, que les deux autres, la plûpart des Papes en ont si bien accomodé leurs familles, qu'elle est maintenant presque toute epuisée.*

§. XIX.

Praeter Vaticanam complures adhuc aliae Bibliothecae excellentes in vrbe Roma reperiuntur. Inter has memorari debent

I.) Bibliothecae *Iesuitarum.* Prior illorum propria est, quam ordinauit olim Iohannes Lorinus. Altera est Marci Anton. Mureti; tertia Cardinalis Bellarmini, et quarta Ioh. Baptistae Coccinii, quae omnes accesserunt quidem, sed locis separatis sunt collocatae. Sic etiam Cardinalis de Monte Regale et Francisc. Toletus suas legarunt Bibliothecas, MSta vero Graeca Francisco Turriano debentur. Addimus, Stanislaum Resci, Decanum Varsouiensem, saec. XV. celebrem, Bibliothecae suae instructissimae libros impressos omnes huic societati reliquisse, MStis Codicibus Academiae Cracouiensi dicatis. Vid. IANOTZKI *von rar. Pohlnisch. Büch. der Zaluskischen Biblioth. P. I. p. 90.*

II.) Bibliotheca *Seruitarum in Monasterio S. Marcelli*, per Andream, Ordinis Praesidem, a. 1382. erecta. Aucta post fuit alia Episcopi Cumani, et Cardinalis Androini Roccae.

III.) Bibliotheca *Patrum Oratorii Ecclesiae nouae*, quae instructissima est, et ex legato Cardinalis Baronii atque Achillis Statii plurimum locupletata. Cf. MABILLON. *Musei Italici Tomo I. P. 1. p. 67. sq.*

IV.) Bibliotheca *Augustinianorum alla Sapienza*, quae et Angelica dicitur, quia ab Angelo Roccha ea conditione a. 1605. legata est, vt omnibus, qui ea vti vellent, pateret, eandemque amplifica-

tam fuiſſe Laur. Pignorii et Lucae Holſtenii libris auctor eſt MISSON *l. c. p. m. 897.* De Holſtenio iuuabit hic verba adiicere IOSEPHI SABATINI, Bibliothecae quondam Angelicae Praefecti, in *Vita Chriſtiani Lupi*, quae inſerta eſt *Nouis litter. Germ. a. 1708 p. 401. ſq.* vbi *p. 405.* haec: *Parauerat Holſtenius Bibliothecam, tam voluminum numero, quam pretio, ſingularem. Decreuerat non ut plerique, oſtentationi et luxui priuatim domi illam habere, ſed Studioſorum commodo ac vtilitati publicare. Viro Principi, cui in vrbe ſumma poteſtas, Holſtenii conſilium innotuerat; quid enim in vrbe, rumorum auida, latere poteſt? Itaque ille non obſcure cum per miniſtros, tum per ſe, Holſtenium iam prehenſabat, vt Bibliothecae Vaticanae, aut Alexandrinae, ſuam quoque adiicere vellet. Ambigebat Holſtenius et animo valde fluctuabat, nec ſatis per ſe ipſum ab eo aeſtu expedire ſe poterat, donec haeſitationem Lupo pro amicitia aperuit, qui ipſi auctor fuit, Bibliothecam ſuam Angelicae legandi: quod paullo poſt ab Holſtenio factum eſt, magno vtique Studioſorum commodo, nec minori Bibliothecae noſtrae incremento.* Cf. *Acta Erud. Germanica P. CIX. p. 6.* et MONTFAVCON in *Diario Ital. cap. XVIII. princ.* qui tamen ſcribit, Bibliothecam illam Codicibus tum cuſis, tum manu exaratis, μετρίως inſtructam: in MStis Graecos modico numero eſſe, et vtplurimum recentes. *Anno 1608 Romae in 8.* prodiit *Bibliotheca Angelica, litteratorum litterarumque amatorum commoditati dicata*; ſed complectitur hoc Opuſculum titulos modo et claſſes, in quas diuiſa eſt Bibliotheca Angeli Rocchae, non vero ipſorum librorum Indicem, prout monetur in *Catalogo Biblioth. Bunauianae, Tomo I. vol. 1. p. 852.*

V.) Bibliotheca in *Monaſterio S. Baſilii*, quam ſtudio

dio Petri Mennitii, Ordinis Praefecti, Codicum Graecorum feſtiua copia exornatam eſſe, idem MONTFAVCONIVS *l. c. cap. XV. p. m. 210.* memorat, additque ſubinde, Patrem hunc, quia in variis ſibi ſubiectis Calabriae Monaſteriis Codices iſtos, obſoleto pene Graecae linguae vſu, iacere intactos neglectosque acceperit, imminenti iam exitio ſubduxiſſe, inque vrbem aduehi in vſum eruditorum curaſſe. Paullo poſt exhibet Graecorum Codicum, qui plurima ex parte membranacei ſunt, Catalogum, eosque eleganter plerumque et adcurata induſtria eſſe deſcriptos, neque his emendatiores ſe reperiſſe, in *Palaeogr. Gr. p. 112.* adfirmat.

VI.) Bibliotheca *S. Mariae ſupra Mineruam*, quam a Dominicanis Patribus ſelectis inſtructam libris fuiſſe, et omnibus fere diebus patere, NEMEITZIVS *l. c. p. 193.* teſtatur. Commendat eam MONTFAVCON. in *Diario Italico Cap. XVII. p. 246.* auctamque eſſe ſubiungit magna librorum acceſſione Cardinalis Caſanatae.

VII.) Bibliotheca *Lanciſiana*, plus octo millibus librorum Medicorum et Philoſophicorum conſtans, quam primus poſſeſſor, Ioh. Maria Lanciſius, intimus Pontificis Cubicularius et Archiater, variisque ſcriptis celeberimus, a. 1714. fecit publicam, inque atrio Xenodochii S. Spiritus collocauit, addita ſimul certa pecuniae ſumma, vt augeri eadem indies queat. Vid. *Acta Erud. Lat. a. 1715. pag. 144.* et illuſtris BVDERI *Diſſ. de Bibliothecis legatis, p. 667. Opuſculorum.* Catalogus horum librorum *Romae a. 1718. in 4.* excuſus eſt ſequenti titulo: *La Bibliotheca Lanciſiana, o vero diſtinto Rogguoglio della publica Libreria eretta l'anno 1714. nel ſacro Pontificio Archioſpedale di S. Spirito di Roma da Giov. Maria Lan-*

 ciſi,

cisi, descritto dall' Abbate Christoforo Carsughi, con una Orazion de recto vsu Bibliothecae.

VIII.) Bibliotheca in *Coenobio Minimorum*, quam situ et prospectu amoenissimam, librisque cura Roletii, Ordinis quondam Procuratoris, probe munitam dicit MONTFAVCONIVS in *Diar. Ital. cap. XVI. p. 229.*

Tacemus alias, e. g. Bibliothecam *Ecclesiae D. Iacobi* Hispanorum, quam legauit Petrus Ciacconius; *Mariae in ara coeli; S. Isidori; Collegii de propaganda fide*, caet.

Cardinalium quoque Bibliothecae suam laudem habent, illorum cum primis, in quorum familia Pontifices olim claruerunt, quandoquidem ii ipsi dederunt operam, vt genti suae, praeter Palatium magnificum, insignem librorum adparatum relinquerent. Pertinent huc

A) Bibliotheca *Ottoboniana*, quam Alexander VIII. constituit, et non solum septem librorum millibus, ab herede Christinae Reginae, coemtis, sed tribus etiam MStorum Codicum adauxit millibus, quos olim Sirletus, Cardinalis, collegerat. Vid. ARCKENHOLTZ *Memoires concernant Christine, T. II. p. 323.* et KEYSSLERI *neueste Reisen T. II. p. m. 59.* vbi et refertur, exstare ibidem ex MStis Pyrrhi Ligorii Volumina XVIII. in f. scilicet *Lexicon* eius XV. Tomis; *Effighie d'alcuni heroi ed heroine illustri*, *de Filosofi*, *Oratori*, *Poëti*, *Historici*, *Geografi*, *e grandi Capitani*, item *Inventori dell' Arte*; *delle famiglie antiche di Roma;* ac denique *de' Magistratu antichi di Roma.* Addit, monstrari simul *MStum Codicem Theodosianum*, octingentorum circiter annorum, *Iornandem de rebus Geticis*, eiusdem aetatis, et aliquot *Epistolarum autographarum*, *quas Christina ad Salmasium exarauit*, *Fasciculos*, vna cum *aliis huius Reginae scriptis*, quae XVIII. Tomos in f. conficiant.

ciant. MONTFAVCONIVS *l. c. cap. XVIII. p. 253.* Bibliothecam istam Codicum Hebraicorum, Graecorum Latinorumque praestantia et numero soli Vaticanae concedere scribit; in *Bibliotheca vero MStor. Tomo I. p. 183. sq.* eiusmodi Codicum Indicem concinnauit.

B) Bibliotheca *Chigia*, ob numerum et excellentiam librorum excusorum a MONTFAVCONIO in *Diario cap. XVII. p. 237.* laudata. Neque destituta est MStis Graecis pariter et Latinis. Inter Graeca eminent *Codex* eximiae notae membranaceus, saeculo decimo confectus, in quo *Prophetae omnes maiores et minores cum Origenis et Hesychii Commentariis, et Epistolis Praefationibusque antiquis*, nec non *Codex* membranaceus saeculi itidem decimi, elegantissime descriptus, in quo *Dionysii Halicarnassensis historiae*, cum figura eiusdem Dionysii ab initio ex antiquiori, vt videtur, Codice adcurate delineata, minioque picta. Nullum eius Scriptoris pari antiquitate et praestantia Codicem se vidisse adserit idem Auctor *l. c.* qui et conferri meretur in *Bibl. MStor. Tomo I. pag. 174.*

C) Bibliotheca *Barberiniana*, de cuius Catalogo supra dictum *Cap. I. §. 23.* Condidit illam Franciscus Barberinus, S. R. E. Cardinalis Vice-Cancellarius, creuitque ex legato MStorum, quae Lucas Holstenius habuit, illi quondam Bibliothecae Praefectus. Disserit de eadem MONTFAVCON. in *Diario cap. XV. pag. 210.* vbi haec: *Librorum copia omnibus praestat. Codicum item magna vis est, Latinorum maxime: Orientales atque Graeci perpauci comparent. Ac etsi haud libero exterorum aditu Bibliotheca frequentetur, Graecos tamen Codices raptim semel inspectare licitum fuit; et quia, contra quam rumore nuntio audieram, exi-*

guum prorſus numerum animaduerti: percontanti, quorſum abiiſſet illa Graecorum Codicum copia, quae in Barberinis aedibus exſtare omnium ore ferebatur, reſponſum eſt, iam a multis annis cum exportarentur Codices, a baiulis multos venum oblatos, et ad quingentos eiusmodi caſu abſtractos diſſipatosque. Cf. IDEM in *Palaeogr. Graecae Praefatione p. 23.* et KEYSSLERI *Reiſen T. II. p. 52.* quo loco memoratur, voluminum typis impreſſorum ſexaginta circiter millia adeſſe, MSta vero ſcriniis incluſa in ſingulari conclaui adſeruari. In GVNDLINGII *Sermonibus litter. ad Conſpectum Heumann. T. I. p. 536.* docetur ex MABILLONII *Muſeo Italico p. 133.* Bibliothecam Barberinianam viginti et octo amplius librorum, et MStorum plusquam quinque millia complecti; ſed Mabillonius de numero nihil habet, dicens tantum, nullam Romae, poſt Vaticanam, numeroſiorem eſſe. Caeterum notatu dignum eſt, quod Clemens IX. Pontifex Bibliothecae Barberinianae conceſſit priuilegium; hoc ipſo enim licentia data libros quoscunque prohibitos habendi in eadem atque legendi, ita tamen, vt ſecreto, et ſine aliorum ſcandalo ac periculo, cuſtodiantur. Praemiſſa haec Pontificis Bulla eſt *Catalogo Bibliothecae Barberinianae*, ac poſtmodum inſerta STRVVII *Diſſertationi de iure Bibliothecarum, cap. I. num. 34.*

D) Bibliotheca *Cardinalis Imperialis*, de qua MONTFAVCONIVS in *Diario cap. XVII. p. 238.* paucis agit. Add. quae ſupra ſunt dicta *Cap. I. §. 23.* vbi *Catalogum huius Bibliothecae, Romae a. 1711. in f.* editum, recenſuimus.

E) Bibliotheca *Altieriana*, a Cardinali huius nominis adornata. Eam centum Scutatorum nummorum millibus comparatam, librisque cum excuſis, tum exaratis manu, probe inſtructam eſſe, KEYSSLERVS *l. c. p. 45.* teſtatur. Accedit

dit egregius Numiſmatum atque Gemmarum adparatus. Addenda poſtremo

F) Bibliotheca *Dominici Paſſionei*, Abbatis olim, nunc Cardinalis, quae librorum copia ac delectu inſignis dicitur. Iam pridem eam ornarunt Codices MSti, inter quos ducenti circiter Graeci ſunt. Quaedam ex his ſpecimina dedit MONTFAVCONIVS in *Palaeogr. Gr. lib. IV. p. 290. ſq.* et in *Adpendice p. 510.* IpſumPaſſioneum ita laudat Auctor *loco priori: Litteratorum commodis ſic aduigilat Paſſioneus, vt quae vel penes ſe habet, vel amicorum ope nanciſci poteſt, quibusuis litterariae rei operam dantibus nec rogatus offerat* caet. Omnium Codicum MStorum Catalogus promiſſus eſt nouiſſime, prout intellegimus ex Diario Lipſienſi, *Zuverläſsige Nachrichten* dicto, *Parte CXXXV. p. 191.*

§. XX.

Florentiae omnium Bibliothecarum ſplendidiſſima eſt *Medicea*, quae a Coſmo primum, deinde a Laurentio Medices, reliquisque Hetruriae Ducibus collecta fuit atque locupletata. Cf. BENED. BACCHINI in *Dedicat. Operibus Cornel. Helenae Lucretiae Piſcopiae* praemiſſa, *Parmae a. 1688. in 8.* Laurentius eam in rem vtebatur potiſſimum Ioh. Laſcare, qui ad conquirendam ſupellectilem librariam longe lateque peregrinatus eſt, ac poſtea, illo mortuo, in aulam Ludouici XII. Regis Francici conceſſit. Nec a vero alienum eſſe videtur, quod legimus in GVNDLINGII *Praefationib. ad Heumanni Conſpectum, Tom. I. p. 546.* ſcilicet eodem etiam conſilio adhibitum a Laurentio fuiſſe Angelum Politianum. Quanta enim apud hunc Principem gratia floruerit Angelus, paſſim docet illuſtris MENCKENIVS in *Vita eius*, elegantiſſime conſcripta, cum primis *p. 91. ſq. et p. 117. ſq.* Erat certe Laurentius alter ſaeculi ſui Maecenas, et librorum

amantiſſimus, de quo notatu digna ſunt Nicolai Leoniceni verba in POLITIANI *Epiſtolis lib. II. Epiſt. 7. p. m. 56.* vbi ſic ſcribit ad amicum ſuum: *Praeterea tibi omnia ad ingenue philoſophandum adiumenta ſuppeditat fauor ac gratia Laurentii Medicis, maximi hac tempeſtate ſtudiorum patroni, qui, miſſis per vniuerſum terrarum orbem nunciis, in omni diſciplinarum genere libros ſumma ope conquirit, nulli ſumtui parcit, quo tibi, ac reliquis praeclaris ingeniis, bonarum artium ſtudia aemulantibus, inſtrumenta abundantiſſima paret. Audiui, te referente, vocem illam praeclaram ex Laurentii ore prodiiſſe, optare tanta ſibi abs te, ac Pico noſtro, ad libros emendos praeſtari incitamenta, vt tandem deficientibus ſumtibus totam ſupellectilem oppignerare cogatur.* Neque praetermitti debet alius locus *lib. IV. Epiſt. 2. p. 132.* quo Politianus ipſe Laurentii ex hac vita diſceſſum deſcribens, eum morti proximum dixiſſe refert ad Angelum et Picum Mirandulam: *Vellem, diſtuliſſet me ſaltim mors haec ad eum diem, quo veſtram plane Bibliothecam abſoluiſſem.* Quid vero cum antiqua illa Bibliotheca actum ſit ſub ſaeculi XV. exitum, THVANVS indicat *libro I. de vita ſua, p. m. 1295. Tomo V. Opp. Frf. a. 1614. in 8. mai.* editorum. *Petrus*, ait, *Victorius ſubinde ingemuit, quod antiqua Medicea tanti nominis Bibliotheca per ſeditiones domeſticas Romam, et inde extra Italiam auecta erat. Ea eſt, quam Catharina, Regum noſtrorum parens, magno pretio, quantumuis Coſmo contradicente, comparatam, in Galliam tranſportandam impetrauit, et per Bibliothecarium ſeorſim, quamdiu vixit, apud ſe habuit. Quam demum Thuanus a creditoribus eius pecunia Regis redemtam in Bibliothecam Regiam inferendam curauit, et congeſtum a magnis Regibus theſaurum tanta acceſſione locupletauit.* Factum hoc eſſe dicitur a. 1494. quum Petrus Mediceus, eiusque frater, Iohannes, poſtea, adſumto Leonis X. nomine, Pontifex Maximus, Florentia eiicerentur; tunc enim a furioſa plebe Bibliothecam,

tantis comparatam ſumtibus, diſſipatam fuiſſe, recollectamque deinceps a Petro Stroſſio demigraſſe Lutetiam Pariſiorum. Nouam igitur Bibliothecam ſaec. XVI. conſtituiſſe in vrbe Florentinorum Iulium Mediceum, quem ſub nomine Clementis VII. Pontificem ſcimus, eamque plenius inſtructam fuiſſe a Coſmo Magno, cuius in litteras merita exponit IOSEPH. BIANCHINI in ſcripto Italico *dei gran Duchi di Toſcana della Reale Caſa d'Medici, Protettori delle lettere, e delle belle arti. Venet. a. 1742. in f. mai.* Sed longe alia diſcimus a doctiſſimo Auctore *du Memoire hiſtorique ſur la Bibliotheque du Roi*, quae ampliſſima Diſſertatio *Parti I. libror. impreſſorum in Biblioth. Regia Pariſienſi* praemiſſa eſt. Opere hoc non vbiuis certe obuio, ipſa eius verba adiiciemus, quae *p. 19.* leguntur. Ita vero ille: *Quant au prétendu pillage de la bibliotheque des Medicis, le ſilence d'un autheur, qui paroit parfaitement inſtruit de l'origine, du progrès et des differentes révolutions de cette bibliotheque, nous paroit ſuffirre pour détruire cette opinion. C'eſt Ferdinand Leopold del Migliore, qui dans ſon livre intitulé Firenza illuſtrata, imprimé à Florence en 1684. p. 175. et 176. ne dit nulle part, ni que la bibliotheque des Medicis ait eſté diſſipée, ni qu'on en ait fait aucun démembrement conſiderable: il rapporte au contraire, que Pierre de Medicis ayant eſté forcé d'abandonner Florence à l'arrivée de Charles VIII. ſes livres furent mis à l'enchere, et achetez trois mille florins d'or par les moines des S. Marc; qu'à quelque temps de-là arriva l'affaire de Savonarole; que le monaſtere de S. Marc, dont Savonarole eſtoit religieux, eut part à ſa diſgrace, et qu' on en oſta la bibliotheque de Medicis: il adjoûte, que Jean et Julien de Medicis ayant eſté rappellez de leur exil, elle leur fut rendue, comme à ſes anciens maiſtres; et que pour ne la plus laiſſer à l'avenir expoſée aux inſultes d'un peuple inconſtant et mutin, on luy asſigna un logement chez les Chanoines de la collegiale de S. Laurent: il nous ap-*

prend enfin, que Leonard Bartholin remit en ordre les livres, que les divers changemens de lieu avoient dérangez, et rassembla les feuilles dispersées de plusieurs volumes rompus ou mal reliez. Perſpicimus inde, praetermiſſis quae forte moneri ad haec poſſent, hanc ipſam Bibliothecam repoſitam tandem fuiſſe in Monaſterio S. Laurentii, vbi adhuc hodie ſeruatur, teſte, qui admiſſus in eandem eſt, KEYSSLERO *T. I. der neueſt. Reiſen, p. m. 534.* et NEMEITZIO in *der Nachleſe beſonderer Nachr. von Ital. p. 348.* MStorum, quae in pluteis iacent catellis firmata, quinque fere millia volumina hic exſtare idem KEYSSLERVS *l. c.* ſibi relatum perhibet, addens tamen, his adnumerari quinquaginta circiter Codices ante ſaec. XVI. typis impreſſos. Inter ea Codices Graeci circiter mille inueniuntur, in quibus multi ſunt antiquiſſimi, magnique pretii, atque adeo Bibliotheca illa praeſtantiſſimis iure ac merito eſt adiungenda. Vid. MONTFAVCON. in *Praefat. Palaeogr. Graecae p. 24. Catalogum horum MStorum* HENR. ERNSTIVS *Amſtael. a. 1641. in 8.* edidit, ſed imperfectus eſt admodum, neque adcuratus ſatis, quippe ex MStorum tantum titulis, qui pluteis adfixi, concinnatus, obſeruante id iam pridem MEIBOMIO in *notis et augment. Voglerianae Introd. vniuerſalis in notitiam Scriptor. p. 155.* Interim rarius occurrit liber, nullibi, quantum ſciamus, recuſus. Auctiorem MStorum Catalogum poſtea confecit GVIL. LANGIVS, qui ineditus ex auctione Bibliothecae Gudianae in manus Ioh. Alb. Fabricii peruenit, moxque acceſſit nouae editioni *Prodromi Lambeciani, p. 135. ſq.* Inde patet, non recta incedere via NEMEITZIVM, dum *l. c.* ſcribit, ab ipſo Langio Catalogum huncce in lucem eſſe prolatum. Neque tamen labor iſte ſatisfecit eruditis, mancus hinc inde ac mutilus. Praeteritis enim Latinis atque aliarum linguarum Codicibus, Orientales duntaxat et Graecos recenſuit. Meliora praeſtitit LVCAS HOLSTENIVS

NIVS, qui, quum esset Florentiae, a. 1640. Indicem composuit de libris optimis et maximam partem ineditis Bibliothecae Mediceae, addito iudicio de praestantia et raritate eorundem. Ad selectos igitur Codices respexit tantum Auctor, sed ita suis perfunctus est partibus, vt omnes, qui viderant opellam, eius editionem optarent, quod factum est tandem a MICH. LILIENTHALIO in *Selectis historicis et litterariis, P. I. obseruat. 4. p. 85. sq.* Varios tamen errores, quos Holstenius aliique in delineandis Mediceae Bibliothecae MStis commiserunt, notat et corrigit IOH. LAMIVS in *Deliciis Eruditorum*, sub finem *Tomi III. Florent. 1737. 8.* prout indicant *die Leipz. gel. Zeitung. a. 1738. p. 114.* Nouissime amplissimum Codicum manu exaratorum, qui in hac sunt Bibliotheca, Catalogum exhibuit MONTFAVCONIVS in *Biblioth. MStorum, T. I. p. 239. sq.* quem sequutus est STEPHANI EVODII ASSEMANI, Iosephi Simonii ex fratre nepotis, *Bibliothecae Medicae Laurentianae et Palatinae Codicum MStotorum Orientalium Catalogus, cum notis, curante* ANTON. FRANC. GORIO *Florent. a. 1742. inf.* splendidissime absolutus. Accedunt, praeter figuras aeneas viginti sex, Indices locupletissimi, vt commodior sit vsus Operis, digni, quod summo adplausu ab eruditis exciperetur. Non solum enim Orientalem litteraturam mirifice ornat, verum etiam in historia ecclesiastica, litteraria et philosophica multam vtilitatem spondet, et amoenissimi exinde flores decerpi poterunt. Ita iudicatur in *Actis Erud. Latin. a. 1747. p. 66.* post fusam huius Catalogi recensionem, quae *pag. 49.* incepta est. Ex conspectu etiam Operis, qui Praefationi succedit, intelligitur, Codicum Hebraicorum, cum reliquis in Medicea exstantibus, Catalogum parare ANTON. MARIAM BISCIONI, Bibliothecae Praefectum, cui vt placeat adcuratam adnectere historiam eiusdem, rei litterariae caussa in votis habemus.

Cf.

Cf. *Leipz. gel. Zeit. a. 1740. p. 123.* vbi ſimul ſermo eſt de ipſius *aedificii deſcriptione,* duabus ac viginti tabulis aeneis ornata, quae in forma maxima elegantiſſime prodiit *Florent. a. 1739.* En! integrum titulum: *La Libreria Mediceo - Laurenziana, Architettura di Michel Agnolo Buonarotti, Architetto Fiorentino, diſegnata e illuſtrata da Giuſeppe Ignazio Roſſi, Architetto Fiorentino, Dedicata a S. A. Elettorale la ſereniſſima Anna Maria Luiſa, Elettrice Palatina del Reno, Gran Principeſſa di Toſcana* caet. Inter MSta rariora prae caeteris notari meretur peruetuſtus *Virgilii Codex*, et Vaticano neutiquam poſtponendus, quem collocant vulgo in quinto poſt natum Seruatorem ſaeculo. Litteris ille maiuſculis in membrana eſt exaratus, et a MONTFAVCONIO *l. c. p. 318.* ex Noriſii Cenotaphiis Piſanis ita deſcribitur: *Codex iſte omnium huius Bibliothecae antiquiſſimus mille ducentorum circiter annorum, nam circa imperium Valentis, vel Theodoſii, ſcriptum exiſtimo. Sed vitium eſt in Opere tam auguſto, quod primis duobus quaternionibus, initium Bucolicorum continentibus, mutilum adparet, qui quidem, vt aiunt, a Bibliothecario quodam domi ſeorſim aſportati, vt per bibliopegum loco ſuo reſtituerentur, eodem morte praeuento perierint. Magna ſane et irreparabilis iactura, quam ſarcire non minoris foret difficultatis, quam picturam Apellis ad praeſcripta lineamenta abſoluere.* Ex hoc ipſo Codice, de quo NIC. HEINSIVS ſingulari *Diſſertatione* egit, praefixa BVRMANNI *Virgilio, Amſt. 1746. in 4.*, cui addatur BERGERI *Stromateus Academ. in Praef. pagina*, ſi numeres, 13, litteris maiuſculis a PETRO FRANC. FOGGINIO editus eſt Virgilius, *Florent. a. 1741. in 4.* promiſſusque pariter Tomus II. in quo data opera de MSto illo celeberrimo verba facere conſtituit Fogginius, ſed fidem, quantum ſciamus, nondum liberauit. Cf. GOETZII *Merckwürdigk. der Königl. Bibliothec zu Dreſden, Tomo II. p. 254.* Nec vulgaris pretii eſt *Corn. Taciti*

et

et *Apuleii Volumen*, ſcriptura Longobardica, quod admirandae vetuſtatis vocat Holſtenius apud LILIENTHALIVM *l. c. p. 107.* Adeſt etiam *Curtii Codex* ſeptem et amplius ſaeculorum, cuius mentionem iniiciunt WAGENSEILIVS in *Pera libr. iuuenil. Locul III. Parte altera, p. 178.* et MONTFAVCON. *l. c. p. 368. n. 35.* Reliqua Cimelia ex Catalogis cognoſcent facile harum rerum amatores. Referunt huc non nulli, ſed falſo, nobiliſſimum illud *exemplar Pandectarum*, quas *Florentinas* dicunt; in publico enim ciuitatis Palatio inter gazas Principis diligentiori cura ſeruatur, teſte fide digniſſimo, HENR. BRENCMANNO, in *Hiſtor. Pandect. Florentinar. lib. I. cap. 10. p. 64.* vbi et aliorum notantur errores. Prodiit liber, iucundiſſimus lectu, *Vltraiecti a. 1722. in 4.* et omnia complectitur, quae memorari de Opere tantae raritatis poſſunt. Duo ſunt Volumina prope quadrata formae vel hodie pergrandis, quamquam quibusdam indiciis margines bona parte reciſi adparent ac diminuti. Membranae, quibus inſcriptae ſunt litterae, candidiſſimae exſiſtunt ac tenuiſſimae, ita quidem, vt ad calidioris manus contactum criſpentur, inque cincinnos ſe volutent. Quaelibet pagina in duas diuiditur columnas, quae ſingulae verſus quadraginta quinque continent. Praeter exeſa obſoletaque verba quaedam, alicubi etiam lacerata deprehenditur membrana, et rudiori contrectatione diuulſa, imo non nunquam, rarius tamen, atramento commaculata eſt eadem, vel minio conſpurcata, vel oleo aut cera perfuſa. Scripturam ipſam maiuſculam eſſe et continuam, nulla dictionum interualla, multo minus verba interpuncta, nullas item compendiarias notas habentem, iam pridem obſeruarunt eruditi. De vera huius Codicis aetate diuerſae ſunt opiniones. Iuſtiniano imperante deſcriptum eundem putat Politianus, quin eo confidentiae proceſſit, vt ipſius Triboniani autographum eſſe contenderet. Alciatus contra

tra multis poſt Iuſtiniarum ſaeculis illum confectum exiſtimauit. Mediam elegit viam Anton. Auguſtinus, ſcriptumque eſſe Opus poſt aliquot annos, quam Iuſtinianus e vita migraſſet, ſuſpicatus eſt, quae vero proxima videtur coniectura, probata etiam ab aliis, veluti MABILLONIO in conſummatiſſimis *de re diplomatica* libris, *Tabula ſexta*, quae ſcripturam ſaeculi VI. comprehendit. Exaratus Codex ſi non in Graecia, quod facile tamen credendum, certe a Graecis librariis ad vſum priuatum viri cuiusdam egregii, ſaeculo forſan vndecimo Amalphim, ac duodecimo, capta a Piſanis vrbe iſthac, praemii ac beneficii loco, propter victoriam feliciter reportatam, a Lothario II. Imperatore donatus expugnatoribus, Piſas delatus eſt. Remanſit ibidem per ducentos et ſeptuaginta annos; poſtquam enim Florintini anno milleſimo quadringenteſimo ſexto Piſas arcta obſidione preſſas per ſtrenuum Ducem Ginum Caponium in poteſtatem redegerant, cum reliqua praeda Pandectarum quoque exemplar, tamquam illuſtre tropaeum, in vrbem victricem peruenit, vbi in pretioſa ciſta, quam propterea conficiendam curauit Magiſtratus, reconditur. Eſt ſcilicet illa holoſerico caeruleo obducta, quod auro ſolido, in formam ramorum frondentium, artificioſe non minus quam ſumtuoſe diſtinctum eſt. Circa idem tempus, quo ciſta illa parata, ipſum quoque exemplar nouo, eoque magnificentiſſimo amictu videtur circumdatum fuiſſe, deauratis marginum extremis. Veſtitum eſt purpura, ſeu holoſerico villoſo rubro, ſuperadditis bullis et vmbilicis argenteis fibulisque, item laminis, quibus operculorum orae exteriores vndique per interualla muniuntur, maxime in ſingulis angulis. Olim feſto ritu ad funalia accenſa primariis viris monſtrari ſolitum nunc, adſtante et inſpectante diligenter cuſtode, oſtenditur, teſte IOH. GVIL. BERGERO in *Stromat.*

mat. Academico p. 34. et BRENCMANNO *l. c. p. 66. ſq.* ex quo reliqua haurienda ſunt. Eius etiam verbis vſi plerumque ſumus in deſcriptione Codicis venerandi, cuius lectiones etſi magni ſint pretii, non ſemper tamen eſſe aliorum Codicum lectionibus praeferendas, MONTFAVCONIVS in *Biblioth. MStor. T. I. p. 413.* monet, additque, Pariſiis in S. Germani Bibliotheca Pandectarum reperiri Codicem ſexcentorum circiter annorum, qui non integrum quidem referat Opus, at cum excuſis Florentini exemplaris libris collatus fuerit, lectionesque non ſemel exhibeat, eruditorum iudicio praeſtantiores.

Praeter Mediceam, ſiue Laurentianam, Bibliothecam alia celebratur, quae exſtat in ipſo *Magni Ducis Palatio*, et mirifica librorum copia ſuperbit. Praefuit illi plures per annos non ſine gloria ſingulari Anton. Magliabechius, quem ambulans Muſeum, et viuam quaſi Bibliothecam MABILLONIVS vocat, in *Muſeo Italico, T. I. Parte 1, p. 161.* Quaedam digna memoratu de viro hoc doctrina illuſtri leguntur in Diario Germanico *Vergnügung müsſiger Stunden P. I. p. 58. ſq.* Cf. *Hiſtoire anecdote des Duchés de Florence, Parme, Mantoue, p. 81.* (ad quem librum prouocat NEMEITZ. in *der Nachleſe beſonder. Nachr. von Ital. p. 355.*) itemque KEYSSLERVS *T. I. p. m. 512.* vbi vita eiusdem ſordida notatur. Exſtat quoque in *Tomi XXXIII. Parte 1. art. 1.* Diarii Veneti, cui titulus: *Giornale de' Letterati d'Italia, Elogium Magliabechii*, concinnatum ex ANTON. FRANC. MARMI *Vita Magliabechiana*, quae adhuc inter inedita locum habet. Hoc ipſum Elogium, ex lingua Italica Latine verſum, et obſeruationibus non nullis, quibus perperam ſcripta emendantur, illuſtratum, inſeruerunt doctiſſimi Auctores *der Hiſtorie der Gelehrſamkeit vnſerer Zeit, Parti IV. artic. 4. p. 327. ſq.* Vid. *die Leipz. gelehrt. Zeitung. a. 1722. p. 386.* et *p. 616. in fine.* Haec velut in

tran-

transitu. Redeundum nunc ad Bibliothecam Ducalem, quam et Palatinam dicunt. *Catalogum MStorum Arabicorum, Persicorum, Turcicorum, Hebraicorum, Astronomicorum, Medicorum, Historicorum et Philosophicorum,* qui exstant in eadem, BARTHOL. HERBELOTIVS olim confecit, isque ipsa Magliabechii manu descriptus ex Bibliotheca Krastiana editus est a SCHELHORNIO in *Amoenit. litt. Tomo III. art. 2. p. 172. sq.* Cf. *die Zuverläsſigen Nachrichten, Parte XCVI. p. 907.* Nunc vero magis placet STEPH. EVODII ASSEMANI *Catalogus MStorum Oriental. in Bibliotheca Palatina,* cuius a nobis iam supra iniecta est mentio. Praestantiora is censet MSta haec Mediceae Bibliothecae Codicibus Orientalibus, at vehementer dolet etiam, tantos Orientalis sapientiae thesauros, cum temporum iniuria, tum negligentia eorum, qui tales linguas minus callebant, tam male fuisse habitos, vt perierint fere, neminemque adhuc esse repertum miratur, qui delicias eiusmodi Latinis hominibus gustandas praeberet. *Acta Erud. Lat. a. 1747. p. 50.* Caeterum haec, et alia, Palatii Ducalis ornamenta auget stupendus numismatum ac rerum antiquarum adparatus, de quo consulendus potissimum Celeb. GORIVS in *Museo Florentino,* in quo, praeter gemmas vetustiores, statuas Deorum caet. inde a Tomo VI. rarissimi nobilissimique nummi praeclare describuntur. Prodiit Opus amoenissimum, inque variis laudatum Diariis, *Florent. a. 1731. sq.* charta augusta, sique ad finem fuerit perductum, integros Tomos X. complectetur. Add. MONTFAVCON. in *Diario p. 355. sq.* et KEISSLERVS *l. c. p. m. 489. sq.*

Tertium hic gradum tenet Bibliotheca *Magliabechiana,* quae post mortem pristini possessoris publica facta, eiusque ex testamento curae laudati Marmi tradita fuit. Locum Bibliothecae donauit Cosmus III. Magnus Hetruriae Dux, qui nunc ita est adornatus,

natus, vt inſigne habitaculum ſuppeditet triginta millibus librorum et excuſorum, et manu exaratorum, quos Magliabechius, confuſos tamen diſiectosque, reliquerat. Omnes igitur eleganter diſpoſuit Marmi induſtria, inque Indices retulit adcurate. Vid. *Acta Erud. Lat. a. 1734. p. 389.* Nunc eidem Bibliothecae praefectus eſt Ioh. Targionius. Eodem tempore, ſcilicet a. 1713. Franciſcus Marucelli maximam Bibliothecae ſuae partem, libris praecipue hiſtoricis egregiam, Ciuitati Florentinae legauit, vna cum annuis reditibus ad eam ſemper locupletandam. Spectatur nunc eadem Palatio *Familiae Maruceliae* proxima, docentibus id ex IVLII NEGRI *Hiſtoria Scriptorum Florentinor. p. 203. ſq. Actis Erud. Lat. a. 1723. p. 252.*

Inter Monaſteriorum Bibliothecas illa, quam *Patres Dominicani* in *Monaſterio S. Marci* poſſident, Codicum numero et praeſtantia omnes reliquas vincit. Catalogus MStorum occurrit apud MONTFAVCON. in *Biblioth. MStorum, Tomo I. p. 419. ſq.* Cf. IDEM in *Praefat. ad Palaeograph. Gr. p. 24.* nec non KEYSSLERVS *l. c. p. 542.* vbi non nulla ſingularia adferuntur. De *Monaſterii Benedictini*, quod *Beatae Mariae* conſecratum, Bibliotheca, MStis et Graecis, et Latinis, belle repleta, adeundus eſt MONTFAVCON. in *Diario Ital. cap. XXV. p. 362. ſq.* quo loco Catalogus legitur, repetitus ad verbum in *Bibl. MStor. l. c. p. 413. ſq. Ibidem p. 418.* et *p. 430.* de MStis Bibliothecae Feſulanae, quae ad Canonicos Regulares pertinet, *p. 429.* de Codicibus Bibliothecae *Sanctae Mariae Annunciatae Ordinis Seruorum Beatae Mariae; ac p. 430.* de Codicibus *S. Mariae de Angelis Camalduenſium* agitur. In *Monaſterio Ciſtercienſium*, quod a *Maria Magdalena* nomen habet, quum Ferdin. Vghelli, Italiae ſacrae auctor, chartas antiquas perquireret, fortuito incidit in magnum auri theſaurum, ex quo ſtatim inſtructa eſt Bibliotheca,

ipſius poſtea Vghelli opibus praeclare aucta, teſte IOECHERO in *Lexico Eruditorum Germanico, Tomo IV. p. 1563.*

Nota eſt etiam Florentiae excellentiſſima Bibliotheca *Richardiana*, cui iam praeeſt V. C. Ioh. Lamius. Ipſe de eadem varia diſſeruit in *Vita Richardi Romuli Richardii, Patricii Florentini*, quae *Florent. a. 1749. in 8.* lucem adſpexit, promittens ſimul plenam MStorum in ea latitantium hiſtoriam. Aliquot horum iam recenſuit in *Decade II. Catalogi MStorum Florentinorum*, qui generatim eo tendit, vt eiusmodi Codicum, quos Florentinae Bibliothecae habent, Index vniuerſalis nequeat in poſterum deſiderari. Excuſa eſt haec *Decas II. Florent. a. 1746.* vti memorant *die Goetting. gel. Zeit. a. 1746. p. 686.* Plures prodiiſſe ignoramus.

Sub Florentinorum imperio ac ditione eſt vrbs *Piſtoia*, ſeu *Piſtorium*, vbi duas inueniri Bibliothecas publicas, ab aliis confirmatur. Alteram habet *Collegium Canonicorum*, cuius ſupellectilis deſcriptionem, a reuerendo Patre, Franc. Anton. Zaccaria adornatam, prodituram eſſe mox in GORII *Symbol. litter. Florentin. Tomo VII.* nuper nuntiarunt tabulae publicae, quibus noua litteraria indicari ſolent: altera vſibus inſeruit *Patrum Oratorii*, eamque a. 1726. donauit Carol. Auguſtin. Fabroni, Cardinalis, impetrata Pontificis confirmatione, in qua permiſſum quoque, vt ſeruentur ibidem libri damnati ac prohibiti, neque tamen cum iis communicentur, qui nullo Sedis Apoſtolicae priuilegio hac in re ſunt muniti. Patet ſingulis diebus, et, praeter Codices manu exaratos, quatuor ac decem Voluminum millia complectitur. Vid KEYSSLER. *l. c. p. 478.*

§. XXI.

Ambroſiana Mediolanenſium Bibliotheca auctorem habet Fridericum Borromaeum, Cardinalem, et vrbis Archiepiſcopum, ſaeculo ſuperiori, de cuius erga litteras, artesque liberales, amore incomparabili,

nec

nec non libris tam MStis, quam editis, data opera egit IOSEPH. ANTON. SAXIVS in *Opuſculo de ſtudiis litterariis Mediolanenſ. Mediol. a. 1729. 8. cap. XII. et cap. XV.* Ille quum circa a. 1608. condendae Bibliothecae conſilium cepiſſet, non ſolum per omnem Italiam bibliopolia ac Bibliothecas excutiebat, ut quicquid rarum eſſet, compararet ſibi, ſed in plerasque etiam terrarum partes mittebat ſumtibus immenſis, qui libros vndique conquirerent. Cf. ERYTHRAEI *Pinacotheca P. I.* in Elogio Borromaei, *p m. 267.* Inter eos viros praecipue fuit Anton. Olgiatus, qui Germaniam, Belgium atque Galliam peragrauit ad libros quoscunque coemendos, opem potiſſimum ferente Marco Velſero, Senatore Auguſtano. Alios eruditos adlegabat Borromaeus ad Hiſpanos, Graecos, ipſosque Orientis populos, vt ſub initium ſtatim Bibliotheca maximis auctibus creſceret. Eandem poſtea dedicauit Ambroſio, Diuo Eccleſiae Mediolanenſis tutelari, quare *Ambroſianae* inſignita nomine fuit. Acceſſit illi etiam inſtructiſſimi adparatus librarii pars, quem Pataui collegerat Ioh. Vincent. Pinellus, de cuius vita, et fatis Bibliothecae, commendari PAVL. GVALDVS debet, cum in BATESII *Vitis ſelectis*, tum in GRYPHII *Collectione vitarum.* Diximus enim ſupra *Cap. II. §. vltimo*, Bibliothecam Pinellianam, quum, defuncto poſſeſſore nauigio Neapolin deueheretur, a piratis Turcicis interceptam, plurimosque libros, veluti chartaceam exigui pretii mercem, Neptuno conſecratos, reliquias autem non paruo aere a Friderico Borromaeo redemtos fuiſſe. MABILLONIVS in *Muſeo Italico, Tomo I. P. 1. p. 11. ſq.* de Bibliotheca Ambroſiana haec ſcribit: *Omnes Italicas longe ſuperat, ſi Vaticanam excipias, ſiue aedificii elegantiam, ſiue librorum multitudinem, aliaque ornamenta, ſpectes, ſiue facilem acceſſum. Nam ſingulis diebus, mane et veſpere quibusuis patet.* Hanc

 proban-

probante Clemente VIII. a fundamentis erexit Federicus Borromaeus, Sancti Caroli ex fratre nepos, eamque elegantissimis aedificiis, libris omnigenis, picturis, tabellis, signis seu statuis instruxit, legibus communiuit. Humilitas eius effecit, vt totum huius rei honorem ad Ambrosium, ciuitatis Patronum, referret, atque ab eius nomine Ambrosianam Bibliothecam adpellaret, quem titulum fronti Bibliothecae imprimendum curauit. Sita est in vrbis fere meditullio, prope Ecclesiam S. Sepulchri, (in Collegio Ambrosiano.) Post vestibulum sese offert vas amplissimum, in latum cubitos sexdecim, in longum quadraginta, in altum quinos vicenos habens, quod in laquear pictura variegatum desinit, ad duodecequadraginta millia Voluminibus refertum, simul computatis Codd. MStis, qui in adiuncto Museo reconditi sunt, interiecto peristylio. Ad hanc Bibliothecam locupletandam nullis pepercit sumtibus Federicus: sed missis quaquauersum viris litteratis, libros et veteres Codd. vndequaque conquisiuit, nempe ex Italia per diuersos, ex Graecia et toto Oriente per Gratium ciuem Senensem; ex Gallia, Germania et Belgio per Olgiatum. Omnes certatim Federici generosis consiliis obsecundabant. Bobiensis Coenobii Monachi vetustiores Codices Latinos suppeditarunt; Ambrosiani Cistericienses pretiosissimum inter alia Volumen ex charta Aegyptiaca, seu philyra, sed mutilum, continens aliquot libros Flauii Iosephi de Antiquitat. Iudaicis, Rufino interprete. Scriptus est Codex, si Boschae credimus, ab annis mille trecentis; si quid in his sapimus, ante annos mille et centum, haud multo post Rufini aetatem. Add. IOSEPH. ANTON. SAXIVS in Diss. praeliminari *ad Historiam litterario-typographicam Mediolamensem*, praemissam ARGELATI *Biblioth. Scriptor. Mediolan. Tomo I. p. 51.* ex quo simul intelligimus loco, iam a. 1745. ad quinquaginta millia Voluminum editorum et manu scriptorum fuisse numerata, cuius incrementi auctor praecipuus a KEYSSLERO *Tomo I. p. m. 371.* perhibetur Gilbertus

Borro-

Borromaeus, Cardinalis et Vrbis Archiepiſcopus. Cf. etiam NEMEITZII *Nachleſe beſond. Nachr. von Ital. p. 389.* MONTFAVCONIVS in *Diario, Cap. II. p. 11.* Bibliothecam hanc, in tanto Voluminum numero, libris tamen multis perneceſſariis, et editionibus Patrum adcuratioribus, deſtitui monet. Sed probabiliter Mediolanenſes tali inopiae mederi ſtuduerunt poſt ea tempora, quibus commoratus apud eosdem eſt Montfauconius. Addit deinceps vir doctus, ab extremo Bibliothecae intrari in periſtylium, vbi icones illuſtrium hominum depictae cernantur, quot vix vſquam ſimul occurrant; in conclaui ſequenti ſupellectilem ſimilem eſſe, indeque veniri in aliud quoddam, plenum Codicibus Arabicis, Copticis, Syriacis caet. ac maxime omnium Graecis et Latinis, manu exaratis, quorum Catalogum ſubiunxit Auctor, breuem tamen, ideoque conſulenda potius eiusdem *Biblioth. MStor. Tomo I. p. 491. ſq.* vbi ampliorem exhibet, quamquam, vt ipſe fatetur, non perita manu concinnatum. Quinque ac decem Codicum millia non nulli adſeruari dicunt, quod vero vix credi poſſe primo adſpectu, KEYSSLERVS *l. c.* exiſtimat. Interim, quocunque ſe res modo habeat, id certum eſt, multa magni momenti ex hac Bibliotheca in lucem protuliſſe, qui per aliquod temporis ſpatium Bibliothecarius fuit, LVDOVIC. ANTON. MVRATORIVM cum in *Anecdotis*, ex Ambroſiana Bibliotheca primum editis, et obſeruationibus auctis, *Mediolani a. 1697. et 1698.* itemque *Patauii anno 1713. in 4. Voluminibus quatuor*, tum in pretioſo Opere, *rerum Italicarum Scriptores* continente, quod *ibidem*, tanti viri auſpiciis, *a. 1723. ſq. in f.* diuulgatum eſt. Ex antiquis Codicibus prae caeteris aeſtimatur *Flauii Ioſephi Hiſtoria Iudaica*, quem Codicem paullo ſupra deſcripſit Mabillonius. Praeterea monſtratur *Egeſippi MStum*, quod librorum Ioſephi liberiorem interpretationem complectitur, et

Ambrofium auctorem agnofcit, ideo tamen Egefippo tribui folet, quod librarii nomen Iofephi, feu Iofippi, in Igifippum, ex imperitia mutaffe videntur. Cf. *Acta Erud. Lat. a. 1686. p. 552*; *Codex* noni faeculi, *Gregorii Nazianzeni Orationes* exhibens; *Codex Prudentii*, faeculo feptimo, vel octauo, fcriptus, quo vix antiquior exftabit; nec non *Virgilii MStum*, refperfum notis et obferuationibus Franc. Petrarchae, ad quem olim pertinuit, ipfa eius manu fatis nitide adiectis. Inter Codices recentiores excellit maxime *Leonardi Vincii*, pictoris perfectiffimi, *autographum Opus duodecim Voluminum in forma maiori*, ob figuras mathematicas aliasque admirabile. Hoc tanti habuiffe fertur Iacobus I. Angliae Rex, vt pro vno Tomo, qui bellicas veterum machinas ob oculos ponit, priftino poffeffori, Galeacio Arconato, aureos ter mille Hifpanicos obtulerit. Recufauit is tamen pretium ingens, et liberaliter potius totum Opus Bibliothecae Ambrofianae confecrauit, fingulari propterea infcriptione pofteritati commendatus. Vid. KEYSSLER. *l. c. p. 377.* et MISSONII *Iter per Ital. P. II. Epift. 42. p. m. 1095. et p. 1106. edit. Germ.* Hiftoriam huius Bibliothecae litteris confignauit, quantaque cura fuerit collecta, expofuit IOSEPH. RIPAMONTIVS, Chronifta Vrbis Mediolanenfis, in *libro vicefimo Hiftoriae patriae*, quae *Mediolani a. 1641. fq. in f.* Voluminibus variis excufa eft, ac deinde inferta *Tomo II. Thefauri Antiqu. et Hiftor. Italiae Graeuio-Burmanniani.* Speciatim PETR. PAVL. BOSCHA de *origine et ftatu Bibliothecae Ambrofianae libros V.* fcripfit, (quos totidem volumina per errorem dixerat REIMMANNVS in *feiner Einleit. zur Hift. der Gelahrh. P. I. p. 393.*) inque his de Bibliothecae conditore, conferuatoribus et Collegii Ambrofiani Doctoribus, de illuftribus Pictoribus, aliisque Artificibus, ac denique de reditibus eiusdem Bibliothecae amplis agitur. Prodiit

iit Opus, propter ſtili elegantiam et obſeruationum ſelectiſſimarum adparatum commendabile, *Mediol. 1672 in 4.* quae tamen editio rariſſima eſt. Inde vtili conſilio recuſum fuit in adducto iam *Theſauro Antiqu. et Hiſtor. Ital. Tomo IX. Parte 6. num. 7.* qua occaſione editor, Burmannus, in Praefatione de eadem etiam Bibliotheca diſſeruit. Nullius contra momenti eſt, et nondum vnam conficit plagulam, ERYCII PVTEANI *Orat. de vſu fructuque librorum*, quae in eiusdem *Syntagm. Orat. ſelect. L. B. 1623. in 8.* edito *p. 85. ſq.* occurrit. BAILLET, quem ſequutus videtur MORHOFIVS *Tomo I. Polyh. lib. 1. cap. 17. §. 22*, in *Jugemens des Sav. Tom. II. P. 1. p. 236. edit. minor. Amſt.* Tractatum eſſe ſcribit, *Mediol. a. 1606. in 8.* typis impreſſum, opellam hanc Puteani; ſed humani quid paſſus eſt, dictamque Orationem, quae eo anno et loco prelum reliquit, voce Tractatus ſine dubio voluit indicare. Cf. WITTENII *Memor. Philoſ.* caet. *Decade IV. p. 568.* Bibliothecarii fuerunt Anton. Olgiatus, Franc. Bern. Ferrarius, Petr. Paul. Boſcha, Nicol. Rubinus, Andr. Puſterla, ac nouiſſime ſummae celebritatis viri, Muratorius, et Saxius. Cf. MABILLON *l. c. p. 14.* et IOH. BREVAL, Angli, *Obſeruationes de variis Europae partib. Anglice editas Londini 1726. in f.* ex quo Opere quaedam referunt *Acta Erud. Lat. a. 1727. p. 100.*

Inter celebriores etiam Mediolanenſium Bibliothecas numerari omnino debet ſupellex *Metropolitanae Eccleſiae*, quae ſacra aedes octauum mundi miraculum dicitur in ANDR. SCHOTTI *Itiner. Italiae, lib. I. p. m. 129.* Illa ipſa Bibliotheca referta eſt adhuc permultis vetuſtis Codicibus in membrana deſcriptis, ac libris rarioribus, primo naſcentis typographiae ſaeculo impreſſis, tantoque in pretio habetur a ciuibus exteriſque, vt nobiliſſimum Canonicorum, qui Ordinarii adpellantur, Collegium eidem cuſtodiendae excipiendisque, qui illuc confluunt ſtu-

diorum gratia, litteratis viris, doctum aliquem ex eodem ordine Praefectum perpetuo designet. Quo tempore, aut auctore, coaluerit, prorsus ignoratur; quum nullae antiquae tabulae historiaeque primordia illius recenseant. Summa retroactis aetatibus famavi-guisse eandem, ex eo coniicere possumus, quod insignes doctrina et dignitatibus viri per varia temporum interualla curauerint, vt selectiorum Voluminum copia, quam viuentes comparauerant, atque in deliciis habuerant, post obitum ibidem reconderetur. Ex iis, qui litterarias has merces auxere, tres memoriae sunt proditi, quorum primus est Franc. Picolpassus, Iuris et bonarum disciplinarum omnium peritia clarissimus, atque ad Archiepiscopalem Mediolanensium sedem anno millesimo quadringentesimo ac tricesimo tertio translatus, qui vniuersos Codices suos Metropolitanae Bibliothecae legauit. Eorum postmodum partem nobiliorem, elegantissima videlicet pergamena volumina, Fridericus, Cardinalis Borromaeus, teste BOSCHA *l. c. p. 146.*, a primariis Templi maximi Mystis gratiose obtinuit, vt Ambrosianam, recentissime ab ipso conditam, pretiosius ornaret. Praeclarum Picolpassi exemplum proxime sequutus est Franciscus Philelphus, aetate sua pro oraculo fere a Mediolanensibus habitus, cuius vltimas tabulas, anno 1473. exaratas, ostendere licuit Saxio, quum Archiuum Metropolitanum lustraret, in iisque, inter alia complura, quae rei domesticae, vitaeque illius illustrandae lucem haud modicam adferre possunt, statutum reperit, vt libri omnes Graeci, Latini et MSti cederent in partem Friderico Francisco, filio suo legitimo, ex Laura Magdalena de Mazorinis tertia vxore suscepto, ipsoque deficiente, in Metropolitanam Bibliothecam inferrentur, quod etiam peractum esse, signati ipsius nomine, (si bene memini) Codices docent. Postremo ingentem in modum scrinia eius locupletauit

tauit S. Carolus Borromaeus, qui migraturus ad ſuperos molem omnem librorum ſuorum liberali munere Canonicis Metropolitanae Eccleſiae reliquit, vt refert GIVSSIANVS in *eius Vita*, *lib. VIII. cap. 13.* eorumque non nullos inſignioris notae enumerat Boſcha ſupra adductus. Ita SAXIVS diſſerit in ARGELATI *Biblioth. Scriptor. Mediolan. Tomo I. p. 10. ſq.*

§. XXII.

Bibliothecae *Venetae*, quae *S. Marci* nomen habet, et e regione Ducalis Palatii adſeruatur, prima initia parum ſunt cognita. Id vero certum, eam creuiſſe partim ex Bibliotheca Franc. Petrarchae, qui Codices varios legauit, quorum non pauci quidem temporis iniuria corrupti ſunt, reliquorum tamen adhuc ſuperſtitum Catalogus exſtat in IAC. PHIL. TOMASINI *Petrarcha rediuiuo, cap. XIII. p. 74. ſq.* apud MEVSCHENIVM *Tomo IV. Vitarum Summorum virorum;* partim liberalitate Cardinalis Beſſarionis, quippe qui omnes libros ſuos, vtriusque linguae, Rei publicae dono dedit. Soli Graeci, vt fertur, triginta millium aureorum pretio ab eodem coemti fuerant. Vid. MONTFAVCON. in *Praef. ad Palaeogr. Graec. p. 24.* Beſſarionis ad Senatum Venetum Epiſtola Latina, perquam elegans, hac de re a. 1469. ſcripta, reperitur in GOLDASTI *Centuria Epiſtolar. philologicarum, ſub finem*; in *Collect. de Bibliothecis Madero-Schmidiana, Acceſſ. I. p. 67. ſq.* in MONTFAVCONII *Biblioth. MSt. Tomo I. pag. 467.* et in reuerendi viri, CHRIST. FRID. BOERNERI, *Libro ſingulari de doctis hominib. Graecis, Lipſ. a. 1750. in 8. mai.* Ipſorum autem Codicum, quorum poſſeſſor fuerat Beſſarion, Index exhibetur a IOH. LAMI in *Tomo IX. Deliciar. Eruditorum*, prout indicant *die Leipz. gel. Zeit. a. 1741. p. 650.* Add. LAMBECIVS *Comment. de Bibl. Caeſar. lib. III. p. 380.* vbi ex Inuentario Veneto nongenta

octoginta Volumina nominantur, et MONTFAVCON. *l. c. p. 468. sq.* Horum Duumuirorum, Petrarchae ſcilicet et Beſſarionis, exemplum ſequuti fuerunt Hieron. Aleander, et Grimanus, Cardinales, nec non Iacob. Contarenus, pariterque nuper Ioh. Bapt. Recanatus, Abbas et Patricius Venetus, cuius ex legato praeclara MStorum Voluminum copia peruenit in S. Marci Bibliothecam. Inter haec rariſſimus eſt praeſtantiſſimusque Codex, ſaeculo VIII. ipſa Theodoſii, Epiſcopi, manu exaratus, qui *Chryſoſtomi Homilias in Acta Apoſtolorum* complectitur. *Leipz. gel. Zeit. a. 1735. p. 341.* De *Ptolemaei Geographia* ita diſſerit GE. MART. RAIDELIVS in *Comment. critico-litteraria* de hoc Opere *Norimb. a. 1737. in 4.* edita, *p. 11: Scriptus eſt Codex in membrana nitidiſſima, formae maioris, ſiue Regalis, charactere vulgari minutiori, ſaeculo XIII. conuenienti: ita tamen, vt primae cuiusuis capitis aut libri litterae, variis ductibus inauratis, et coloribus eleganter ſint pictae; librorum quidem craſſioribus et ſplendidioribus, capitum vero ſubtilioribus. Frontem Codicis ornat effigies Ptolemaei, veſtitu regio induti, impoſita capiti corona. Eam non ſolum adcurate ex Autographo delineari, a viro artis pictoriae perito, ſed et eadem, qua Codex ſcriptus eſt, forma aeri incidi curaui, in adiuncta huic Opuſculo tabula.* Exſtat etiam ibidem ſingularis Camera, cum hac inſcriptione: *Decerpta haec imperio Senatus a Bibliotheca Pinelliana.* Quum enim, vt ante dictum, Pinelli ſupellex libraria transportaretur Neapolin, miſſus eſt vnus ex magiſtratu Patauium, vt MSta reciperet complura, quoniam Pinellus, Senatus permiſſu, varia deſcripſerit ex Archiuo Rei publicae, quae nunc in alienis manibus eſſe non deberent. Heredes tamen recuperarunt pleraque, vsque ad MSta ducenta, quae ad Statum Venetum faciunt, Bibliothecae S. Marci illata. LE GALLOIS *Traité des Bibliotheques p. 115.* et NAVDAEVS in

in SCHMIDII *Acceſſ. I. ad Mader. p. 112.* Omnes, qui inſpexerunt eandem, non ita illam eſſe inſtructam putant, vt opibus ac ſplendori tantae Rei publicae reſpondeat. Cf. NEMEITZ. *l. c. p. 94. in fine,* item MABILLON. *Muſei Ital. Tomo I. Parte 1. p. 33. ſq.* Sed ſi recordetur Lector id, quod *Capitis huius §pho IV.* de Mendozae furto memorauimus, excuſandus quodammodo videtur Senatus, nec, ob eam ipſam cauſſam, vitio illi dandum, quod exteri ad perluſtrandos Codices difficillime admittantur. Quam aegre id olim tulerit MONTFAVCONIVS, qui plane repulſam acceperat, teſtatur *Diarium Italicum cap. III. p. 41.* vbi ſic loquitur μυκτηρίζων: - - *renunciauit Abbas Leith, ſiue Gualterius, Procuratorem Cornarum, cui maxime incumbit Bibliothecae cura, monitum ab neſcio quo, qui pridie in Bibliothecam ſe intromiſerat, vetuiſſe, ne nobis luſtrandi, multoque minus exſcribendi facultas daretur, ratum e Rei publicae et Bibliothecae dignitate fore, ſi Codices tanto numero occulti in pluteis quieſcant in pace, et nullo vſui ſint: quaſi vero Cardinalis Beſſarion, qui Codices iſtos tanta cura conquiſiuit, et ex variis orbis partibus aduexit, eo conſilio id egerit, vt in belliſſimo conclaui tumularentur et quiete agerent, donec aut ſitu, aut blattis, aut incendio, quod non raro euenit, interirent.* Et in *Praef. ad Palaeogr. Gr. p. 24.* de dictis Codicibus *hos,* ait, *dum Venetiis eſſem, explorare facultas non fuit mihi, nec cuipiam erit, donec ſapientiſſimo Senatui placeat, tantam ſupellectilem in publicum vſum emittere, qui vnus MStorum fructus eſſe poteſt.* Factum nunc illud eſt noſtra aetate; prodiit enim *Venetiis a. 1740. in f. Graeca D. Marci Bibliotheca Codicum MStorum, per titulos digeſta, praeſide et moderatore Laur. Theupolo, Equite ac D. Marci Procuratore, iuſſu Senatus.* Eorum Codicum, quos Beſſarion donauit, quingenti ſunt ac triginta tres, reliquorum numerantur centum, quadraginta ac duo. *Anno 1741.* ſequuta eſt *Latina et Italica*

D. Marci

D. Marci Bibliotheca Codicum MStorum, quorum, quod ad Latinos attinet, quingenti ſunt et quinquaginta, Italicorum autem octoginta ſex. Debemus hos Catalogos induſtriae ANTON. M. ZANETTI, Bibliothecae Cuſtodis, et ANTONII BONGIOVANNI, I. V. D. qui clariſſimi editores non ſolum Codicis cuiusque aetatem, magnitudinem, foliorum numerum, materiam atque ornamenta, ſi qua ſint, notauerunt, ſed variantium quoque lectionum ex Hiſtoricis praecipue antiquis attulerunt ſpecimina, ſubiuncto Auctorum Indice generali, quo ſuo quisque loco euolui poſſit. Vid. *Acta Erud. Lat. a. 1742. p. 97.* et *a. 1744. p. 481. ſq.* Praeter picturas etiam pretioſiſſimas inſigni antiquarum ſtatuarum theſauro excellit Bibliotheca, quod luculenter patet ex ſplendidiſſimo Opere, cuius *duo* iam, quantum ſciamus, *Tomi in f. charta maxima Venet. a. 1740. et 1743.* excuſi fuerunt. Titulus eſt: *Delle antiche Statue Greche et Romane, che nell' Antiſala della Libreria di San Marco, e in altri luoghi publici di Venetia ſi trovano.* Singulis ſtatuarum tabulis adiecta eſt interpretatio earundem. Cf. *Acta Erud. Lat. a. 1747. p. 481. ſq.* Primus Bibliothecae Praefectus fuit M. A. Coccius Sabellicus, non vero Beſſarionis priuatae, vt contra Freherum et Baelium euicit APOSTOLVS ZENVS in *Vita Sabellici*, eius *Hiſtoriae rerum Venetarum* praemiſſa, quae *Tomum I.* conficit *degl' Iſtorici delle coſe Veneziane, i quali hanno ſcritto per publico Decreto, Venet. a. 1718. in 4.* Diſſerit hac occaſione Zenus, vt *Acta Erud. Lat. a. 1726. p. 194.* docent, de ipſa D. Marci Bibliotheca, et inter plura obſeruat, neutiquam in ea, ſed alio potius loco, exſtare nunc Codices a Petrarcha legatos, quod et adſerit TOMASINVS *l. c. p. m. 73. in fine.* Nec ibidem, ſed in Sacra Diui Marci aede, *Euangelium illius* reconditur, quod autographum vulgo habent Veneti, atque Aquileia, vbi Marcus Chriſtianae religionis fun-

damen-

damenta iecisse dicitur, Venetias translatum aiunt. Sed lepidam hoc esse fabellam, praeter alios multos, ostendit RICH. SIMONIVS in *Histor. crit. Noui Testam. Cap. IV. p. 42.* Add. BVDDEVS in *Isagoge ad Theol. vniuers. p. 1497.* vbi plures de hoc argumento laudantur Auctores. MONTFAVCONIVS in *Memoires de litterature de l'Acad. Royale des Inscriptions Tomo VI. p. 600. sq. edit. Paris.* illum Codicem exaratum esse saeculo IV., tantaeque adeo vetustatis credit, vt antiquior in toto terrarum orbe non supersit. Inscriptum est Opus, eodem obseruante, papyro Aegyptiacae, quumque adhuc medio saeculo XVI. legi potuerit, in loco humido, vbi deinceps est custoditum, folia conglutinata et adeo corrupta fuerunt, vt sine laceratione nec diuelli, nec aliqua verba legi iunctim queant. Interim Latine esse exaratum huncce Codicem contendit IDEM in *Diario Italico cap. IV. p. 55.* quae repetiit in *Biblioth. MStorum Tomo I. p. 480.* Ex priori etiam libro *p. 56. sq.* discimus, non integrum esse Volumen, quandoquidem Carolus IV. Imperator, quum a. 1355. Aquileiae Nicolaum, Patriarcham, inuiseret, ab eo duos vltimos quaterniones huius Euangelii impetrauit, quos detulit in Bohemiam, vbi adhuc in Cathedrali Pragensium Ecclesia adseruantur. Cf. hic omnino *die zuverläss. Nachrichten Parte CXXXV. p. 192. sq.* quo loco ex Iosephi Bianchini EuangeliarioQuadruplici, quod *Romae a. 1748. Tomis IV. in f.* prodiit, varia hac de re singularia memorantur. Parum tamen adcurate *p. 199.* dictum est, Ferdinandum I. Imperatorem Romanum, omnem adhibuisse diligentiam, vt caeteros quinque quaterniones Marci a Senatu Veneto adipisceretur, nihil vero nec precibus, nec donis, effecisse eundem. Fuit enim is Ferdinandus, ArchiDux Austriae, secundus Imperatoris huius filius, qui a. 1595. e vita discessit. Cf. MONTFAVCON in *Diario, p. 56.* et ICH. PETR.

a LV-

a LVDEWIG in *ſeinen gelehrten Hälliſchen Anzeigen, Vol. III. Parte LXXI. p. m. 452. ſq.* cui vero reſpondit V. C. SIGISM. IAC. BAVMGARTEN in *Faſcic. II. Opuſculor. quae Latine ſcripſit, Parte XXXIX. p. 214. ſq.* Alium ibidem Euangeliorum librum oſtendunt Veneti, quem Sancto tribunt Chryſoſtomo; ſed ne de rei veritate periculum fiat, hi libri ſigillis obſignati ſunt, nec cuiquam aperiuntur, quae verba ex MABILLONIO deſumſimus *l. c. p. 32.*

Praeter hanc Bibliothecam plures adhuc Venetiis occurrunt, paucis tangendae. Primum damus locum Bibliothecae in *Monaſterio Dominicanorum*, quod pertinet ad S. Iohannis et Pauli Templum. Habet ea Codices Graecos non paucos, quorum praecipuos recenſet MONTFAVCON. *l. c. p. 47. ſq.* et in *Bibl. MStor. T. I. p. 478.* Succedat illi Bibliotheca *ad S. Georgium Maiorem*, quam quidem non eſſe inſtructiſſimam, at librorum ſplendore externo magnopere commendari, NEMEITZIVS ſcribit *l. c. p. 54.* Add. KEYSSLERVS *T. II. p. m. 777.* qui et *p. 809.* Bibliothecam *Monaſterii S. Mariae della Salute* copioſam vocat magnique pretii, notans pariter, ſuper veſtibulum haec legi verba: *Ingeniorum exuuiae, immortalitatem adeptae, poſteritati legatae.* Quae olim vero celebris fuit, Bibliotheca *ad S. Antonium*, ea ſuperiori ſaeculo conflagrauit incendio, teſte MABILLONIO *l. c.* in *Praefatione.* De Bibliothecis priuatis *Meletii Typaldi*, Archiepiſcopi Philadelphiae, Graecorum Antiſtitis, nec non *Iulii Iuſtiniani*, Patricii Veneti, quae eo defuncto in manus ignotas deuoluta eſt, itidem agit MONTFAVCONIVS in *Diario, p. 46.* et *p. 433. ſq.* quae, vt ſaepe ſolet, integra inſeruit *Biblioth. MStorum, Tomo I. p. 478.* itemque *p. 483.* Cf. huc IAC. PHIL. TOMASINVS *de Bibliothecis Venetis MStis, publicis et priuatis. Vtini 1650. 4.* qui liber eſt rarior.

§. XXIII.

§. XXIII.

In Venetorum ditione eſt *Patauium* vrbs et Academia illuſtris, et Bibliothecis, quibus nulla fere Italiae ciuitas numeroſiores habet. Primo apud illos loco eſt Bibliotheca in *maiori Templo Canonicorum*, compluribus Codicibus et manu ſcriptis, et a primordio typographicae artis impreſſis, conſpicua, quorum partem magnam comparauerat ſuis vſibus Iacobus Zenus, vrbis Patauinae Antiſtes. Eo autem repentina morte exſtincto, Petrus Foſcarus, Cardinalis, et illius ſucceſſor, ſupellectilem, quam reliquerat, librariam, ob tumultuoſum funus diſtractam direptamque, vigilanti ſollicitudine conquiſitam iterum ac redemtam, Eccleſiae dono dedit a. 1481. MABILLONIVS *Muſei Ital. Tomo I. P. 1. p. 26.* Variorum ex donis teſtamentariis, praecipue Iohannis Marca-noua, Medici Patauini, qui MStorum partem maximam legauit, ſplendidior facta Bibliotheca *Coenobii S. Iohannis in Viridario.* Vid. MABILLON. *l. c. p. 205.* Peruetuſta eſt, a Placido quippe Pauanello, Patauino, conquiſita, atque *S. Iuſtinae* legata *Coenobio* Bibliotheca, quam poſtea diuerſis ICtorum ſcriptis locupletauit Iacob. de Zocchis. Generatim autem pretioſiſſimis eam Operibus excellere, adfirmat KEYSSLERVS *T. II. p. 652.* Bibliotheca *S. Auguſtini* ideo clara eſt, quod in eadem ingenium excoluit Albertus M. Non quidem amplam, at bene diſpoſitam illam, eiusque MSta in ſingulari conclaui collocata eſſe, a KEYSSLERO diſcimus *l. c. p. 643.* Idem *p. 674.* publicam *Ciuitatis* Bibliothecam, in Palatio Praetoris, ſiue *Palazzo di Poteſtà*, conſtitutam, velut in tranſitu memorat, ac de ea praeclare meritum fuiſſe Gabrielem Aemum addit, ad cuius memoriam ſeruandam hoc poſitum ſit monumentum: *Gabrieli Aemo, Praefecto; quod Bibliothecam ventis atque imbribus peruiam, libris ſitu corruptis, ipſisque parietibus vitium ducentibus, ſartam tectam exegerit, et abſterſo*

ſqua-

ſqualore in priſtinum cultum reſtitutam inſigni liberalitate auxerit; Octauius Ferrarius B. M. P. De Bibliotheca *Gymnaſii*, ſeu Academiae, quae a. 1629. communi Patrum conſenſu aperta eſt, fuſius agit TOMASINVS *lib. I. Gymnaſii Patauini cap. 73.* iisque SPIZELIVS locum dedit in *Diſſ. de Bibliothecis praeliminari, p. 159. ſq. Collect. Madero-Schmidianae*, vnde illa hic non repetemus, quum liber iſte omnium manibus teneatur.

Praeterea aliae minores Bibliothecae vel Patauii ſunt, vel aliquo interuallo ab Vrbe diſtant, e. g. D. *Mariae Prataleae, S. Antonii, S. Franciſci, S. Vrſulae, Patrum Ordinis Eremitanorum, D. Mariae Montis Ortoni*, atque *Clericorum regularium.* Has, et alias, cognoſcimus ex laudati ſupra TOMASINI libro, qui inſcribitur: *Bibliothecae Patauinae Manuſcriptae publicae et priuatae, quibus diuerſi ſcriptores, hactenus incogniti, recenſentur ac illuſtrantur. Vtini 1639. in 4.* Cf. MADERVS *de Bibliothecis p. 60. ſq.* Schurzfleiſchius ſuo, quo vſus olim eſt, exemplari hoc adiecit iudicium, teſte COLERO in *Analectis ad Struuium*: *Hic liber paſſim deſcribitur, dudum anxie quaeſitus, et quia prelo excuſus per eſt rarus, et inſeruit notitiae variorum omnis materiae ſcriptorum: adeo, vt de eo ex Italia allato gratuletur ſibi Ioh. Frid. Hekelius, non indoctus vir ex ſchola Daumiana.* Selecta exinde cum harum rerum amatoribus communicauit MONTFAVCONIVS in *Bibl. MStor. Tomo I. p. 485. ſq.* Nec *Germanicam Nationem* librorum deſtitui adparatu, Index ille doet, quem ſeruat Bibliotheca *Bunauiana.* Titulus eſt: *Bibliotheca Medico-Philoſophico-Philologica inclytae Nationis Germanicae Artiſtarum, quae Patauii degit, ſeu huius Bibliothecae librorum Catalogus, confectus, a Franciſco Stockhamero, et Andr. Bridlero, Bibliothecariis. Patauii 1677. 4.*

Referenda huc etiam *Verona*, de cuius Vrbis MStis, quorum copiam habet inſignem, adeo, vt vna Bibliotheca Saibantiana mille ac ducentos eorum nume-

numeret, (Cf. *Acta Erud. Lat. a. 1723. p. 23.*) vid. illustrissimi Marchionis, SCIP. MAFFEI, *Verona illustrata*, *Parte III.* quod Opus egregium, lingua scriptum Italica, *Veronae a. 1731. et 1732. in f. mai.* excusum est. Transtulit ex eo quaedam MONTFAVCON. in adductum *Tom. I. Bibl. MStor. pag. 490.*

§. XXIV.

Bibliotheca *Regia*, nunc Academica, quae *Augustae Taurinorum* reperitur, auctorem habet Amadaeum VIII. primum Sabaudiae Ducem, saeculo XV. et per aliquot annos Pontificem Romanum, Felicis V. nomine clarum. Fundamenta illius suppeditarunt Graeci, qui Concilium Florentinum generale frequentarunt, ac deinceps, magno de Turcis metu adfecti, reliquerant patriam. Praecipua tamen incrementa Carolo Emanueli I. debet, Principi doctissimo, hodieque locupletior esset futura, nisi aetate superiori multos libros incendium corrupisset. Commendatur non tam ob MSta vetusta, quam complura recentiora potius, historica maxime Byzantina et Italica, generatimque tria circiter millia eorum adfuisse dicuntur initio praesentis, quo viuimus, aeui. Praestantissimus est saeculi V. vel VI. Codex, in quo caeteris exemplaribus omnibus plenior adcuratiorque *Lactantii Epitome Institutionum diuinarum* est, quam Celeb. PFAFFIVS *Paris. a. 1712. in 8.* edidit, vna cum aliis quibusdam Opusculis. Vid. *Acta Erud. Lat. a. 1713. p. 70. sq.* Idem vir doctissimus ex hac Bibliotheca eruit, Latina versione notisque instruxit, et luci exposuit publicae *Irenaei, Episcopi Lugdunensis, Fragmenta anecdota. Hagae Comit. a. 1715. in 8.* quae editio varias peperit controuersias litterarias. Cf. ERN. LVD. RATHLEFII *Geschichte ietztlebender Gelehrten, P. II. p. 371. sq.* Merita autem Pfaffii in Bibliothecam Regiam Taurinensem (antea enim Codices alii aliis impositi, et parie-

tis inſtar ſine ordine exſtructi fuerant,) extolluntur *ibidem p. 350. ſq.* et a KEYSSLERO *Tomo I. p. m. 264.* quae bina loca, quum ſingularia doceant, omnino debent a Lectoribus noſtris euolui. E Graecis MABILLONIVS in *Tomo I. Muſei Ital. p. 8.* laudat *Menologium duobus Tomis*, qui annos ſexcentos ſuperare videantur, et e Latinis *Hegeſippi libros V. de excidio Hieroſolymitano*, ſcriptos ante annos ſeptingentos. Addimus *Iſidori Hiſpalenſis librum numerorum*, diu deperditis adiunctum. Inter Codices recentiores *Pyrrhi Ligorii*, qui ſaeculo decimo ſexto, non, vt quidam, ſequenti floruit, *triginta formae maioris Volumina*, Italice confecta ipſa Auctoris manu, oſtendi ſolent, quae *inſcriptiones infinitas*, *monumenta delineata*, *Romae deſcriptionem*, *numiſmata*, et ſimilia bene multa, complectuntur. Vid. MONTFAVCON. in *Diario, cap. XXVIII. p. 446.* et cum primis KEYSSLERVS *l. c. p. 265.* vbi, praeter alia, monet etiam, non ſatis adcuratum eſſe, fideque dignum, Opus illud tanti pretii, octo quippe millibus, vel, vt MABILLONIVS rectius *l. c.* ſcribit, decem et octo millibus aureorum comparatum. Idem vero parum certe viginti ſex voluminibus illud conſtare tantum, adfirmat. Nec ſileri debet inſignis *Miſcellaneorum Codex*, in quo multae *Friderici II. Imperatoris*, *et aduerſariorum eius*, *Gregorii IX. atque Innocentii IV. Pontificum Epiſtolae* ſunt, variae item nondum editae, et a Franc. Petrarcha, Tyrannoque illo Romano, Nicolao Laurentio, exaratae. Perfectum omnium Codicum Catalogum diu deſiderarunt eruditi. Hebraicorum Index, ab Abbate Benzinio compoſitus inſcriptusque foliis tredecim, exſtat Hamburgi in Bibliotheca Wolfiana, et Codices Biblicos antiquiſſimos, aliaque Iudaeorum ſcripta, nec edita adhuc, nec fere cognita, exhibet. Vid. IOH. CHRISTOPH. WOLFII *Conſpect. ſupellect. epiſtolicae, pag. 290.* De Graecis contra MStis *Acta Erud. Lat. a. 1713. p. 73.*

haec

haec notant: *Optandum omnino erat, vt Clar. Pfaffius Indicem Codicum Graecorum huius Bibliothecae, quem in promtu ſibi eſſe teſtatur, vna cum Indice Codicum Ebraeorum in lucem prodire pateretur.* At his quidem votis reſpondere noluit Theologus ille litteratiſſimus. Interim SCIP. MAFFEI ſingulari ad Apoſtol. Zenum Epiſtola *de quibusdam Bibliothecae Ducalis Taurinenſis Codicibus* egit, quae legitur in *Giornale de' Letterati d'Italia*, *Tom. VI. p. 449. ſq.* et ex lingua Italica in Gallicam etiam Anglicamque conuerſa eſt. Vid. *Catalogus Bibl. Bunauianae*, *Tomi I. Vol. 1. p. 853.* Poſtea copioſiorem Indicem alphabeticum, a Ioſepho Roma, Ordin. Minimor. tranſmiſſum, *Bibliothecae Biblioth. MStorum nouae Tomo II p. 1393. ſq.* inſeruit MONTFAVCONIVS. Nunc vero ſplendidum et longe praeſtantius prodiit Opus, hoc inſignitum titulo: *Codices MSti Bibliothecae Regii Taurinenſis Athenaei, per linguas digeſti, et binas in partes diſtributi, in quarum prima Ebraei et Graeci, in altera Latini, Italici et Gallici.* Recenſuerunt IOSEPH. PASINVS, *Regi a Conſiliis, Bibliothecae Praeſes et moderator*, ANTON. RIVAVTELLA et FRANC. BERTA, *eiusdem Bibliothecae Cuſtodes. Taurini a. 1749. in fol. mai.* In *Parte I.* Codices Hebraici centum ſexaginta et nouem, Graeci trecenti ſexaginta et nouem; in *Parte* contra II. Latini vndecies centum, octoginta quatuor, Italici ducenti ac decem, Gallicique centum et ſeptuaginta duo exhibentur, deque illorum aetate, et aliis memorabilibus, diſſeritur erudite. Deeſt vero, quod dolendum, ipſius Bibliothecae hiſtoria. Vid. *die zuverlaeſſigen Nachrichten*, *Parte CLI. p. 477. ſq.* nec non *die Leipz. gel. Zeitung. a. 1750. p. 657. ſq.* quibus ſimul locis memorantur, quae ad Pfaffium ſpectant. Add. EIVSDEM ad ampliſſimum Kappium *Epiſtola*, quam *Acta Erud. Lat. a. 1752. p. 443. ſq.* poſt recenſionem laudati Operis legendam praebent. In *Tabulario Regio* adſeruatur

Menſa Iſiaca, rariſſimum ſapientiae Aegyptiacae monumentum, miroque fato ab interitu vindicatum. Inciderat enim in manus fabri cuiusdam, qui quum confringere vellet et conflare aes, elegantiſſimis auroque diſtinctis figuris pretioſum, forte interuenit Petrus Bembus, ſuperſtitioſus Tullianae facundiae cultor, illudque certa pecuniae ſumma redemit. Ab eo accepit hanc Menſam Iſiacam Vincentius, Mantuae Dux, cuius ex ſupellectile, vrbe Mantua a. 1630. a Caeſareis militibus occupata, cum reliqua praeda direpta ita euanuit, vt nemini de ea amplius aliquid innoteſceret. Tandem a. 1660. ab Archiatro quodam Ducis Sabaudiae detecta, caeterisque Domini ſui theſauris illata eſt. Cf. hic omnino WAGENSEILIVS *de Ciuitate Norimb. p. 85.* BRVCKERVS in *Hiſtor. Philoſ. Critica Tomo I. pag. 249.* et praecipue LAVR. PIGNORIVS in *Menſa Iſiaca, qua Sacrorum apud Aegyptios ratio et ſimulacra ſubiectis tabulis aeneis ſimul exhibentur et explicantur.* Recuſus eſt liber iſte, cum aliis non nullis, *Amſtael. a. 1669. in 4.* Hodie qui videre monumentum illud voluerit, is ſingulari Regis permiſſione opus habet, teſte KEYSSLERO *l. c. p. 265.* qui pagina antecedente docet quoque, Scriptorum excuſorum adparatum non magnum quidem eſſe, quoniam ſeptem Voluminum millia, praeter MSta, in Bibliothecam Academicam tranſlata fuerint; at ſuperſtites tamen libros in Hiſtoria et Iure Publico ſelectiſſimorum elogium mereri. Cf. BERGERI *Stromateus Academicus p. 40.* quibus ex locis non ſine ratione colligi poteſt, adhuc Auguſtae Taurinorum Regiam exſtare Bibliothecam, ab Academica diuerſam, plurimae licet illius diuitiae in hanc migrarint.

§. XXV.

Circumſpiciamus nunc alias, quae apud Italos illuſtres ſunt, Bibliothecas. Inter eas occurrunt

I.) *Fer-*

I.) *Ferrarienſis*, referta haud exili MStorum veterum copia, nec non rariſſimis Antiquitatum reliquiis, ſtatuis ſcilicet marmoreis, ſignis, tabulis, ſigillis aereis ac marmoreis, nummis aureis, argenteis, aeneis, magna ex parte à Pyrrho Ligorio, Architecto ingenioſiſſimo, collectis. *Praedicatoribus D. Dominici* Caelius Calcagninus, eruditus ſaeculi XVI. homo, Bibliothecam ſuam, in qua plurimos vitae annos transegerat, legauit non ſolum, ſed in ea etiam condi voluit; ideoque cineres eius et Epitaphium ibidem repeRiuntur. ANDR. SCHOTTI *Itiner. Ital. lib. I. p. 221.* LOMEIERVS *de Biblioth. cap. X. p. 193. ap. Schmid.*

II.) Apud *Bononienſes*

a) Bibliotheca *Canonicorum Regularium ad Templum S. Saluatoris*, circa a. 1525. a Pellegrino Bononienſi, Congregationis illius Praepoſito Generali, libris Graecis et Latinis, editis et ineditis, inſtructa egregie. MABILLON. *Muſei Ital. Tomo I. P. 1. p. 195.* qui inter alia MSta *Lactantii Inſtitutiones diuinas*, cum *libris de ira et opificio*, laudat, quadratis litteris ante annos mille et centum exaratas. Perierunt autem duo vel tria folia priora, ac deeſt Praefatio integra. Nec ſilentio praetermitti debet *Hiſtoria Reginae Eſther*, Opus, quod conuoluitur, inque pelle vituli ſubacta, flaui coloris, ſcriptum eſt Hebraicis litteris maiuſculis, et ipſa quidem Eſdrae manu, vt Canonici perhibent. Sed hoc Iudaeus credat Apella. Cf. TENTZELII *monathliche Vnterred. a. 1692. p. 985. ſq.* De aliis Codicibus, quorum non nulli ad ſaeculum X. et XI. referendi, pariterque de libris excuſis vetuſtiſſimis, vid. MONTFAVCON. in *Diario Ital. Cap. XXVII. p. 406. ſq.* et in *Biblioth. MStor. Tomo I. p. 431.* Add. KEYSSLERVS *Tomo II. p. m. 526. ſq.* ac denique BVR-

NETVS in *Defcript. itineris fui, Epiftola III. p. 403. edit. Germ. Lipfienfis a. 1688.*

b) Bibliotheca *Monafterii S. Dominici*, cuius veftibulum perpulchrum, et grande fpatium occupat, duplici columnarum marmorearum ordine fultum. Eft illa probe inftructa libris editis, imo et aliquot Codicibus manu exaratis. In Sacrario Templi reperitur liber, fimilis priori paullo fupra defcripto, fcilicet conuolutus ex pelle vituli fubacta, et tractabilis, in quo non Efdrae Codex *ἀυϊόγραφος*, vt ineptiunt Bononienfes, fed *Pentateuchus* habetur. Interim dici omnino perantiquus debet, iamque initio faeculi XIV. a Iudaeis dono fuit oblatus huic Monafterio, quafi rariffimum Cimelium. Inde duplici clauftro obferuatur, altera claue penes Magiftratum, altera penes Monachos depofita. Vid. MONTFAVCON. in *Diario p. 399. fq.* KEYSSLER. *l. c. p. 509. fq.* et BVDDEVS in *Ifagoge ad Theol. vniuerfam pag. 1470.*

c) Bibliotheca *Inftituti Scientiarum et Artium*, cuius Societatis auctor eft Ludouic. Ferdin. Comes Marfigli, vt infra *Cap. X.* fufius dicemus. Exftat Bibliotheca in fecunda contignatione aedificii, et libros complectitur in Philofophia, Mathefi atque Antiquitatibus egregios, quos Comites illi, pater aeque ac filius, diligentiffime collegerunt. Adeft quoque Turcicorum, Arabicorum et aliorum Codicum Orientalium copia non contemnenda, quam pater Marfigli ex Coruiniana Bibliotheca praefens acquifiuit, quum Buda a Turcis expugnaretur. Leopoldus Imperator pro hisce MStis quatuor aureorum millia obtulerat filio, antequam, ob res Brifaci male geftas, gratia illius excideret. KEYSSLER. *l. c. p. 531.*

d) Bibliotheca *Coenobii ad S. Michaelem*, quod extra

tra vrbem eſt, et ſiue ſitus, ſiue magnificentia aedificiorum ſpectetur, vix ſimile admittit. Librorum et excuſorum, et manu exaratorum, ſupellex mediocris dicitur ac vulgaris cum a MABILLONIO *Muſei Ital. Tomo I. pag. 201.* tum a MONTFAVCONIO in *Diar. p. 404.* KEYSSLERVS vero *l. c. p. 520.* ſua aetate pulchram fuiſſe hanc ipſam Bibliothecam, diſpoſitamque eleganter, adfirmat.

III.) Bibliotheca *Mutinenſis Ducis*, quam noſtra aetate celebriorem reddidit ei praefectus, Ludouic. Anton. Muratorius, ſub anni 1750. initium viuorum numero ereptus. Multis ea Codicibus manu ſcriptis ſuperbit, quorum praecipuos adfert MONTFAVCONIVS *l. c. cap. III. p. 31. ſq.* et in *Bibl. MStor. Tomo I. p. 531.*

IV.) Bibliotheca *Canonicorum Viterbienſium*, cui ſuam legauit Latinus Latinius, vti refert MABILLON. *Muſei Ital. Tomo I. p. 158.*

V.) Bibliotheca *Lucenſis Eccleſiae Cathedralis*, quae S. Martino patrono gaudet. Ea bonos libros haud paucos habet, cum editos antiquos, tum exaratos manu, quorum pleroſque Felinus Sandaeus, Epiſcopus, conceſſit. Quidam ſunt maximi pretii, e. g. *Liuii Fragmenta Decadum*; *Plinii Epiſtolae*, et cum primis *Codex* tempore Caroli M. ſcriptus, in quo ſunt *Euſebii Chronicon et Hiſtoria*, *Iſidori Chronicon et liber officiorum* caet. Vid. MABILLONIVS *l. c. p. 188.*

VI.) Bibliotheca *ad Templum Cathedrale, apud Senenſes*, quae olim inſignem ſelectiſſimorum MStorum copiam habuit, a Pio II. Pontifice illatam eidem. Sed Caroli V. Imperatoris aetate Codices iſti partim Florentiam, partim ad Hiſpanos tranſlati fuerunt. KEYSSLERVS *Tomo I. p. 566. princ.* Seruat etiam *Noſocomium Senenſe*, quod

reliquiis Sanctorum bene multis nobilitatur, *Commentarium S. Iohannis Chryſoſtomi in Nouum Teſtamentum*, quem tradunt ipſa huius viri manu eſſe conſcriptum. Neque tamen inſpicere hoc Volumen, eiusque explorare vetuſtatem licuit Montfauconio, quamquam bis commoratus Senae fuerit, vti memorat in *Diario, cap. XXIII. p. 349.*

VII.) Bibliotheca *Piſanae Academiae*, cui Aldus Manutius, iunior, octoginta millia librorum legaſſe dicitur, teſte ANDR. SCHOTTO in *Itiner. Ital. lib. II. cap. 10. p. 439.* et BERN. a MALLINKROT in *Diſſ. de ortu ac progr. artis typogr. cap. XIV. pag. 748. Tom. I. Monumentor. typograph.* a WOLFIO *Hamburgi editorum.* (In *Lexico* tamen *Eruditorum Ioecheriano, T. III. p. 124.* Aldum, aere oppreſſum alieno, vendidiſſe adſeritur tot voluminum Bibliothecam, quod maiorem veritatis ſpeciem habet. Et hac forſan occaſione proſpexerunt Piſani Bibliothecae ſuae Academicae.) Eadem ratione Ioſephus Aueranius, ICtus cum priſcis comparandus, a. 1738. Bibliothecam ſuam exquiſitiſſimam reliquit, quod legimus cum in *den Leipz. gelehrt. Zeitung. a. 1739. p. 365.* tum in *Vita eius, Interpretationum Iuris Tomo II.* praemiſſa.

VIII.) Bibliotheca *Ducalis Parmenſis* rariſſimis MStis et Operibus typis excuſis belle inſtructa. Ornatiſſimam eam dicit, librisque ad quadraginta fere millia refertiſſimam MABILLONIVS *loc. cit. p. 208.* Omnia volumina ligatura Gallica eſſe compacta, Catalogumque eorum, iam a. 1692. coeptum, diuerſis Tomis in lucem prodiiſſe, adfirmat NEMEITZIVS in *der Nachleſe beſonderer Nachr. von Italien, p. 376.* Sed quod ad Catalogum attinet, fidem Auctor mereri non videtur; ſaltim in Bibliothecis locupletiſſimis fru-

ſtra

ſtra eundem quaeri, certum eſt. Add. KEYSSLERVS *Tomo II. p. 566.* vbi tamen librorum numerum octodecim millia ſuperare negat. MONTFAVCONIVS in *Diario cap. XXVIII. p. 444.* de hac ipſa Bibliotheca ſic ſcribit: *In veſtibulo quodam exſtant duo ſepta aſſeribus admotis circumquaque clauſa, vbi Codices manu ſcripti bene multi ab aliquot annis tumulantur, nec paruo rei publicae litterariae damno diu, vt creditur, iacebunt ſepulti.* Cf. Eiusdem *Praefat. ad Palaeogr. Gr. p. 26.* quo loco eadem dixit Auctor, paucis adiectis. Multis etiam elogiis Bibliothecam Parmenſem commendat, ſimulque Numophylacium, cuius minimam fere partem PAVL. PEDRVSIVS explanauerit in Opere maiori, *i Ceſari in oro et in argento* inſcripto, *octoque Tomis Parmae a. 1694. ſq.* edito, pretioſiſſimum eſſe abſolutiſſimumque contendit HIERON. LIONI in *Dedicat. ad Tom. I. Supplementorum al Giornale de' Letterati d'Italia, Venet. 1722. in 12.* Add. KEYSSLER. *l. c.* Nunc vero praeſtantiſſima haec Bibliotheca, a Carolo, Duce olim Parmenſi, iam Rege Siciliae, Neapolim deuecta, ibidemque Academiae donata eſt, ea quidem conditione, vt ſingulis hebdomadis ter pateat. *Leipz. gel. Zeit. a. 1739. p. 835.*

IX.) Apud *Neapolitanos* in ipſa vrbe Neapoli

α) Bibliotheca *Regia*, cuius Director, Marcellus Marchio de Venuti, Herculani deſcriptione celebris, ante paucos annos, neſcio quam ob cauſſam, deiectus hoc munere fuit. Plura de illa adhuc ignorantur. Antiqua vero Bibliotheca Regia diſſipata eſt, maxima eius parte Regiae Pariſienſi illata eo tempore, quo Carolus VIII. Gallorum Monarcha vrbem ferro ceperat, vt ſupra memorauimus. Condita dicitur ſaeculo XIV. a Roberto Rege, Andegauenſi, et poſtea a ſuc-

cessoribus vel doctrinae melioris ornamentis illustribus, vel Maecenatibus eruditorum summis, Alphonso maxime et Ferdinando Arragonico, mirifice aucta est. Et posterior quidem libros addidit Procerum, conspirationis in eum conuictorum, vltimoque proinde adfectorum supplicio. Vid. *Memoire historique sur la Bibliotheque du Roi p. 7.* in *Parte I. Catalogi libror. impressor.* quos Biblioth. Regia Parisiensis habet.

β) Bibliotheca *Academica*, quae olim Parmae fuit, postea liberalitate Caroli, Regis, Vniuersitati cessit, fidem huic rei facientibus Nouis Lipsiensium litterariis, loco sub finem *num. VIII.* adducto

γ) Bibliotheca in *Monasterio Ordinis Oliuetani*, cuius fundamenta iecit Alphonsus II. Arragoniae Rex, eamque Codicibus quibusdam membranaceis ornauit. Vid. MABILLONIVS *l. c. pag. 112.* MONTFAVCON. in *Diario cap. XXI. pag. 302.* et KEYSSLERVS *Tom. II. p. 325.*

δ) Bibliotheca *S. Iohannis de Carbonaria*, quae ad Patres Augustinianos pertinet. Multi in ea sunt Codices antiqui, tam Graeci, quam Latini; veteres item librorum editiones ex dono Hieron. Seripandi, Cardinalis. Is Germanum habuit fratrem Antonium, cui quum amicus Ianus Parrhasius libros suos testamento legasset, Antonius vicissim eosdem cum suis Hieronymo reliquit, ab hoc Sodalibus suis postea datos, quae MABILLONII sunt verba *l. c. p. 110.* Olim numerosiorem Bibliothecam a Batauo quodam emtis Codicibus mulctatam esse magna supellectilis parte, accepit MONTFAVCONIVS. Vid. *Diar. Ital. p. 308.* vbi etiam praecipuorum MStorum Index occurrit. Cf. *Biblioth. MStor. Tomo I. p. 231. sq.* Atque haec relatio ad id conducere simul videtur,

tur, ne miratio ſubeat animum, quo modo tot Parrhaſii libi, Seripando legati, in priuatam Valletae Bibliothecam tranſierint. Forte enim eos a Batauo illo comparauit Valleta. Cf. *Neuer Bücher-Saal P. LIX. p. 810. ſq.* Inter MSta Bibliothecae Iohannis de Carbonaria maximi eſt momenti *Diſcoridis Codex*, qui ſic delineatur locis Montfauconii citatis: *Eleganter eſt deſcriptus, membranaceus, characteribus vncialibus quadris, ſine accentibus, adpoſitis plantarum florumque figuris, minio depictis a perita manu. Huius auctoris nullum puto pari vetuſtate et elegantia exemplar exſtare: nam Regium*, (Pariſienſe) *quod antiquitatis cauſſa ſuſpicitur, huic multum concedit aetate et pulcritudine. Initio mutilum hisce verbis incipit*: Αμβροσία οἰδὲ βότρυς· οἰδὲ βότρυς, *eſtque quinti, vt puto, ſaeculi.* Ab eodem indicatur *Codex Homiliarum in Euangelium*, in charta membranacea purpurei coloris, aureis characteribus quadris cum accentibus ſpiritibusque ſaeculo ſeptimo vel octauo exaratus, forma quadripartita. Sannazarii quoque Bibliotheca in hoc ipſo Monaſterio conſpicitur, quae, praeter alia egregia, *Varronis de re ruſtica Codice* ſatis vetuſto excellit. Vid. ISAACI VOSSII *Epiſt. ad Nic. Heinſium* in *Sylloge Epiſt. Burmanniana, Tomo III. p. 566.*

ε) Bibliotheca *Monaſterii S. Seuerini*, nec MStis deſtituta, quorum aliquos memorat MONTFAVCON. in *Diario p. 319.*

ζ) Bibliotheca *Monaſterii S. Brigittae*, a Sebaſtiano, Paulio, Congregatione Matris Dei, hoc ſaeculo condita, rerumque item naturalium ac tabularum aere excuſarum Muſeo belle inſtructa, vti ex PAVLLI MARIAE PACIAVDI *Comment. epiſtolica de rebus Paulii* referunt *die Leipz. gel. Zeit. 1752. p. 410.*

η) Bi-

η) Bibliotheca priuata *Iosephi Vallettae*, ICti Neapolitani doctissimi, qui a. 1714. ex vita discessit. Merito is Italorum Peirescius nominari debet. Res eius libraria, cuius paullo ante mentionem iniecimus, et numero, et delectu, conspicua, omnes in admirationem traduxit. Praeter libros excusos, quorum permulti rarissimi fuerunt, et celeberrimorum virorum, e. g. Erasmi, Holstenii, Iani Parrhasii, Salmasii, Dan. Heinsii, Gruteri, Menagii, aliorumque manu illustrati, non modica etiam Codicum scriptorum copia abundauit, quorum Catalogum exhibet MONTFAVCONIVS *l. c. p. 303. sq.* Add. omnino *der Neue Bücher-Saal, P. LVIII. art. 6. p. 757.* et *P. LIX. art. 2. p. 797. sq.* Isthaec vero Bibliotheca vtrum adhuc integra exstet, an in variorum manus, post obitum possessoris, peruenerit, non liquet; quamquam priori subscribere sententiae malim, fide suffultus laudati modo Diarii *P. LVII. p. 672.* vbi de filio eius et nepotibus. Saltim nondum audiuimus a quopiam, Regem Sardiniae eandem re vera comparasse, vt olim rumor fuerat. Cf. IOH. GOTTLIEB KRAVSII *Noua litteraria anni 1723. p. 3.* Extra vrbem Neapolim

ϑ) Bibliotheca *Monasterii in Monte Cassino*, praeclaro MStorum adparatu conspicua. Vid. de his MONTFAVCON. in *Bibl. MStor. Tomo I. p. 215. sq.*

X.) In *Sicilia* in *Monasterio S. Saluatoris Messanensi* multi etiam Codices Graeci inueniuntur, quorum adiunctus Catalogus est PLACIDI REYNAE *Notitiae historicae vrbis Messanae Parte II.* quod Opus nunc, ex Italico sermone in Latinum versum ab illustri Moshemio, recusum est in *Parte IX. Thesauri Antiqu. et Histor. Siciliae.*

XI.) *Vintimiglia*, Genuensium vrbs, Bibliothecam possidet, quam Angelicus Aprosius *Monasterio*

S. Ma-

S. Mariae a Consolatione, ad Patres Augustinianos pertinenti, superiori saeculo reliquit. Agit de illa paullo fusius IOH. CHRISTOPH. WOLFIVS in *Praefat. praefixa Bibliothecae Aprosianae*, de quo libro infra *Cap. VII.* plura dicentur. Addenda denique

XII.) Bibliotheca in *Monasterio Cryptae Ferratae*, haud procul a Roma, quod Patres S. Basilio addicti tenent. Graeci Codices, iique haud proletarii, ibidem adseruantur. Praecipue notatu dignus est praestantissimus et perantiquus Codex membranaceus, in quo sunt *Isidori Pelusiotae Epistolae*. In calce eiusdem monetur, iussu Nili, fundatoris Monasterii, exaratum esse hunc librum absolutumque anno Christi 986. MONTFAVCON. in *Diario p. 334. sq.* nec non in *Bibl. MStorum Tomo I. p. 199.* pariterque in *Praef. ad Palaeogr. Gr. p. 23.*

§. XXVI.

Apud *Heluetos* non vna etiam Bibliotheca maioris momenti laudatur.

I.) *Tigurini* duas habent publicas, alteram *Ecclesiae*, alteram *Ciuitatis*. Bibliotheca *Ecclesiae* cum ipso propemodum Collegio Carolino, a Carolo M. fundato, sumsit originem, teste IOH. HENR. HOTTINGERO in *Schola Tigurinorum Carolina, Tiguri a. 1664. in 4. p. 19.* vbi et sequentia leguntur: *Ex ea antiquissima monumenta siue incendiis, siue mutationibus, tempore praesertim Concilii Constantiensis, siue, (quae Rudolphi de Wartensee, Praepositi, querela est,) incuria perdita et amissa esse pene omnia, merito dolemus. Missale tamen d. a. 1270. MStum, et superstitiosae illius aetatis, et varietatis simul rituum ecclesiasticorum in ecclesia Romana testis locupletissimus, vel hodie in Bibliothecae nostrae forulis ostendi potest. Et certe, si votis quid proficere-*

ceretur, optandum vtique eſſet, vel Caroli ſaltim M. libellum Orationum, ſiue ἐυχολόγιον, Pſalterium, duos Homiliarum libros, ideo ſupereſſe, vt tum graſſantis ſuperſtitionis deformitatem, tum etiam emicantis in ipſis Papatus tenebris veritatis clarius intueremur ſtricturas. Hactenus ille. Seruat tamen haec Bibliotheca *Codicem* adhuc *Bibliorum* membranaceum, in forma maiori, ab ipſo, vt perhibetur, Carolo eidem illatum, de quo vid. IOH. HENR. VON SEELEN, vir clariſſimus, in *Selectis litterariis p. 274. edit. ſecundae*, item antiquiſſimum *Pſalmorum Volumen*, in membrana purpurea, titulis aureis ac litteris argenteis Graece exaratum, quem ſingulari, eaque perampla, *Epiſtola* ad eminentiſſimum Cardinalem Quirinum, *Tiguri a. 1748. in 4. mai.* excuſa, deſcripſit IOH. IAC. BREITINGERVS, de ſuperiori etiam Bibliorum Codice *pag. 58.* differens. Catalogus Codicum omnium ſecundum litterarum confectus ordinem, et foliis quatuor inſcriptus, exſtat Hamburgi in Bibliotheca Wolfiana, prout indicat IOH. CHRISTOPH. WOLFII *Conſpect. ſupellect. epiſtolicae p. 277.* Magna in Bibliothecam illam Tigurinorum fuerunt merita Henrici Bullingeri, Theologi, de quo MELCH. ADAMI in *Vitis Germanor. Theolog. p. 482. edit. Francof. et Heidelberg. d. a. 1620.* haec memorat: *Bibliothecam quoque publicam* (ſcilicet Collegii Carolini) *eo vsque fere neglectam, per Conradum Pellicanum* (a. 1532.) *in ordinem redigendam curauit; eamque plurimum Bibliotheca Zwinglii coemta additaque auxit.* Vita Pellicani exponitur in *dem Alten vnd Neuen aus der gelehrten Welt*, quod Diarium *Tiguri a. 1717. in 8.* diuulgatum, *Parte I. artic. 3.* cui ſubiunctus eſt *artic. 4. Index MStorum Conradi Pellicani, in vtraque, tam Canonica, quam Ciuica, Tigurinorum Bibliotheca aſſeruato-*

uatorum. Sunt haec Volumina viginti ſex, Rabbinica plerumque, aut ad explicationem ſaltim Teſtamenti Veteris vtilia. Iſthoc, quo viuimus, ſaeculo ex Ioh. Henr. Hottingeri Bibliotheca MStorum Tomos quinquaginta ac duo in f. et quatuor Volumina in 4. quae omnia complures *eruditorum Epiſtolas*, et alia ad *Hiſtoriam* potiſſimum *eccleſiaſticam ac litterariam* pertinentia, iure donationis, a. 1736. publicatae, accepit a filio, Ioh. Iac. Hottingero, qui et ipſe de ſuo adiecit *Acta authentica Colloquii Badenſis*, tempore Reformationis inſtituti; *Epiſtolas Weſeri octo Tomis in f.* cum eiusdem *Orationibus*, *exegeticis ſcriptis*, caet. nec non *Cyrilli*, Patriarchae Conſtantinopolitani, *Confeſſionem fidei*, ſua manu ſubſcriptam, referente id *Lexico vniuerſali Zedleriano*, *Parte LXIII. p. 1398.* Mirum ſane, hac de re nihil dici a IOH. IAC. LAVATERO, in *Oratione, Hottingeri manibus conſecrata*, editaque *Tiguri a. 1736. in 4.* Caeterum conf. de hac Bibliotheca HENR. HVLDERICVS in *Bibliotheca noua Tigurinorum publico-priuata, Tiguri a. 1629. in 4.* Latine ac Germanice compoſita; qui tamen liber iam rariſſime eſt obuius, eamque ob cauſſam inſpicere illum non licuit. Bibliotheca *Ciuitatis*, anno circiter 1629. a priuatis inchoata, iis ſenſim augmentis creuit, vt iam initio praeſentis aetatis octo millia et quinque fere centurias librorum excuſorum complexa ſit, praeter MSta varia, hiſtorica cum primis, quae alibi non facile occurrunt. Conf. HOTTINGERVS in *Biblioth. quadripart. p. 25.* Poſt aliquas transpoſitiones locus tandem datus eſt eidem in Templo Ciuitatis, propterea, quod illud lacus circumfluit, *die Waſſer-Kirche* dicto, vbi in ima parte plurimus librorum ac praecipuus adparatus collocatus eſt; in medio contra reliqui omnium

omnium diſciplinarum libri, quos inferius non capit ſpatium, itemque MSta Opera, et in ſuprema demum contignatione Numophylacium, inſtrumenta mathematica, reliquiae Antiquitatis, naturaeque et artis ſingularia conſpiciuntur. Prioris librariae ſupellectilis *Catalogus alphabeticus*, Praefatione inſtructus hic omnino conſulenda, prodiit *Tiguri a. 1744. in 8. Tomis II.* ſic inſcriptus: *Catalogus librorum Bibliothecae Tigurinae, in inferiore aedium parte collocatorum*; quem ſuo tempore reliquorum ſequetur deſignatio. Multa volumina pretioſa in hocce Catalogo occurrunt, e. g. *Conciliorum Collectio Regia*, *Bibliotheca magna Patrum*; *Biblia critica Londinenſia*; *Thomae Aquinatis Opera omnia*; *Tractatus Tractatuum* a Ziletto collectus; *du Chêſne Hiſtoriae Francorum Scriptores*; *Theſauri Gronouiani*, *Graeuiani* ac *Burmanniani*, caet. Succedat

II.) Bibliotheca *Academiae Baſileenſis*, a primis reformationis temporibus ex Monaſteriis *) coacervata

*) Poſtquam has ſchedas ad bibliopolam miſeram, peropportune in manus meas incidit LVCAE GERNLERI, Doct. ac Prof. Theol. *Oratio ſaecularis de Academiae Baſilienſis ortu et progreſſu.* edita *Baſil. a. 1660. in 4.* quo ex Opuſculo, iam parum obuio, quaedam de Bibliotheca notanda ſunt hic loci. Sic autem orator *p. 49. Corpus*, inquit, *noſtrum Academicum prima vitae ſtamina, quoad potiores partes, ſolemni illa poſt exactum Papatum* παλιγγενεσία *recuperauit: membra poſt varia temporis tractus ſenſim perfecit. Hoc ipſo Quinquagenario non vna ſui parte hilarem ad auctum grandeſcebat, quando Bibliotheca conſtructa - - - Non tum primum colligi Bibliotheca cepit: collecta dudum erat; ſed ſuperſtitionis tempore, qui nunc humili loco repoſitus eſt ſublimis theſaurus, editiore, qui in iſto Templo viſitur adhuc, conſtitutus, humiliores non nihil continebat opes. Non pauca Monachorum abſorpſerant gurguſtia et captiuarant. Ea ne nemini vtilia ſitu carieque perirent; Academiae armariis, ſub initium periodi huius inferri curauit incly-*

uata ſuaſu Ioh. Oporini, qui libros etiam donauit, in eius officina formis exſcriptos. Excellit illa MStis quibusdam, potiſſimum Graecis, quae tempore Concilii Baſileenſis eo fuerunt delata. Inter haec *Euangeliorum* eſt *Codex* antiquiſſimus, cui vel mille adſignant annos, et cuius in margine ſectiones reperiuntur, quibus Dominicae lectiones notatae ſunt. Probabile eſt, Codicem illum eundem eſſe, quem Ioh. Laſcaris Franciſco I., Galliarum Regi, obtulerat olim, quemque deinceps Leo Curio Lutetiae Pariſiorum comparauit, et ſecum portauit Baſileam, ex cuius Bibliotheca ad Patres Praedicatores Baſileenſes, ac tandem, Senatus auctoritate, in publicam Academiam peruenit. Plura de eo legi poſſunt in GEBHARDI AVGVSTI SCHMELZERI *Diſſ. de antiquo Baſileenſis Bibliothecae Codice Graeco IV. Euan-*

inclytus Magiſtratus. Ita, quas Auguſtinianorum, Carthuſianorum, Franciſcanorum, Dominicanorum, foruli abſcondiderant, delicias, vna nunc Academiae luxuriat libraria. Ioannes de Raguſio, Epiſcopus Argenſis, generalis quondam Ordinis Praedicatorum Procurator, qui, Iuliani Cardinalis loco, Concilio Baſilienſi exordium dedit, poſt, ſpectatae eruditionis nomine, in Cardinalium ſedes aſciri meruit, eleganti Cod. MStorum, Graecorum in primis, ſupellectili Dominicanos, ſui Ordinis Conuentum, locupletarat. Idem theſaurus, Henrico Petri meritiſſimo Scholarcha procurante, Academiae aſſertus, armariis eius illatus. Martinus vero Borrhaus, Beſſarionem imitatus, ne non et poſt fata Academiae prodeſſe videretur, chartaceam ſuam ſupellectilem omnem moriens Academiae legauit. Poſſet heic velut in campo exſultare Oratio, ſi recludere armaria noſtra, vel eorum ſaltim limina pandere vobis inſtitueremus. Saltim nemo inuidebit, ſi Bibliothecam, cuius MSti Codices millenarium longe excedunt, cum quibuscunque Germaniae librariis certare poſſe confidamus. Addit his Gernlerus *pag. 52.* Iacob. Hagenbachium, Philoſophum et Medicum, Borrhai exemplo Bibliothecae ſuae et herbariae ſupellectilis heredem, ſuperiori ſaeculo, Academiam ſcripſiſſe.

Euangeliorum manu in membrana ſcripto, Gotting. 1750. Inter Latinos eminet *Virgilius*, Codex aetatis venerandae. MStorum theologicorum indicem dedit THEOPH. SPIZELIVS in *Sacris Biblioth. illuſtr. arcanis, p. 17. ſq.* quem repetiit MONTFAVCON. *Tom. I. Bibl. MStor. p. 607. ſq.* Non nulla tamen ſuperaddidit, a Spizelio haud obſeruata, IOH. GOD. OLEARIVS, quae inſerta ſunt SCHELHORNII *Amoen. litter. Tomo XII. p. 667. ſq.* Inſignibus haec Bibliotheca opibus creuit poſt acceſſionem Amerbachianae, cuius ab Eraſmo quondam et Amerbachio inchoatae *Catalogus Baſil. a. 1659. in 4.* typis impreſſus, at hodie vix obuius eſt. Hanc Magiſtratus anno 1664. Academiae donauit, teſte HOTTINGERO in *Biblioth. quadripart. p. 14.* Hoc ſaeculo eandem lautiſſimo munere ornauit Anton. Hoeggerus, Dynaſta, quod quatuordecim vel quindecim millia librarum Gallicarum ſuperare, vulgo credatur. Conſtat autem ſeptuaginta et amplius Voluminibus elegantiſſime veſtitis, quae complectuntur quicquid eſt tabularum in aes inciſarum, quod inde a centum annis, quibus maxime ars iſta floruit, praeſtantiſſimorum artificum opera confectum eſt. His accedunt volumina alia, prope trecenta, quibus libri exquiſitiſſimi continentur, quos praeterlapſum protulit ſaeculum, ita ſplendido tecti habitu, vt in eo omnia, quae viſa ſunt vnquam, librorum ornamenta longe excellant. Hac vero liberalitate mirabili tantum dignitatis collegit Bibliotheca Baſileenſis, vt nunc cum ampliſſimis quibusque Europae theſauris librariis conferri queat, plurimisque ſuperior ſit. Vid. *Bibliotheca Bremenſis hiſtor. philol. theolog. Claſſ. II. Faſc. 2. p. 319.* Praeterea picturis, nummis, aliisque monumentis egregiis et curioſis Academica

demica Bibliotheca eſt refertiſſima, quorum plurimam partem Eraſmum itidem et Amerbachium reliquiſſe, ſcribunt CAROL. PATINVS *en Relations hiſtoriques de Voyages p. 123.* et KEYSSLERVS *Tomo I. p. m. 161.* quo loco praecipue commendatur *Holbeinii pictura*, Corpus Seruatoris noſtri mortuum tanto repraeſentans artificio, vt pro ſolo hoc Opere mille aurei oblati aliquando Baſileenſibus dicantur. Cf. LOMEIERVS *de Biblioth. cap. X. p. 205. in Collect. Madero-Schmidiana;* IOH. MABILLON. in *Itinere German. p. 14. edit. Fabricianae*, pariterque *Voyage litteraire de deux Religieux Benedictins*, MARTENE et DVRAND, *à Paris 1717. in 4. Parte II. p. 142. ſq.* vbi haec: - - *il nous mena d'abord à la Bibliotheque de l'Univerſité, où le Bibliothecaire dans ſon habit de ceremonie nous attendoit. Elle eſt placée dans le lieu même, où le fameux Concile de Baſle fut tenu ſous le Pontificat d'Eugene IV. Il y a un très grand nombre de manuſcrits, parmi lesquels on nous fit voir un Nouveau Teſtament Grec, qui peut bien avoir mil ans, et plusieurs autres de S. Chryſoſtome, de S. Athanaſe, de S. Gregoire de Nazianze, de Theodoret, de Theophilacte, tous en Grec, et beaucoup de manuſcrits Latins; la plûpart ont été tirez de la Chartreuſe de Baſle. Nous vîmes auſſi les Actes du Concile de Baſle en dix ou douze gros volumes in folio, le Teſtament en Original d'Eraſme, ſes armes, et des recueils de lettres des plus fameux Proteſtans. Les portraits des hommes illuſtres de l'Univerſité ſont autour de la Bibliotheque, parmi lesquels on remarque celui du Pape Pie II. qui en a été le fondateur.* Inter priuatas Bibliothecas celeberrima eſt *Faeſchiana*, collecta ſuperiori ſaeculo a Remigio Faeſchio, Anteceſſore Baſileenſi, qui et fideicommiſſi iure diſpoſuit, vt illa ſemper tranſeat, vna cum in-

ſtructiſſimo Muſeo, ad Seniorem Familiae. Iuuabit de illa, et de Cimeliarchio ipſius, audire MABILLONIVM *l. c. p. 16. Ex Cathedrali*, inquit, *Eccleſia in aedes diuertimus elegantiſſimas domini Faeſchii, Senatoris Rei publicae Baſileenſis, qui nos multa humanitate excepit, comitante ſemper erudito Buxtorfio. In inferiori aedium parte viſitur Bibliotheca optimis referta libris, cum editis, tum ſcriptis: quos inter alii ſunt Iſidori, alii Bedae, plerique veterrimi. In ſuperiori parte Cimeliarchium, omni rerum curioſarum genere locuples.* Add. KEYSSLER. *loc. cit.*

III.) *Bernenſis Rei publicae* Bibliotheca originem debet transſumtis ex Monaſterio Portimontenſi et aliunde Codicibus, vetuſtate ac ſqualore horridis; incrementa vero liberalitati Ioh. Faedmingeri, primarii Vrbis Eccleſiaſtae, qui teſtamento ſupellectilem ſuam librariam Bibliothecae Ciuicae addixerat, nec non Iacobi Grauiſſeti, a quo praeclara Iac. Bongarſii Bibliotheca, ſuprema poſſeſſoris voluntate ad eum deuoluta, a. 1659. publicis tradita vſibus eſt. Reſpicit huc BAELIVS, dum in *Diction. hiſt. et crit. v. Bongars* ex IACOBI *Traité des Bibliotheques* differit: *La Bibliothéque de Berne profita beaucoup de celle de Jaques Bongars, qu'il avoit bien augmentée en 1604. des débris de la Bibliotheque de Cujas.* Abundat inde, praeter egregiam *Epiſtolarum collectionem*, quas viri doctiſſimi ad Bongarſium et Petrum Danielem dederunt, (vid. *Leipz. gel. Zeit. a. 1718. p. 122.*) MStis Patrum, Scholaſticorum, Philologorum et Hiſtoricorum, Francicorum praeſertim, eorumque, qui de bello ſacro ſcripſerunt ac terra ſancta; nec omittenda ſunt *Biblia*, priſco Gallorum idiomate exarata, ac diuerſa *Claſſico rum Auctorum Opera*, quibus omnibus ſi librorum

rum typis vulgatorum copiam adnumeremus, altero tanto fere auctior reddita est Bibliotheca Bernensis. Mantissam Hebraicorum Codicum addidit Sam. Hortinus, prout memorat HOTTINGER. in *Biblioth. quadrip. pag. 15.* Deinde circa a. 1693. Iuuenis Patricius, Wyssius nomine, in bellorum motibus Sabaudiae Duci militaturus, testamentum in procinctu fecit: vnde, postquam in acie ad Orbassanam, siue Marsagliam, Pedemontii cecidisset, quicquid librorum in bonis eius repertum fuerat, Bibliothecae publicae accreuit, Codicum numero octingenarium excedente. Ipse deinceps locus, Procerum cura et impensis, splendidior factus et commodior, libri omnes iustum in ordinem redacti, veteresque Codices manu exarati nouum acceperunt habitum, vt, quum antea in luctu et squalore neglecti iacerent, nunc ipso cultu spectatoris prouocare curiositatem videantur. Consularium praeterea, doctorumque, de re publica, ecclesia atque schola optime meritorum, virorum imaginibus, aliisque ornamentis, Bibliotheca mirifice instructa est. Ab initio huius saeculi processit in dies longius variorum beneficentia, grandisque Operum et excusorum, et manu scriptorum, aceruus priores doctrinae thesauros multiplicauit. Inter haec *Bibliorum Latinorum exemplaria membranacea*, non ex operis elegantia tantum et vetustate, verum etiam ob lectiones variantes ad marginem notatas, magni omnino aestimanda sunt. Accesserunt alia complura, quae ornatum vsumque adferunt Bibliothecae, veluti *Globi longissimi diametri*, *Sphaera magna Braheana* et *Copernicana*, generalis et particularis caet. Item *Numophylacium*, numismata seruans aurea, argentea, aenea, diuersi moduli, plus

minus mille quingenta, Romanae tam Consularis, quam Imperatoriae, Graecae, Gothicae, Antiquitatis reliquiae. Vid. IOH. RODOLPHI RODOLPHI *Bibliothecae Ciuicae Bernensis, e suis primordiis, incrementis caet. praecipue vero nupera, Illustrissimorum Procerum mandato, suscepta instauratione, breuis et historica descriptio*, quae adiecta *Dissertationi Propaedeuticae*, cui titulus: *S. Theologiae Doctor et Discipulus*, *Bernae 1699. in 4.* nec non *Bibliotheca Bremensis, historico-philol. theologica Classis VI. Fasc. 4. art. 7. p. 716. sq.* vbi describitur *illustris Gymnasii Bernensis, eiusque Bibliothecae, moderna facies*. Cf. etiam Diarii Tigurini, *Altes und Neues aus der gelehrt. Welt* inscripti, *Pars III. artic. 2.* cuius argumenta breuiter indicant *die Leipz. gel. Zeit. l. c. p. 551.* Bibliothecarius primarius adhuc est, quantum constat, vir doctus, Sam. Engelius, qui ipse collegit selectissimam librorum in omni Scientiarum genere rarissimorum copiam a. 1744. splendidissimae Bibliothecae Bunauianae iure emtionis acquisitam illatamque. Cf. *Catalogus Biblioth. Bunauianae Tom. I. Vol. 1. p. 505. Index* horum librorum, quos possessor omnes ac singulos in nulla Bibliotheca, qualiscunque sit, simul exstare negat, prodiit *Bernae 1743. in 8. mai.* notisque criticis vbique illustratus est. Successit paullo post *Spicilegium vel omissorum antea, vel nouissime coemtorum librorum*, in quo eandem obseruare methodum licet

IV.) *Geneuensis* Bibliotheca occurrit, de qua IOH. ADOLPH. TVRRETINVS in *Orat. de saeculo XVII. erudito, et hodiernis litterarum periculis* non nulla commemorat. Primam lucem viderat haec ipsa Oratio *Geneuae a. 1704. in 4.* recusa deinceps in *Auctoris Orationibus collectis*, *ibid. 1737. in 4*; in eiusdem *Opusculis L. B. a. 1749. eadem forma, Vol. III*;

Vol. III.; in eiusdem *Opuſculis varii generis, Brunſuigae a. 1725. in 8*; pariterque in Celeberrimi KAPPII *Orationibus ſelectis clariſſimorum virorum, P. I.* vbi *p. 517.* ſequentia leguntur verba: - - *Quorum ſi et nos veſtigia preſſimus, ſi Bibliothecae Geneuenſi nouum quaſi ortum dedimus, ſi etiam in loco amoeniſſimo atque amiciſſimo Muſis collocauimus, ſi tum libris editis, tum manu ſcriptis Codicibus, tum Iconibus, tum Numiſmatibus, tum exquiſita ſupellectile, plus aucta eſt vno hoc anno,* (ſcilicet a. 1703.) *quam per centum annos fuerat, ſi denique ita ordinata, ita legibus conſtituta eſt, vt breui felicibus auſpiciis, publici iuris ſit facienda, fecit ampliſſimi Senatus, fecit plurimorum ex Patribus conſcriptis, fecit plurimorum ex Paſtoribus atque Profeſſoribus, fecit aliorum Virorum praeſtantium, tum Hoſpitum, tum Ciuium, nunquam ſatis praedicanda, nunquam ſatis poſterorum memoriae commendanda munificentia.* Monetur ſimul in ſubiecta nota quadam, quod Bibliothecae fores menſe Aug. anni 1703. aperiri coeperint, ac deinceps ſingulis Martis diebus patere debeant. Add. KEYSSLERVS *T. I. der neueſten Reiſen, p. m. 200.* quo ſcribit loco, Bibliothecam Vrbis Geneuenſis praeſtantiſſima Collectione librorum, numiſmatum, et petrefactorum ornari: Inter Codices manu exaratos praecipuos eſſe vetuſtum *Terentii Volumen, quatuor Euangeliſtas* noni ſaeculi, et *Biblia Latina integra*, formae maioris; nec deeſſe monumenta Antiquitatis et clariſſimorum virorum imagines. Laudat idem priuatam *Lullini*, Sacerdotis, ſupellectilem, in qua ſe vidiſſe, ait, *Sermones Hieronymi*, papyro Aegyptiacae ex cortice inſcriptos, quem Codicem Montfauconius in iudicio praefixo ſexti vel ſeptimi ſaeculi eſſe opinetur. Inueniri hic

etiam primas *Ciceronis editiones de officiis* addit, *Mogunt. a. 1465. et 1466.* adornatas. Progrediamur denique

V.) ad Bibliothecam *Abbatiae S. Galli*, quae antiquiſſima eſt, cumque ipſa Schola probabiliter a Carolo M. inſtituta, et a ſaeculi IX. Abbatibus libris optimis adaucta, prout diſcimus ex *Hiſtoire litteraire de la France*, *Tom. IV. p. 243. ac Tom. V. p. 612.* Poſtea quidem varia bella, fluctusque ciuiles, non mediocre illi detrimentum attulerunt; inſtaurata tamen fuit paullatim, iamque, praeter editos, magna veterum librorum copia, qui optimae ſunt notae, ſuperbit. Ex his nominari merentur *Oroſii hiſtoria*, eleganter ſcripta; *Alcimi Auiti Poemata*, ab editione Colonienſi longe diuerſa; *Ferrandi*, Diaconi, *liber ad Reginum Comitem*; *Proſperi Opera fere omnia*; *Ruricii Lemouicenſis Epiſtolae*; *Quinctiliani Inſtitutiones*, in Codice perantiquo, quem Poggius exſcribendum accepit ex ipſa S. Galli Bibliotheca, non vero apud ſalſamentarium quendam reperit, vt Paul. Iouius contendit, et ex illo alii adfirmarunt. Ipſe enim Poggius eos refellit, in *Epiſtola quadam, Conſtantiae a. 1417. ad Guarinum Veronenſem data*, referens, quod in Monaſterio S. Galli inter confertiſſimam librorum copiam Quinctilianum inuenerit, adhuc ſaluum et incolumen, plenum tamen ſitu, et puluere ſqualentem. Fuiſſe ſcilicet libros illos non in Bibliotheca, vt eorum dignitas poſtularit, ſed in teterrimo quodam et obſcuro carcere, fundo vnius turris, quo ne capitalis quidem delicti damnati detruderentur. Cf. IOH. NIC. FVNCCIVS *de imminenti Lat. Linguae ſeneſt. Cap. VI. p. 372. ſq.* Adhaec *Trithemii Hiſtoria Hirſaugienſis*, triplo auctior, quam in editis exemplaribus, ibidem exſtat,

ſtat, ne de aliis dicamus. Vid. MABILLONII *Iter German. p. m. 36. ſq.* cui addatur IOH. KESLERI libellus, quo *Bibliotheca Sangallenſis Ioach. Vadianum, prudentiſſimum Conſulem, adloquitur,* in MELCH. GOLDASTI *Scriptor. rer. Alamannicar. Tomo III. p. 157. ſq. edit. Senckenbergianae.* Caeterum Bibliotheca iſthaec anno 1712. quo Abbas Leodegarius horribili ac nefario bello Heluetorum animos irritauerat, in nouum adducta periculum eſt, dum Bernenſes Monaſterium penitus diriperent. *Europaeiſche Fama Parte CXXXI. p. 912.* Neque tamen, quod crediderunt quidam, vetuſtiſſimi libri in hoſtium venerunt poteſtatem, ſed in finitimo quodam Heluetiae Monaſterio tuti ac tecti conſeruati ſunt, vt adfirmat BERNH. PEZIVS *p. 37. Diſſert. iſagogicae in Tom. I. Theſ. Anecd. nouiſſimi.* Monaſterio S. Galli adiunctum eſt eiusdem nominis oppidum, quod itidem Bibliothecam habet, vna cum Collegio publico eo in loco conſtitutam, vbi, tempore eiuratae religionis, Dominicanae ſanctimoniales degebant. Illi laudatus Vadianus ſuam legauit ſaec. XVI. et publicam eſſe voluit Bibliothecam, teſte MELCH. ADAMI in *Vitis Germ. Medic. p. 60. edit. Heidelb. in 8. mai.* Inediti hic ſunt *Vadiani libri* quidam, multaeque *eiusdem, et variorum ad ipſum, Epiſtolae idiographae:* caetera non magni eſſe momenti, adſerit MABILLONIVS *l. c. p. 38.* Vetuſtiſſimum tamen de *Lege Salica Codicem* in eâ ſeruari, ex IENKINI THOMASII PHILIPS *Diſſertationibus varii argumenti* docent *Acta Erud. Lat. a. 1713. p. 188.*

§. XXVII.

In regno *Sueciae* Monachi olim et Sacerdotes in Coenobiis ac Templis Bibliothecas colligere coeperunt,

runt, quae autem oppletae fuerunt expositionibus plus quam scholasticis, imo barbaris, in sacri Codicis libros. Tales Monachorum Bibliothecae locupletiores olim celebrabantur *Vpsaliensis* in Templo Cathedrali, *Sigtunensis* Dominicanorum, *Vatstenensis* Birgittinorum, *Stockholmensis* Franciscanorum, ac denique Benedictinorum *Aluastrensis*, *Varnhemensis* et *Visbyensis* Gothlandiae, quae vltima laudatur a variis Scriptoribus e. g. IOH. LOCCENIO in *Antiqu. Sueco-Gothicis*, *lib. II. cap. 15. p. 77. edit. quartae a. 1676.* absolutae, vbi adfirmat, quod ea Codicum vetustissimorum duo millia, praeter ingentem aliorum copiam, complexa sit. At de his antiquioribus, quarum dispersae sunt pleraeque, iam non est differendi locus. Contemplabimur potius eas, quae apud Suecos inde a Reformationis Lutheranae temporibus exstructae fuerunt, et ad exterorum peruenerunt notitiam. Primum autem animo oculisque occurrit Bibliotheca *Regia Stockholmensis*, in qua describenda vtemur praecipue clarissimi viri, MAGNI CELSII, breui et succincta *Historia illius*, *Holmiae a. 1751. in 8.* plagulis decem et quatuor excusa. Fundamenta eius iecisse videtur Gustauus I. qui Rex, litteras ipse a puero probe edoctus, et epistolarum etiam commercio cum Luthero ac Melanchthone celebris, sine dubio ad suos vsus comparauit Bibliothecam, nulla licet in Annalibus mentio huius fiat, quippe tenuis initio, et Regiae, quales nunc miratur orbis litteratus, nomen vix tenentis. Ericum XIV. auxisse deinceps paternum hunc adparatum, non minus est probabile, idque factum forsitan ope Dionysii Beurei, praeceptoris quondam Regis, tandem consiliarii. Sub imperio Fratris, Iohannis III, auita Bibliotheca neutiquam fuit neglecta. Anno enim 1575. emta est optimorum librorum insignis multitudo, iterumque a. 1586. per Gallum quendam, La Porteum. Exstitit tunc Biblio-

theca

theca in Coenobio inſulano Stockholmienſi, vbi a Ieſuitis, illius cuſtodibus, mortua vero Regis coniuge, Catharina, Principe Polonica, quae eos protexerat, Suecia abeuntibus, impudenter eſt ſpoliata. Succeſſor, Sigiſmundus, Poloniae ſimul Rex, multum quoque rei librariae detrimenti attulit. Certe, quicquid promiſerit, ſolemni iure iurando Patri obſtrictus, antequam ſceptra Polonica capeſſeret, nihil monumentorum litterariorum, vel Diplomatum publicorum, paſſurum ſe patrio ex regno exportari; Suecorum tamen votis hac in re haud magis, quam in caeteris, ſatisfeciſſe putatur. Neque fieri aliter tunc poterat, Rege, quoties Sueciam inuiſeret, Ieſuitarum, iam poſtliminio redeuntium, agminibus cincto. Felicior aura ſub Carolo IX. Sigiſmundi Patruo, rem publicam litterariam adflauit, primusque Bibliothecarius a. 1611. conſtitutus eſt Iohann. Bureus, qui de ornanda ſparta ſua maxime fuit ſollicitus. Guſtauus Adolphus, Rex omnibus iis virtutibus, quae Principis memoriam aeternitati conſeruant, vere magnus, a. 1621. Vpſalienſi Academiae omnem hanc auitam Bibliothecam, a piis doctisque Regibus Sueciae, ſuis anteceſſoribus, proximo ſaeculo collectam, et hereditate relictam ſibi, dono dedit, atque in Archiuum Academicum curauit transportandam. Reſtaurandae tamen Bibliothecae Stockholmenſis curam ſuſceperunt Tutores Chriſtinae, Sueciae Mineruae, adhuc minorennis, congeſtasque reliquias adueniente ex Germanicis manubiis cumulo variorum librorum a. 1634. auxerunt. Pars potior Herbipolenſis Bibliothecae, quam Guſtauus Adolphus ſtatim poſt huius vrbis expugnationem Vpſalienſibus Muſis deſtinauerat integram, *) occiſo Rege, ex decreto Senatus auguſti,

*) Integram ſane, vti eam inuenerat victor. Herbipolenſes enim antea praeſtantiſſimos Codices manuſcriptos in tuto collocaſſe, infra oſtendetur in articulo *de Bibliothecis Herbipolitanis.*

augusti, nouis cessit librorum armariis, in arce Regia instruendis. Erbachio etiam, Franconiae oppido, tota Monachorum Benedictinorum Bibliotheca, sub expeditione ista Germanica Gustaui Adolphi acquisita, in Sueciam transiit. Eodem anno 1634. Bibliothecae Stockholmensi nouae praefectus est Laur. Fornelius, mox Vpsaliam ad Poeseos Professionem euocatus, cui qui successerit hoc tempore in priori prouincia, ignoratur. Interea vltimis belli Germanici annis integrae Bibliothecae ex Morauia et Austria Regiae Stockholmensi illatae fuerunt, quarum transportandarum curam habuit Ioh. Bussouius, rei bellicae Commissarius, ob haec, et alia merita, nobilitatis insignibus a. 1652. a Christina honoratus. Erant autem inter has Principis, Petri Vok Vrsini, Domini de Rosenberg, et Iesuitarum Olomucensium Bibliothecae. Huius a Torstensonio, capta a. 1641. vrbe, in Sueciam transmissae portionem Vpsaliensis Academia, portionem Stregnense Gymnasium, plurimos tamen libros Bibliotheca Regia accepit, vna cum Principis et Cardinalis, Franc. a Dietrichstein, Episcopi Olomucensis, instructissima librorum supellectile. Ex aduectis his litterariis Germaniae thesauris precipue nominandus *Vlphilae Codex*, saeculo IV. exaratus, de quo infra, in historia Bibliothecae Vpsaliensis, plura dicemus, *liber* item *praegrandis*, olim a Koenigsmarckio, cum Vlphila et aliis magni pretii manubiis, Praga Stockholmiam delatus. Forma eius longitudinem duarum vlnarum Suecicarum, latitudinem vnius vlnae aequat: folia millenarium superant, et ob magnitudinem facta ex corio asinino creduntur. Fabula est, scripsisse Opus diabolum, quem monachus quidam, ad perficiendum illud condemnatus, inuocauerit. Sapit omnino ista Monasterium, vbi id ipsum et exaratum, et seruatum diu est, originemque habere videtur ab imagine detestabili, quae alicubi in hoc libro, trecentorum anno-

rum

rum aetatem excedente, picta conspicitur. Continet autem *Vetus Testamentum* Latine; *Iosephi Antiquitates Iudaicas*, eiusdemque *de bello et calamitatibus Iudaicis libros VII*; *Isidori*, Episcopi, *libros XX. de diuersis materiis philosophicis et medicis*; *Nouum Testamentum ex editione vulgata*, reiectis ad finem Pauli Epistolis, cum Apocryphis, quae ipsi attribuuntur; *Cosmae Pragensis Chronicon Bohemiae*; et alia non nulla. Multum itaque incrementi armis debet Bibliotheca Regia, at plurimum tamen liberalitati Reginae adscribendum est, quae, postquam Ioh. Freinshemium ex Academia Vpsaliensi a. 1647. ad aulam arcessiuerat, eidemque, constituto quatuor mille Imperialium salario, cum beneficio mensae, ipsi et familiae e culina et cella Regia instruendae, Historiographi ac Bibliothecarii munus mandauerat, eo contendit summis viribus, vt maioribus semper doctrinae diuitiis circumflueret. Ex Bremensis Rei publicae Bibliotheca Stockholmensi a. 1650. accesserunt viginti ac nouem Codices manu scripti, inter quos memorabile prae caeteris fuit *Suidae Volumen Graecum*, et *Chronicon Iuonis*, amplum certe, a Nino ad Ludouicum Pium, Imperatorem, quod Hugoni, Monacho, vindicat Caueus, notante id GER. a MASTRICHT, in *Epistola de Bibliotheca Bremensi*, quam *Caput sequens* exhibebit, eodemque anno ab Administratoribus Regiminis Pomeranici per pactionem quandam transmissa sunt Templi B. Mariae Sedinensis MSta. Paullo ante Ger. Ioh. Vossii totus adparatus, copia et bonitate librorum Codicumque eximius, a vidua et heredibus defuncti, quos inter filius, Isaacus, tunc temporis fide et obsequio Reginae obstrictus erat, ingenti pecuniae summa acquirebatur. Huc porro referenda sunt scripta inedita *) Hugonis Grotii, imo integra

*) Clarissimus CELSIVS *p. 84.* ex IORDANI *Histoire d'un voyage litteraire p. 86.* refert, de Bozium, Gallum doctissimum, posesso-

integra forte Bibliotheca MStorum, relicta ab eo, qua de re cf. IOB. LVDOLFVS in *litteris ad Ioh. Ern. Gerhardum*, Nicopiae ſub finem a. 1649. datis, *p. 190.* in *Autographis clarorum virorum Epiſtolis*, quas e Bibliotheca Gothana edidit, et *Catalogo Cod. MStorum* dictae Bibliothecae adiecit CYPRIANVS; nec non illuſtris ARCKENHOLTZIVS *dans ſes Memoires concernant Chriſtine, Reine de Suede, T. I. p. 79. ſq.* Freinshemio in praefectura Bibliothecae Regiae ſucceſſit Iſaacus Voſſius, a quo varie haec aucta eſt, factis ad libros nouos comparandos in Batauiam ſuam crebris excurſionibus. Plurimi tamen theſauri litterarii ex Gallia et Italia adlati ſunt. Emit quippe Regina Alex. Petauii, Conſiliarii Pariſienſis, Bibliothecam, Codicibus egregiis inſtructam, et quidem quadragenis librarum Gallicarum millibus. ARCKENHOLTZ. *l. c. p. 268.* Actum etiam a. 1651. de Bibliotheca Domini de Meſmes, in Dicaſterio Pariſienſi Praeſidis, operam iſti negotio commadantibus Sarrauio et Bidalio, qui Chriſtinae a miniſteriis erant; ſed repudiatae ſunt conditiones propter iniuſtius quadraginta quinque millium librarum pretium, a vidua poſtulatum. Anno eodem cogitauit Regina de paranda Henr. Stephani Bibliotheca, cuius vidua oblatos pro illa bis mille Imperiales recuſabat, item de Gilberti Gaulmini Orientalis litteraturae ſupellectile, quam in Sueciam eſſe perlatam Nic. Heinſius profitetur. Rediiſſe vero haec omnia ad poſſeſſorem, nimis magni ea aeſtimantem, adfirmat PETR.

ſeſſorem eſſe Apographi, in quo explicatio eorum omnium ſit, quae in Epiſtolis Grotii cryptographice conſignata reperiuntur, idque ex quodam exemplari apud Suecos manaſſe. Quibus addit Auctor: *Fateri cogor, neſcire me, vbinam in Suecia liber iſte, ſic explicatus, iam inueniatur.* Videtur in Sam. Pufendorfii manus veniſſe, cumque eo petiiſſe Germaniam noſtram, vbi nunc ornat Bibliothecam Bunauiauam, teſte celeberrimo IOECHERO *im Gelehrten-Lexico, T. II. pag. 1207. edit. nouiſſ.*

PETR. DAN. HVETIVS in *Commentar. de rebus ad eum pertinent. p. 232.* Cf. hic ARCKENHOLTZ *l. c. p. 269.* Facilior ſimul et opimior meſſis fuit in diſtractione Bibliothecae Mazarinianae, ex qua mirabili rariſſimorum librorum cumulo Stockholmenſis locupletata eſt. Totam eam redimere voluiſſe Chriſtinam, ſupra iam obſeruauimus in *§. VIII. de Bibliotheca Mazariniana.* Porro hoc ipſo, quod indicauimus, tempore de Stephani Stephanii, Profeſſoris Sorani, Bibliotheca tranſactum eſſe bis mille Imperialium pretio ſoluto, ex indicibus Archiui Regii intelligitur. Laudatus quoque Heinſius in Italiam miſſus eſt, vt omnis generis Codices, eosque non vulgares, numiſmata antiqua, marmora et ſtatuas congereret. Redux factus a. 1653. multa eximia prorſus et ſingularia adportauit. Etenim Auguſtae Taurinorum donatas Reginae acceperat *Pyrrhi Ligorii Antiquitates Romanas*, XXVII. Voluminibus ſcriptis; Mediolani *Dioſcoridem, Stephanum de Vrbibus* et *Pollucem* conſequutus fuerat; Venetiis coemerat magnam rariorum numiſmatum copiam; Florentiae Saluiatus, litteratiſſimus Princeps, plurimos bonae notae Codices Reginae donauerat; Bononia ſuppeditauerat *Appiani Hannibalica;* Argentoratum *Epiſtolarum Caſaubonianarum Faſciculum.* Et quis ſingulis enumerandis ſufficeret? Interim Salmaſius omnem lapidem mouit, vt Heinſius Dominae ſuae gratia excideret, quo facto, rebusque ſimul Reginae ad confuſionem inclinantibus, non poterat non deeſſe ipſi ſaepius pecunia, ad conficiendum iter Italicum neceſſaria. Variis igitur litteris, in *Sylloge Epiſtolarum Burmanniana Tomo V. p. 752. ſq.* obuiis, conqueſtus eſt, ſibi non numerari ſummam debitam, quinque Imperialium millia excedentem. Tandem vero eſſe ſatis factum homini honeſtiſſimo, cauſſaeque nihil habuiſſe Burmannum, cur in Praefatione, *cit. Tomo V.* praefixa, tam impudenter de Regina loqueretur, admodum

modum probabiliter argumentatur ARCKENHOLTZ *l. c. p. 285. sq.* Voſſium, machinationibus itidem Salmaſii Chriſtinae beneuolentia orbatum, *) ſequutus eſt a. 1652. in Bibliothecarii munere Gabriel Naudaeus, qui quum poſtero ſtatim anno rediiſſet in Galliam ſuam, atque Salmaſius etiam primum e Suecia, et non ita multo poſt ex vita abiiſſet, Voſſius gratiam Reginae priſtinamque dignitatem recuperauit, parum tamen fideliter curauit Bibliothecam, nec ſine ratione credendum eſt, Bibliothecarium hunc nimia Dominae indulgentia, qua ipſi conceſſum aiunt, vt libros e Bibliotheca Regia, quos vellet, ſibi ſumeret, turpiter fuiſſe abuſum, eandemque ſub diſceſſu ſuo plurimis rariſſimis optimisque Codicibus ſpoliaſſe, inter quae rapta a multis referri ſolet *Codex Vlphilae argenteus;* quamquam Heinſius ad Gronouium ſcripſit, eum vltimum acceſſiſſe ad depopulandum agrum tam fertilem, reliquis praedando iam defatigatis, nec abſtuliſſe quicquam, praeter ſpicilegia poſt diligentiſſimam Gallorum meſſem. Vid. hic omnino illuſtris ARCKENHOLTZ *l. c. p. 271. ſq.* Anno 1655. Chriſtina, relictis antea, vt omnes norunt, ſacris, terrisque patriis, Romam conceſſit, et in hanc vrbem Bibliothecam quoque ſuam cum nummis, ſtatuis ac picturis transportandam curauit, auxitque a. 1666. libraria et nummaria ſupellectile, quam in Suecia ſeruarat, et ipſi vendiderat Heinſius, vti litteris Reginae probauit ARCKENHOLTZ *p. 286.* Poſt eius obitum, qui in annum 1689. incidit, Azzolini, Pater purpuratus, inſtitutus bonorum omnium heres, Bibliothecam hanc Regiam nepoti ſuo, Pompeio Azzolino, mox reliquit; is autem Alexandro VIII.

*) Litteras Reginae, quibus Voſſio miniſterium renunciauit, NICERONIVS Vitae Salmaſii inſeruit in *Parte II. Vitarum ſuarum, p. 396. edit. Germanicae*; fontem autem, ex quo Salmaſii inimicitiae contra Voſſium profluxerint, aperit celeb. ARCKENHOLTZ. *l. c. p. 234.*

dro VIII. Pontifici viliſſimo pretio, octo ſcilicet Imperialium millibus, addixit. Vid. IDEM *Tomo II. p. 322.* Cf. quae ſcripſimus ſupra *§. XVIII.* in *Hiſtoria Bibliothecae Vaticanae.* Atque haec hactenus de Reginae, Muſis cariſſimae, ſupellectile libraria. *Nummophylacium* illius, rariſſimis Imperatorum Romanorum nummis inſtructum, optime ſplendidiſſimeque erudito cum Commentario Latine ac Gallice edidit SIGEB. HAVERCAMPVS *Hagae Comit. a. 1742. in f.* Vid. *Acta Eruditor. Lat. a. 1743. m. Ianuar. p. 1. ſq.* Acquiſiuerat id ſibi ab Azzolino Liuius Odeſcalchus, Princeps Italus, a quo ad Cardinalem Ottobonum, et hinc in Galliam migrauit. Poſt abitum Chriſtinae ex Suecia paruae librorum reliquiae progreſſu perquam rapido ſub ſucceſſoris, Caroli Guſtaui, imperio creſcebant. Primum ad Bibliothecae praefecturam vocatus eſt Chriſtian. Rauius, Profeſſor LL. OO. Vpſalienſis; at quum ſtudia eius ſcholae magis, quam Bibliothecae proficua viderentur, a. 1659. priſtinam, vnde venerat, ſtationem repetiit. Interea victricia Regis arma eodem, vt Guſtaui Adolphi aetate, ſucceſſu inſtauratae Bibliothecae multum ornamenti conciliarunt. In Polonia, vbi primus victoriarum campus patuit, non argento ſolum et omnis generis pretioſis rebus, ſed magna etiam librorum et MStorum copia, belli ſumptus compenſabant opulenta Monaſteria. Vnde ſupereſt adhuc in Bibliotheca Regia Polonicae litteraturae, cum typis editae, tum ſcriptae, meſſis largior, ſed quae antiquis poſſeſſoribus, quam nouis, forte vtilior foret. Diuidebantur litteraria ſpolia, quae flammis eripi potuerant, inter Bibliothecam Regiam et Vpſalienſem. Sic Poſnanienſes binae, Ieſuitarum altera, altera Patrum Bernhardinorum, pariterque Vilnenſis, in direptione iſtius vrbis capta, vtramque Suecicam auxerunt. Cracouienſis quoque Regia in Suecorum manibus erat; ſed reddebatur tota, ſecundum *Artic.* IX.

Pacis Oliuensis. Ex Dania deinde a. 1659. accessit Bibliotheca Academica Sorana, armorum similiter iure occupata, cumque hac ingens Meursianarum schedarum multitudo. Temporibus Caroli XI. et anno quidem 1662. ditata fuit Stockholmensis potiore parte Bibliothecae et numero librorum, et MStorum praestantia, celeberrimae, quam Georg. Seefeldius, vir senatoriae dignitatis, et Praefectus Ringstedensis in Selandia, aere non modico collegerat. Complectebatur enim viginti et sex voluminum millia, et in his complura Opera eximiae raritatis. Eam Carolus Gustauus Rex, in bello contra Danos Cornificio Vhlefeldio, regni Danici Senatori, profugo, sed Suecis tunc amico, Regique in ista expeditione a secretis consiliis, gratiose concesserat. Nouus autem possessor ille multa ex his thesauris, in quos omne patrimonium suum profuderat Seefeldius, per varia Selandiae praedia mox dispersit, reliqua Malmogiam transmisit, vbi Bibliotheca haec, postquam Vhlefeldius, Suecis suspectus, subita in Daniam fuga redierat, fisco adiudicata Suecico, tandemque Regiae Stockholmensi adiuncta fuit, cui et paullo ante Olaus Sparmannus, verbi diuini praeco, mille volumina librorum Suecicorum, studiosissime conquisita, obtulerat, Inspectore tum Bibliothecae Edmundo Figrelio, nobili Griepenhielmii nomine honorato, qui prouida effecit cura, vt libris niui ac pluuiae expositis tutior decentiorque locus pararetur. Ei vero a. 1675. mortuo statim in hac sparta successit filiorum natu maximus, Nicol. Griepenhielmius, Consiliarius isto tempore aulicus, sub quo tota Wennegarnensis Magni Gabr. de la Gardie Bibliotheca, splendida satis et locuples, a. 1686. reductionis iure peruenit in Regiam, aliqua tamen particula Academiae Vpsaliensi dicata. Anno 1692. ab heredibus Iacobi Gyllenklo, Adsessoris in Dicasterio Regio, coemta est amplissima eius Bibliotheca, cum instru-

ctissimo

ctiſſimo nummorum Romanorum adparatu. Quumque a. 1695. Nicolao Comiti Gyllenſtolpio, regni Senatori et Caroli Principis Gubernatori, demandata eſſet inſpectio Bibliothecae, circa id tempus illata eidem eſt, reductionis itidem baneficio, Stenonis Bielkii, regni Theſaurarii, ſupellex omnis generis mathematicis et militaris ſcientiae libris itemque non ſpernenda picturarum, aeri inſculptarum, collectione refertiſſima. Eodem anno Iacheſius, Bibliothecarius, librorum numerum iniit, quorum viginti ac tria millia, ſexcenta et ſeptuaginta duo volumina fuerunt, praeter Suecica illa, a Sparmanno donata, et MStos Codices mille ac quadringentos fere; in quem tamen cenſum haud veniebant Meurſiana omnia, in ſingulari quippe conclaui repoſita. Sed vltimum Caroli XI. diem a. 1697. ſubſequebatur, interiecto exacte biduo, fatum Bibliothecae triſtiſſimum, quo eruptum e ſcintilla ferate incendium arcem Regiam, cum praecipua litterarii iſtius theſauri parte, in cineres redegit. Vulcano enim erepta ſaltim 6286. volumina impreſſorum, quorum bis mille tantum habebant folia et ligaturas integras: Codicum ſcriptorum ſeruabantur 283. volumina: et Collectionis Sparmannianae libri 411. Icones illuſtrium Legatorum doctorumque virorum reſtabant numero 122: capita e marmore antiqua nouendecim, et ſtatuae aeneae nouem. Haec omnia furentibus adhuc flammis in domum Liljeanam coniecta, poſt in atrio ampliſſimo aedium Bondianarum, vbi iam curiale Ciuitatis Palatium eſt, collocata, et a Guſtauo Peringero Liliebladio, Bibliothecario, diſpoſita fuerunt. Quo facto, ſub Caroli XII. imperio nouis acceſſionibus proſpectum eſt Bibliothecae Regiae. Et primum quidem a. 1703. a Rege certa pecunia conſtituebatur, quae annuatim numerata coemendis libris, aliisque Bibliothecae vſibus, ad hunc vsque diem inſeruiuit. Di-

tata deinde eſt liberalitate Ioh. Gabr. Sparvenfeldii, primarii caerimoniarum Magiſtri, qui donauit eidem a. 1705. conquiſita in peregrinationibus ſuis viginti ac ſeptem volumina manu exarata, centumque ac viginti vnum excuſorum, Hiſpanici praeſertim idiomatis. Recenſuit iſtos libros laudatus LILIEBLADIVS in *Catalogo* ſingulari, at apud ipſos Suecos iam parum obuio, qui editus fuit *Holmiae a. 1706. in 4.* Videmus exinde, principem ſibi locum vindicare IV. *Euangeliorum Codicem* vetuſtiſſimum vulgatae interpretationis, ſcriptum in maioris formae membrana, alternatim purpurea, litteris vncialibus, vulgo Gothicis, ſed auro paſſim fulgentibus, ea prorſus maieſtate, qua Vlphilae exemplar apud Vpſalienſes ſuperbit. Nec parui pretii ſunt *Iſidori Hiſpalenſis Chronicorum libri* cum continuationibus et ſupplementis variorum, ex quibus editiones huius Operis emendari non nunquam ſuppleriue poſſent, notis maxime et correctionibus Prudentii de Sandoual, Hiſtorici inter Hiſpanos egregii, oris paginarum adſcriptis. Anno 1710. viuere deſiit Lilliebladius, cuius in locum ſubſtitutus eſt poſt biennium Ioh. Brauner, Secretarius Senatus ſupremi. Eum etiam Bibliothecam ipſi concreditam, quoad inimica tunc Muſis tempora permittebant, emtis ſat magno numero libris optimis ornaſſe, teſtes adſunt horum annorum Catalogi. Brauneri, a. 1715. in Conſiliariorum Cancellariae Collegium recepti, ſucceſſor fuit Carol. Odelſtroemius. Huius aetate, praeter mirificam Edictorum Regiorum collectionem, diligentiae Ioh. Schmedemanni, Conſiliarii Cancellariae, tribuendam, iuncta fuit Bibliothecae Regiae, vna cum auctario ex Norrmannianae diſperſione, tota Pernauienſis Academiae ſupellex, occupata penitus a Ruſſis Liuonia, Stockholmiam tranſportata, quae diues quidem erat librorum antiquiorum, theologicorum in primis et philoſophicorum, quibus ſuum vtique pretium eſt;

eſt; at comitabatur hos Scholaſticorum ſimul, aliorumque leuioris momenti librorum, multitudo, qui quum ab aquis etiam damnum acceperint, nullum forte in Bibliotheca auguſta locum merentur. Guſtauo Benzelſtierna Bibliothecario ab a. 1732. vsque ad a. 1737. quo Cenſoris Regii partes ſuſcepit, Bibliotheca adeo creuit ſcriptorum et numero, et bonitate, vt noua hinc praeſtantiorum augmentorum periodus inchoari debeat. Caruerat enim illa plurimis adhuc Collectionibus Operibusque, quae voluminum copia et mole pretioſa hoc noſtro ſaeculo apud cultiores Europae gentes prodierunt. Haec itaque cum varii generis libris optimis et rarioribus aliis, maxime hiſtoricis, Benzelſtierna, ſtatim admotus muneri, mille amplius Imperialium impenſa comparauit. Anno 1735. e typographia Arabico-Turcica, Conſtantinopoli recens condita, acceſſerunt, Suecicorum ad Portam Ottomannicam Legatorum ſtudio, volumina quaedam raritate inſignia, quae recenſet doctiſſimus CELSIVS *p. 197. ſq.* Nuperrime illuſtriſſimus Comes, Iacob. Cronſtedtius, Bibliothecae Regiae vendidit praeclarum et ſelectum, quem ſumtu non mediocri acquiſiuerat, librorum numiſmaticorum adparatum: Vendidit item inclytis regni Statibus egregios numiſmatum Romanorum theſauros, qui cum caeteris eiusmodi Cimeliis omnium propediem conſpectui exponentur. Iam enim Sueci in Palatio Regio Bibliothecae, quae per quatuor, et quod excedit, luſtra in Braheana domo ſeruata eſt, nouum ſplendidumque atrium parant. Hodie illi praefectus Olaus Dalinus, Hiſtoria regni, ſermone patrio elaborata, percelebris, cui Rex auguſtiſſimus ſocium dedit nobiliſſimum Celſium. Is, quod laeti annunciamus rei litterariae amatoribus, promiſit etiam de *Bibliothecae* huius *Memorabilibus* Commentarios, in quibus plura ſimul dicet de *exemplari Bibliorum*, Lutheri ma-

nibus trito, paſſimque adnotationibus eius illuſtrato, nec non de praecipuis ſaeculi XV. librorum editionibus.

Secundum Bibliothecam Regiam conſpiciendam ſeſe praebet pulchra illa et numeroſa, quam *Vpſalienſes* Muſae poſſident. Cuius *Hiſtoriam* quum docte ſcripſerit, *annoque 1745. Vpſaliae in 8.* diuulgauerit, OLAVS CELSIVS, Bibliothecarius ſubſtitutus,* nosque ſumma exinde capita retulerimus in *Actis Erud. Lat. a. 1749. p. 669. ſq.* ea hic loci repetere libet, additis non nullis, quae haud ita pridem a nobis ſunt obſeruata. Huius Bibliothecae initia Guſtauo Adolpho deberi, iam ſupra eſt indicatum. Rex nimirum glorioſiſſimus a. 1621. auitum librorum adparatum Vpſaliam tranſmiſit, variosque mox adiecit Codices, et impreſſos typis, et deſcriptos calamo, qui hinc inde in Monaſteriis regni latuerant. Nec depoſuit eius curam inter arma. Duobus enim annis poſt, Riga occupata, Regis liberalitate Academia Ieſuitarum accepit Bibliothecam, ex ea vrbe abſportatam, quam exceperunt aliae Warmienſium et Brunsbergenſium Ieſuitarum, magnis collectae ſumtibus, et antiquarum editionum copia inſtructiſſimae, nec non pars quaedam ex Epiſcopi Herbipolitani (de integra Bibliotheca ſermo eſt Auctori; ſed aliud ex Fratris *Hiſtoria Biblioth. Stockholmenſis pag. 29.* antea docuimus,) itemque Oppenheimenſium Ieſuitarum et Moguntini Electoris ſupellectile, quae tamen poſterior vndis valde imminuta eſt, dum in Sueciam deuehebatur. Sub Chriſtina, Guſtaui Filia, haud exiguus librorum, vbique congeſtorum, numerus in Bibliothecam Vpſalienſem migrauit. Prorogato etiam bello tricennali Pragae ampliſſima Bibliotheca, quae ad Patres e S. I. perti-

*) Emendare hunc libellum paſſim, ſed paullo durius, conatus eſt ANDR. NORRELIVS, Bibliothecae Praefectus, in *Stricturis ἀνονύμως Vpſal. a. 1746. in 8.* excuſis.

pertinuerat, atque Olomucii inſignium Scriptorum aceruus in manus Koenigsmarckii ac Torſtenſonii, ab his vero ad Reginam peruenit, quae iſtis manubiis tam Holmienſem, quam Vpſalienſem Bibliothecam ornauit mirifice. Succeſſor, Carolus Guſtauus, belli tempore in Polonia geſti, Bibliothecas, quae occurrebant, varias inter vtramque hanc Suecicam, vt ſupra memorauimus, partitus eſt. Carolus XI. Bibliothecas priuatas, reductionis iure ipſi adiudicatas, ſcilicet Rolambianam integram, ac Wennegarnenſem De la Gardii, quod de huius tantum parte aliqua intelligendum eſſe, laudatus *Bibliothecae Regiae Stockholmenſis* Scriptor *p. 137.* monet, Vpſalienſi dono dedit, quae adlata a. 1686. et 1693. incrementa priorem librorum adparatum tantopere amplificarunt, vt nouae ſupra Guſtauianum Auditorium aedes Regiis ſumtibus eſſent exſtruendae. Ex priuatis liberales in Bibliothecam Vpſalienſem fuerunt Odhelii, Feuquierii, Robbinſonii, Carteretii et Roſencrantzii. Cum primis autem candido notari calculo meretur illuſtre Sparvenfeldii nomen; illi enim viro, in Stockholmenſem quoque Bibliothecam benefico, accepta ferenda Collectio librorum Slauo-Ruſſicorum, Bohemicorum, Anglicorum, Italicorum, Hiſpanicorum, Hungaricorum, Polonicorum et Illyricorum, quorum confecerunt *Indicem, annoque 1706. Vpſal. in 4.* ediderunt ERICVS BENZELIVS et OLAVS CELSIVS, Pater Auctoris noſtri. Auxit liberalitatem Sparvenfeldius, cuius vitam GEORG. WALLINVS, digna eius meritis *Oratione, a. 1730. in 4. Holmiae* expoſuit, a. 1722. nouo librorum cumulo, de quibus vid. Acta *litteraria Sueciae Trimeſtri III. ad hunc annum, artic. 6.* His addidit Celſius ipſe, praeter Armenicam Bibliothecam ſub ſaeculi praeſentis initium Academicae illatam, a. 1738. ducentorum voluminum Bibliothecam Botanicam, multo conquiſitam ſtudio, quam, vt

NORRELIVS *l. c. p. 40.* adſerit, Senatus Academicus bis mille thaleris cupreis redemit. Nec parum creuit Bibliotheca libris variorum Profeſſorum Vpſalienſium, quorum ſupellex publice fuit diſtracta. Laurentii praecipue Norrmanni Bibliotheca, ter mille referta voluminibus in quacunque diſciplina rariſſimis, paſſimque in marginibus poſſeſſoris manu illuſtratis, Academicae multa ſubminiſtrauit quantiuis pretii Opera, inter quae *Theſaurus Graecus Stephanianus* curioſos in ſe oculos allicit. Ad Codices quod attinet calamo exaratos, iis quidem non abundat Vpſalia, non nullis tamen gaudet, vix alibi obuiis. Graeca et Latina comparauit Academia ex Ioh. Schefferi Bibliotheca, quam vir doctus Argentorato eo deduxerat. Arabica, Turcica, Perſica, Coptica, Aethiopica, Rabbinica MSta, ab Enemanno partim in Oriente collecta, partim ab Henrico Benzelio Cairi et Conſtantinopoli mille octingentorum thalerorum cupreorum pretio emta, deinceps adiuncta fuerunt. Idem dicendum, vt alia taceamus, de Eliae Palmſkioldii *hiſtoricis Collectaneis*, quae res Suecicas admodum illuſtrant, eoque ſunt magis aeſtimanda, quod plurima documenta, ex quibus ille theſaurus congeſtus erat, incendio Holmienſi perierunt. Haec pro tribus thalerorum cupreorum millibus tradita ſunt Academiae atque in Bibliothecam tranſlata. Maxime autem notabilis, omniumque admiratione digna eſt acceſſio, priore antiquior. Liberali nimirum manu Magnus Gabriel de la Gardie, regni Cancellarius, obtulit quinque et ſexaginta varii generis Codices, quorum *Catalogus*, *Holmiae a. 1675. in f.* excuſus, nunc a CELSIO *p. 86. ſq.* repetitus eſt. Inter eos omnes familiam ducit *Vlphilae*, Gothorum in Maeſia Epiſcopi, ſaeculo poſt natum Chriſtum quarto celebris, *Verſio IV. Euangeliorum*, Codex argenteus vulgo dictus, non autographus quidem, nec incorruptus vbique,

aetate

aetate tamen omnino venerabilis. Scriptum eſt vetuſtiſſimum illud linguae Gothicae monumentum in formae quartae rubrique coloris membrana, litteris aureis et argenteis maiuſculis. Delituit primum, per longum temporis ſpatium, Coloniae Agrippinae in Bibliotheca Abbatiae Werdinenſis: bello autem tricennali Pragam perlatum eſt, vbi id inuenit Koenigsmarckius, Chriſtinaeque, Dominae ſuae, cum ingenti librorum typis impreſſorum copia tranſmiſit. Regina dono dedit Cimelium hoc Iſaaco Voſſio, Bibliothecario, qui id ipſum deportauit in Belgium. Ita quidem clariſſimus Celſius. Sed ex aliorum ſententia Voſſius, non ſat lautis, vti ſperauerat, a Chriſtina praemiis adfectus, Codicem illum clam videtur abſtuliſſe. Nec id plane negat eruditus Frater in *Bibl. Stockholm. Hiſtoria p. 64.* vbi ea de re ſic ſcribit: *Varia deinde fata, quae ab aliis enarrantur, expertus,* (Codex Vlphilae) *quippe ab Iſaaco Voſſio, Suecia egrediente, ſublatus, dubium, an cum Dominae venia,* caet. Cf. ARCKENHOLTZII *Memoires concernant Chriſtine, Reine de Suede, T. I. p. 308.* Quocunque ſe res modo habeat, id certum ſane et exploratum, quod Comes de la Gardie, quum venalis eſſet Voſſiana ſupellex, bis mille aureorum pretio redemerit Codicem longe rariſſimum, et mox ligatura ex argento ſolido tectum, vnde adhuc hodie *argenteus* adpellari ſolet, Vpſalienſi Bibliothecae, memoriae cauſſa, exhibuerit. Edidit ex Volumine hoc *Vlphilanam Verſionem, Gloſſario Gothico, ac Thomae Mareſchalli obſeruationibus adauctam,* FRANC. IVNIVS *Dordraci anno 1665. in 4.* Quam editionem ſexennio poſt ſequuta eſt *Holmienſis* STIERNHIELMII. Memoratur etiam *Amſtaelodamenſis a. 1684.* in tabernas prolata librarias; ſed Bataui titulum prioris editionis duntaxat renouarunt, mutato fraudulenter loco et anno. Iam nouam parat, caeteris certiſſime anteferendam, celeberrimus vir, IOH. IHRE,

Vpſalienſis Academiae ornamentum. Prima Pars, *Vlphilas illuſtratus* inſcripta, prodiit *Holmiae*, ac Diſſertationis loco publice defenſa eſt *Vpſaliae a. 1752. in 4.* In Praefatione Auctor contendit, litteras huius Codicis non eſſe exaratas calamo, ſed encauſtas potius, ſeu ferro membranae inuſtas, prout haec docuerunt nos *die Roſtockiſchen gelehrt. Nachrichten anni 1752. P. XVIII. p. 206.* Cf. *die Goetting. gelehrten Zeit. eiusdem anni, p. 840. ſq.* vbi tamen continuatio laboris egregii redditur dubia. Plura legi de laudato Cimelio poſſunt in RVDBECKII *Atlant. Tomo I. cap. 7. p. 244.* GE. FRIED. HEVPELII *Diſſ.* eleganti *de Vlphila, ſeu Verſione IV. Euangeliorum Gothica, Vitemb. 1693.* (de qua vid. *die Beytraege zur critiſchen Hiſt. der Deutſch. Sprache, P. III. p. 412. ſq.*) SAVBERTI *Prolegom. ad varias lectiones Matth. p. 43. ſq.* CHRISTI. SCHOETTGENII *Diſſ. de antiquiſſimis linguae Germanicae monumentis Gothico-Theotiſcis, Stargard. a. 1723. 4.* et IOH. GE. WACHTERI *Comment. de lingua Codicis argentei,* in *Miſcellan. Berolin. Contin. I. Parte 1. num. 3. pag. 40. ſq.* quod ſcriptum recenſent modo adductae *Symbolae ad Hiſtor. linguae Germ. criticam, P. I. p. 150. ſq.* Pertinent quoque ad Bibliothecam *Nummophylacium* inſtructiſſimum, cuius pars Guſtauo Adolpho donata fuerat a Rei publicae Auguſtanae Senatu. Vlrica Eleonora, Regina, conceſſit illud Vpſalienſibus, qui conſpicuum hunc antiquorum ac recentiorum numiſmatum theſaurum nunc diligenter adſeruant. Nuperrime non modo ſereniſſima hodierni Regis Coniux mille, ſexcentos et ſexaginta ſeptem nummos Romanos, verum etiam illuſtriſſimus regni Senator, Carolus Comes ab Ehrenpreus, Academiae Cancellarius, locupletiſſimam ſuam Collectionem nummorum Suecicorum, tam vulgarium, quam eorum, qui in memoriam rei ſingularis cuſi fuerunt, vſibus publicis conſecrauit. De Bibliotheca *Aboenſi* ἀνονύμως egit

eidem

eidem quondam praefectus, ALEXIVS KEMPE, in *Biblioth. Acad. Aboenſis*, *Aboae a. 1655. et a. 1685. in f.* referente id celeberrimo ARCKENHOLTZIO *loc. cit. p. 309.* Nos vero librum hunc, in ipſa etiam Suecia non vbiuis obuium, nunquam inſpeximus. Vid. interim ANDR. ANTON. STIERNMANNI *Aboa litter. p. 53.* et MAGNI CELSII *Hiſt. Bibl. Stockholm. p. 67.* ex quo loco diſcimus, Chriſtinam, poſtquam inſtitutum a magno Parente Gymnaſium Aboenſe a. 1640. in Academiam mutauerat, monente Petro Braheo, regni Drotzeto, primoque huius Lycei Cancellario, Bibliothecam illam fundaſſe eodem adhuc anno, inſigni librorum vi, eorum videlicet, qui dupli in Regia Stockholmenſi aderant, Aboam tranſmiſſa. Acceſſiſſe deinceps feſtiuam aliorum copiam liberalitate Staelhanskii, Ducis bellici, adſerit ARCKENHOLTZ. *l. c.* Quod autem memoratur in *dem hiſtoriſchen Bilder-Saal, P. VII. p. 770.* Petrum M. Ruſſorum Imperatorem omnes libros, Aboae repertos, a. 1713. tranſportandos curaſſe Petropolin, id aliter ſe habere, teſtatur ARCKENHOLTZ. *l. c.* verbis ſequentibus: *Les Ruſſes s'emparérent l'an 1713. de la Finlande, et occupèrent la ville capitale d'Abo, de même qu'à la derniere guerre en 1742. Mais l'une et l'autre fois on en ſauva la Bibliotheque, qui fut tranſportée à Stockholm, et après la paix ramenée à Abo.*

Bibliotheca *Lundenſis* Academiae, quae ſatis eſt copioſa, a. 1684. Edmundi Figrelii, Baronis a Griepenhielm, regni Senatoris, ſplendidam librorum ſupellectilem, ad Regem Carolum XI. deuolutam, dono accepit. Sparvenfeldius itidem rarioribus doctorum monumentis, et excuſis, et manu ſcriptis, a. 1705. eandem ditauit. Vid. MAGNVS CELSIVS *l. c. p. 154. et p. 178.*

Stregneſiae tandem Bibliotheca exſtat, circa dictum a. 1640. in vſum Gymnaſii inſtaurata, munificentia

ficentia Chriſtinae, quae non ſolum librorum, Olomucio aduectorum, ingentem cumulum, ſed et aliquam eorum particulam, quibus proprium armarium decimauerat, Stregnenſibus Muſis conſecrauit, curante Epiſcopo, Ioh. Matthiae. Is vero amplis acceſſionibus illis ſuam, ex vltimae voluntatis declaratione, addidit litterariam ſupellectilem, et collocandam voluit Bibliothecam hanc totam in Sacello, ſibi ſepulchrali, Templi Cathedralis: vbi hodie conſpicitur, nuper etiam, iuſſu Superiorum, oculis perluſtrata Domini Nicol. Oelreich, Conſiliarii Cancellariae et Cenſoris Regii, qui Catalogum adornauit quatuor millia continentem volumina, et in his non ſpernendam editionum ſaeculi XV. copiam. Haec ex CELSIO *l. c. p. 68.* Priuatas quasdam Bibliothecas, quae hac noſtra aetate apud Suecos inclaruerunt, recenſet IDEM *p. 149.* Sunt illae *Palmſkoeldiana* Vpſaliae, MStorum ditiſſima; Fulleröenſis *Cronſtedtiana*; Salſtadenſis *Bielkiana*; Chiſtinaeholmenſis *Warmboltziana*; Stockholmenſes *Ehrenpreuſiana*, *Raelambiana*, *Stiernmanniana*, et, quae nuper ſub haſta vendita eſt, *Stroemiana.*

§. XXVIII.

Inter Bibliothecas *Daniae* locum hic iure ſibi vindicant

I.) *Hafnienſis Regia*, haud procul ab Armamentario in aedibus ſplendidiſſimis expoſita, cuius origo ad Fridericum III. eruditiſſimum praeteriti ſaeculi Regem refertur. Is enim priuatam, quam habebat, Bibliothecam eo tranſportandam curauerat. Mirifice deinceps locupletata eſt inſtructiſſima ſupellectile Petri Scauenii, Conſiliarii Status et Prof. Iuris, cuius *Catalogus*, iam ſupra *Cap. I. §. 23.* adductus, *Hafniae a. 1665. in 4.* prodiit; Ioach. Gersdorfii, ſupremi regni Magiſtri;

Iuſti Hoegii, Conſiliarii intimi, et Proregis Noruegiae; item Eſaiae Puſendorfii, qui ſchedas potiſſimum fugitiuas, ſeu, vt Galli dicunt, *pieces volantes*, easque rariſſimas, collegerat. Tota etiam in Regiam migrauit Laur. Vlfeldii Bibliotheca. Auguſtiſſimus Rex, Fridericus IV, adiecit Bibliothecam Chriſtiani Reitzeri, Conſiliarii Status, et Anteceſſoris Hafnienſis, quae opimam librorum ſelectorum cum iuridicorum politicorumque, tum hiſtoricorum et philologicorum, ſegetem offert, atque in his plurimas ac rariſſimas Auctorum Romanorum editiones. Audiamus BERNH. RAVPACH in libello *de praeſenti rei ſacrae et litterar. in Dania ſtatu, Hamb. 1717. in 8. p. 33.* vbi, poſtquam de Bibliotheca Roſtgaardiana verba feciſſet, *pari ſe*, inquit, *commendat elegantia Reitzeriana, tredecim et amplius librorum ſelectiſſimorum millibus conſtans, ordine omnium pulcherrimo diſpoſitis. Praeter iuridicos et politicos Scriptores, Philologorum quoque lectiſſimos, in quibus auctorum Latinae linguae editiones rariſſimae, eaedemque numeroſiſſimae, familiam ducunt, immenſa hic imo ſtupenda occurrit ſeges librorum, in omnium gentium hiſtoriis inſigniorum, quotquot exſtant, multorum annorum ſtudio vndiquaque conquiſitorum, adeo, vt hac in parte regnare merito dicenda ſit iſta Bibliotheca, omnesque, quarum adhuc indices in lucem prodierunt, voluminum, huius quidem generis, multitudine ac raritate exſuperare.* Anno denique 1749. Bibliotheca Ducalis Gottorpienſis, duodecim circiter voluminum continens millia, de qua infra *Cap. IV. §. 10.* fuſius agetur, Hafniam deuecta et illata Regiae fuit, vti haud ita pridem ex litteris Clar. NOODTII, Sacerdotis Slesuicenſis, intelleximus, ſcriptis ad Ioh. Chriſtian. Wolfium, doctiſſimum Hamburgenſium

ſium Profeſſorem. Quae, et aliae minores, acceſſiones (ſingulis enim annis noua Opera comparari ſolent) tam copioſam reddiderunt Bibliothecam Regiam, vt ea hodie ſeptuaginta librorum excuſorum millia excedere dicatur. Nec a veritate haec eſſe aliena, ſanĉte mihi adfirmauit illuſtris SCHEIDIVS, Hiſtoriographus et Bibliothecarius Hanoueranus, qui, quum ipſe olim Hafniae vixerit, pro inſigni ſuo erga me fauore varia de Bibliothecis Danicis communicauit mecum, ab aliis non memorata. MStorum adparatus in ſcriniis cuſtoditur, quae feneſtris inſtructa ſunt. Mira hic eſt membranaceorum Codicum copia, quorum pars ſacra Biblia, Patres eccleſiae et Auctores antiquos, claſſicos vulgo dicimus, exhibet; pars monumenta complectitur ad Hiſtoriam et Iurisprudentiam ſeptemtrionalem pertinentia; pars quoque in aliis diſciplinis ſibi locum vindicat. Complures eorum ex Bibliothecis praeſtantiſſimis, Daneſchioldiana, Roſtgaardiana, et aliis, in Regiam peruenerunt. Inter Codices rariſſimos numerantur *Friderici III. Regis Collectio chymica*, *Tychonis Brahe Opera autographa*, et *Codex* in inſula Flateia repertus olim, ideoque Flateienſis nomine inſignitus, qui *priſcorum Regum Noruegicorum hiſtoriam* comprehendit. Aliquot millibus Imperialibus aeſtimauit eundem Arnas Magnaeus, vir in Antiquitatum ſtudio longe exercitatiſſimus. Vid. LAVR. de THVRA *Hafnia hodierna*, *Hafniae a. 1749.* Danice, Gallice et Germanice *in 4. mai. cum figuris aeneis* quam plurimis edita, *p. 107. ſq.* Inter Bibliothecarios, de quibus vid. ALB. THVRA in *Idea hiſtor. litter. Danorum p. 235. ſq.* celeberrimi ſunt Marcus Meibomius, (quem tamen male res egiſſe ſuas, legimus in *Lexico Eruditor. Ioecheriano*, *Tomo III. p. 362.*)

Petrus

Petrus Schumacherus, poſtea, ſub nomine Comitis a Greiffenfeld, primarius Chriſtiani V. Status Adminiſter, tandem vero, effuſa temere Regis gratia, de inuidendo fortunae faſtigio deturbatus, item Petrus Scauenius, Guilielmus Wormius, Ioh. Grammius, et, qui nunc munere illo ampliſſimo cum laude fungitur V. C. Bernh. Moellmann, ICtus et Hiſtoricus Hafnienſis, a quo, praeter adcuratiorem Bibliothecae hiſtoriam, exſpectandus forſitan librorum omnium, vel MStorum ſaltim, Catalogus; quod eo perfici facilius poſſet, quo certius nouimus, virum doctiſſimum, quum adhuc ſuperſtite illuſtri Grammio vicem eius in Bibliothecae cura ſuppleret, Indicem librorum adcuratiſſimum concinnaſſe, qui XII. Tomis in f. abſoluitur, ſpatio quodam inter ſingulos libros relicto, vt recentiores, qui accedunt, commode adiungi queant. In contignatione huius aedificii tertia *Muſeum Regium* eſt, rebus naturalibus, artificialibus, armis, veſtimentis, vtenſilibus diuerſarum Gentium, nummis atque picturis elegantiſſimum. Deſcriptionem illius *anno 1696. Hafniae in f.* protulit OLIGER. IACOBAEVS, cuius elogium exſtat in *Memoires de Trevoux a. 1702. p. 285. ſq.* Continuatum poſtea et recuſum id ipſum fuit Opus *a. 1710.* ſtudio IOH. LAVERENTZEN, Adſeſſoris Conſiſtorii ac Typographi Regii. Cf. *Acta Erud. Lat. a. 1711. p. 287. ſq.* et THVRA in *Hafnia hod. p. 119. ſq.* qui monet tamen, poſt vltimam hanc editionem Regium Muſeum incredibili rerum rariſſimarum et pretioſiſſimarum copia fuiſſe locupletatum.

II.) Bibliotheca *Academica Hafnienſis*, quae in *maiorem* olim et *minorem* diſpertita fuit. *Maior*, in Templo S. Trinitatis repoſita, celebratur ob claſſicorum Auctorum, tam Graecae, quam Latinae

nae linguae, Codices membranaceos et chartaceos, Patrum ac Doctorum ecclesiae, medio praesertim aeuo, exemplaria nitide exarata, ac variorum Scriptorum lucubrationes, quibus illi superiori aetate Daniae et vniuersi Septemtrionis historiam illustrare studuerunt. Dedicata est Bibliotheca a. 1657. praesente Rege, Friderico III. Oratione solemni, a Thoma Bangio, Bibliothecario, recitata, iamque tunc temporis ex paruis, vt fieri solet, initiis feliciter adoluerat. Notum est enim, prima eius fundamenta Petrum Albertum, Professorem Academiae, et Consulem Ciuitatis, iecisse, cuius etiam suasu instinctuque ipsa Academia a. 1479. erecta fuit. Parem in amplificanda eadem animum Franc. Wilhelmus, Telonarius et Canonicus Lundensis, circa haec tempora, itemque Andr. Lemnicus, Academiae Medicus, post saeculi fere interuallum declararunt. Anno 1605. Christianus IV. Rex mille circiter ac ducentos rarissimos Codices donauit: Casp. Erasmus Brochmannus autem, Selandiae Episcopus, a. 1654. vel, vt alii, biennio ante legauit quatuor admodum millia omnium disciplinarum Volumina. Auxit beneficium coniux illius, Caecilia, amplosque post mariti fata superaddidit reditus, ex quibus singulis annis Bibliothecarii remunerarentur. Accessit porro, legati iure, Bibliotheca Fuireniana triplex, vna Henrici Fuirenii, Medici, a. 1659. data, et bis mille quadraginta duo volumina medico-physica exhibens quorum Catalogus *Hafniae eod. a. in 4.* excusus est; altera Thomae Fuirenii, a. 1671. adiuncta; tertia vero Theodori Fuirenii, iunioris, nouies millenis variarum linguarum, variique argumenti, libris referta, cuius Academia a. 1674. particeps facta est. Vid. *Catalogus huius Bibliothecae ibid. a. 1675. in 4.*

in 4. cum Praef. THOMAE BARTHOLINI. Sub idem fere tempus Ioh. Mulenius, Georgii filius, supremi Tribunalis, Regiaeque Camerae Adsessor, non solum sex millia et octingenta volumina historica praecipue et philologica, sed certam quoque pecuniae summam, legauit, partim libris nouis coemendis, partim augendo SubBibliothecarii salario, impendendam. Cf. laudati BARTHOLINI *Orat. in obitum Mulenii*, cum ipso *Bibliothecae Mulenianae Catalogo Hafn. 1670. in 4.* edita. Tum a. 1685. Petrus Resenius, Iohannis filius, Consiliarius Status ac Iustitiae, Academiae Antecessor, Vrbisque initio Consul, mox Praeses, admirabilem donauit Borealium Scriptorum, cum editorum, tum ineditorum, Syllogen, quae explebat quatuor prope millia ac trecenta Volumina. *Catalogus*, cum Legatoris illustris vita, *ibid. a 1685. in 4.* luci expositus, at maximae nunc raritatis est, teste VOGTIO *de libris rarior. p. 577 edit. nouiss.* Neque tacendus hoc loco Ioh. Dietericus, Proregi Guldenloeuio ab epistolis, cuius post obitum a. 1698. Academia non contemnendam iuridicorum et politicorum librorum, Actorum item publicorum, copiam accepit. Atque haec de Bibliotheca maiori. *Minor*, prope Templum D. Virginis constituta, *Hopnerianae* nomine a priori distincta fuit. Scilicet Ioh. Hopnerus, I. V. L. quum heredes ex se progenitos non haberet, pio in vrbem patriam animo iuuentuti studiosae totum librorum adparatum, cuius Catalogus *Hafniae a. 1676. in 4.* formis exscriptus est, eidemque ordinando, ornando et conseruando sortem mille ac quingentorum nummorum vncialium consecrauit. Voluminum fuerunt tria millia, ducena et sexaginta quinque, quae, singulari conquisita studio, elegan-

tia quoque et nitor externus commendarunt, nec non adſcriptae variis Auctoribus ab erudito quodam poſſeſſore obſeruationes luculentiſſimae. At amiſit Academia, quod magnopere dolendum eſt Muſis vniuerſis, theſauros ſuos librarios omnes in vaſto illo, nec ſatis deplorando, incendio, quo Vrbs a. 1728. ad quartam fere partem conflagrauit. Legatur hac de re CHRIST. FALSTERI *ad Krauſium Epiſtola* in *den Leipz. gel. Zeit. a. 1728. p. 899.* GE. FRID. FRANCK de FRANCKENAV lugubris *Epiſtola ad Schroeckium de incendio fatali Vrbis Hafnienſis, et inſigni Bibliothecae tam propriae, quam Academicae, iactura*, in *Actis phyſico-medicis Acad. Nat. Curioſor. Vol. II.* in *Adpend. art. 5.* Digna etiam ſunt, quae hic loci adferantur, illuſtris SCHEIDII verba, ad Editorem huius Bibliothecae litterariae beneuole perſcripta. *Inter libros,* inquit, *manu exaratos, quos poſt hanc calamitatem aeterna nox premit, nos Saxones omnium maxime lugemus Adami Bremenſis Codicem membranaceum, prorſus eximium, quem forte autographum dixeris. Erat enim non ſolum edito plus duplo auctior, verum omnes etiam characteres, quos, qui litteras norunt, de aetate librorum definire ſolent, ita in eum conuenerant, vt vel ab ipſo Adamo, vel hoc ſaeculo, quo Adamus ſcripſerat, exaratus fuerit, quod plus vice ſimplici mihi aliisque narrauit vir ſummus, Ioh. Grammius, et ita quidem narrauit, vt moeſtus a lacrimis, ob tam ingentem patriae hiſtoriae iacturam, vix abſtinuerim. Vltra triginta annos in eo edendo et commentariis ſuis illuſtrando inſudauerat clariſſimus Arnas Magnaeus; ſed infelix caſus, qui ipſum Codicem praeſtantiſſimum ſubtraxit, vt eo triſtiorem ſui memoriam apud omnem poſteritatem relinqueret, apographum etiam viri celeberrimi, et omnes eius lucubrationes, vtut egregias prorſus, ac*

arro-

arrosos vngues probe redolentes, cum irreparabili historiae Danicae et Saxonicae damno absumsit. Noua interim, post ferale hoc incendium, condita est Bibliotheca Academica, quae locum pristinum in Templo S. S. Trinitatis occupauit, iamque iterum numerare vltra triginta mille libros potest. Initium factum augustissimi Regis Christiani VI. munificentia, quippe qui omnem suam librariam supellectilem, quam Princeps Regius congesserat, nec non eos libros, qui in Bibliotheca Regia bis aderant, pro incredibili suo erga bonas litteras amore Academiae concessit. Subsequuta est liberalitas laudati Magnaei, Islandi, Historiarum Professoris, qui moriens totum suum adparatum nouae, et ex cineribus resurgenti, Bibliothecae legauit. Quamquam enim et huius viri doctissimi thesaurus litterarius in illo incendio penitus perierat; nullis tamen sumtibus pepercit optimus senex, vt praestantissimos libros, historicos praecipue, et Auctores classicos iterum compararet. Accessit his ingens MStorum Islandicorum numerus, ex quibus Historia Septemtrionalis multum adhuc sperare lucis potest. Addidit quoque idem Magnaeus mille aureorum legatum ad augendam quotannis Bibliothecam illam. Illustre hoc exemplum imitatus est postea, imo superauit, reuerendissimus Episcopus Wiburgensis, Ioh. Trellund, cuius ex testamento Academia sex Imperialium accepit millia, vt nouos ex reditibus annuis libros acquirere posset. Haec ipsa redemit itidem a Bartholinorum heredibus pulchram MStorum, historiam Daniae ecclesiasticam illustrantium, Collectionem. Princeps vero Regia, Charlotta Amalia, Christiani VI. soror, incredibilem, vixque alibi obuiam, Hymnariorum et Cantionum sacrarum,

ſcriptarum pariter ac typis impreſſarum, copiam dono dedit. Poſtremo honorifica iniicienda mentio eſt Frid. Roſtgaardii, qui Bibliothecae Academicae praeclarum librorum editorum manuque exaratorum adparatum, legati iure, reliquit. Bibliothecarius hodie eſt vir clariſſimus, Ioh. Petrus Ancherſenius, Philoſophiae ac Iurium Doctor, et Eloquentiae Profeſſor. Vid. THVRAE *Hafnia hod. p. 282. ſq.*

III.) Bibliotheca *Collegii Walkendorfiani*, in vico Petrino ſiti, quam fundator Chriſtophor. Walkendorf, magnus aulae Magiſter, regnique Senator, donauerat. Eam tunc quadringentis et quadraginta nouem libris conſtantem, praeter alios, reddere auctiorem ſtuduerunt Ge. Hilarius, Eloqu. Prof. in Academia Hafnienſi, qui a. 1686. volumina mille quadringena et nouem huc transferenda curauit; Franc. Theſtrup, Alburgenſium Epiſcopus, qui inde ab a. 1709. varios libros adiecit; Paul. Herslowius, ex cuius ſcriniis a. 1717. vltra ducena volumina profecta ſunt; ac denique Iacob. Snisdorfius, ad aedem D. Nicolai Comminiſter primarius, qui a. 1731. librariam ſuam ſupellectilem Muſis Walkendorfianis legauit. Cf. omnino THVRA *l. c. p. 354. ſq.* quo et loco memoratur, hanc Bibliothecam integram ſaluamque in magno illo incendio a. 1728. manſiſſe.

IV.) Bibliotheca *Collegii Medicei*, ſeu *Borrichiani*, quod conditum ab Olao Borrichio, Medico ac Philologo clariſſimi nominis, et anno 1691. ſolemniter dedicatum eſt. Inſtructiſſimam eam dicit ALB. THVRA in *Idea Hiſtor. litter. Danor. Hamb. 1723. 8. pag. 119.* Voluminibus ſupra ter mille centum et quinquaginta, quibus per ſingulos annos auctarium haud paruum adiecerit

prouida

prouida tanti huius Auctoris cura. Nec destitui eandem rarioribus MStis, subiungit, partim ab ipso Borrichio, partim a Thoma Bartholino, Paulo Vindingio, Ioh. Brunsmanno, aliisque, huic Bibliothecae donatis. Prope eam *Museum* erat *rerum naturalium* et *artificialium*; sed illud pariter in dicto incendio periit cum Bibliotheca, cuius loco noua collecta est, librisque vtilissimis quotannis instructa. THVRAE *Hafnia hod. pag. 357. sq.*

V.) Bibliotheca *Collegii Ehlersiani*, a. 1705. Musis non sine pompa consecrati. Idem ea fatum experta est, quod priorem absumsit, reditusque ordinarii nondum permiserunt, vt restitueretur.

VI.) Bibliotheca amplissimi *Senatus Hafniensis*, quae in Curia adseruatur, et MStis quibusdam, ad Vrbem et Curiam maxime pertinentibus, excellit. Multum diminuta fatali illo incendio, quod plures euertit Bibliothecas, singulari deinceps studio nouis amplificata est incrementis, et adhuc quouis anno locupletior reddi solet. THVRA in *Hafn. hod. p. 359. et p. 171.*

Nec omittenda denique

VII.) Bibliotheca *Academiae Equestris apud Soranos*, quam Christianus IV. post conditam a. 1623. hanc Academiam adiunxit, vti memorat ALBERT. THVRA in *Idea hist. litt. Danor. p. 110.* Plurimis sane libris optimae notae fuit refertissima, manu etiam scriptis, vtpote in quam olim Ioh. Meursii, et Steph. Ioh. Stephanii schedae variae illatae sunt. Sed ea a. 1659. a Suecis armorum iure occupata in Regiam Stockholmensem peruenit, teste MAGNO CELSIO in *huius Historia p. 133.* Alia proinde mox constituta est, auctaque Henrici Ernstii et aliorum doctorum virorum diuitiis. Splendidissima nuper accessione ornauit eandem per-

 illustris

illuſtris Dominus de Griis, Eques Danebrogicus, Regisque ad Ordines Belgii Foederati Legatus, vir, dum viueret, omnis doctrinae elegantioris ſcientiſſimus, qui teſtamento praecepit, vt magna Bibliothecae ſuae pars in hoc bonarum artium domicilium transferretur. Cf. THVRA in *Hafn. hod. p. 362.* ac de ſuperioribus Bibliothecis NIC. PETR. SIBBERN in *Biblioth. hiſtor. Dano-Noruegica*, *Hamb. 1716. 8. p. 311. ſq.* ad quem librum Dominus a WESTPHALEN copioſa ſupplementa ex Auctoris autographo inſeruit *Monum. inedit. de rebus Cimbricis et Megapolenſ. T. IV. p. 1533. ſq*; BERNH. RAVPACH *l. c. p. 29. ſq*; et praecipue ALB. THVRA *Idea hiſt. litter. Danor. P. I. cap. 9. p. 223. ſq. pariterque cap. 5. p. 117. ſq.*

Idem poſt Raupachium de priuatis Danorum Bibliothecis agit, inter quas olim *Roſtgaardiana*, *Daneſchioldiana*, de cuius ſummo poſſeſſore IOH. GRAMMII digna lectu *Epiſtola* exſtat in Celeb. REIMARI *Vita Ioh. Alb. Fabricii p. 261.* et ipſa etiam *Grammiana*, cuius Catalogus *Hafniae a. 1748. in 8.* lucem adſpexit, reliquis palmam praeripuerunt. Hodie vero illa eminet maxime, quam illuſtriſſimus *Tottius*, Regi a ſanctioribus conſiliis, Cameraeque Praeſes, infinito ſumtu comparauit. Ad pretioſiſſimas eandem ac ſelectiſſimas totius Europae Bibliothecas referunt die *Götting. gel. Zeit. a. 1750. Parte 48. p. 380.* Poſſident quoque praeſtantiſſimas Bibliothecas maximi in toga heroes, Comes *Hollſteinius de Lethraburg*, et Comes de *Berckentin*, Senatores primi Ordinis, intimaeque admiſſionis. Nec minus coruſcat Bibliotheca illuſtriſſimi Domini *de Oſten*, Conſiliarii intimi, quam primum collegerat Dominus de Lerche, Eques Ordinis Elephantini et Conſiliarius intimus, ac ſupremus Cerimoniarum Magiſter. Haec ingenti librorum Hiſpanicorum et Italicorum copia ſuperbit, atque in re-

bus

bus, quae Cerimonias Procerum et aularum Europae illuſtrant, omnium forte locupletiſſima eſt. Praeter iam laudatas, inſignes librorum Collectiones hinc inde in aedibus doctorum virorum conſpiciuntur. Tales ſunt Bibliothecae reuerendiſſimi Epiſcopi, *Petri Herſlebii*, quae miram praecipue, nec alibi locorum facile obuiam, autographorum Lutheri copiam ſeruat; ſumme venerabilis *Holmii*, primarii Theologiae Profeſſoris; illuſtrium et celeberrimorum virorum, *Hauberi*, *Moellmanni*, *Kallii*, et *Foſſii*, Profeſſoris medici emeriti, vel rectius honorarii, quae poſtrema tantum complectitur ſcriptorum, ad naturalem ſpectantium hiſtoriam, vt cum optimis quibusuis ac inſtructiſſimis Bibliothecis in hoc ſtudiorum genere contendere queat.

§. XXIX.

De Bibliothecis *Boruſſicis* ſingularem olim Commentationem conſcribere voluit MICH. LILIENTHALIVS, imo iam prelo habuit paratam, vt perſpicimus ex *Tomo IV. des Neuen Bücher-Saals poſt Indicem*; ſed graues forſitan cauſſae impedimento fuerunt, quo minus illa ipſa Commentatio in lucem prodierit. Quaedam interim de hoc argumento diſſerit IDEM in Diario, quod inſcriptum eſt *das Erläuterte Preuſſen*, vt mox ſuo loco obſeruabitur. Nos eius pariter et aliorum virorum doctiſſimorum laboribus, qui ad manus ſunt, vtemur hic, ne lectores noſtri potiora de Boruſſiae Bibliothecis ignorent. Plurimis *Regiomontum* gaudet, inter quas quatuor publicae ſunt, *Regia* nimirum, *Academica*, *Senatoria* et *Wallenrodiana*. Dicamus de ſingulis

I.) Bibliotheca *in arce Regia* auctorem habuit Albertum Seniorem, primum Boruſſiae Ducem, litterarumque amantiſſimum. Factum illud a. 1534. plurimi tamen libri a. 1540. et ſequenti-

bus comparati ſunt. Non publicis ſtatim commodis patuit, eruditis tamen viris licuit in ea verſari, impetrato ante Principis permiſſu. Quanti aeſtimarit eandem Martinus Chemnitius, per triennium Bibliothecarius, docet eius *Dedicatio, Examini Concilii Tridentini* praefixa, vbi candide ſcribit, quod in ſtudio linguarum et Antiquitatum omnia exinde profecerit. Cf. *das Erläut. Preuſſen, Tomo III. P. 29. p. 340.* Poſſidebat Albertus, Dux, praeter hanc aliam librorum theologicorum et hiſtoricorum, Germanica maxime lingua ſcriptorum, ſupellectilem in Conclaui ſingulari, quae vt cum priori coniungeretur, et in arce perpetuo maneret, teſtamenti tabulis a. 1567. diſpoſuit, cui voluntati anno demum 1583. a Georgio Friderico, Duce Boruſſiae, fatis factum eſt. Idem egregie auxit hanc Bibliothecam, quae vero per longum temporis ſpatium confuſa iacuit, donec Martinus Sylueſt. Grabius, Theol. Profeſſor et Bibliothecarius, a. 1667. libros omnes in pluteos certasque claſſes redigeret. Atque ab hoc quidem tempore duobus per hebdomadam diebus accedere ad eam omnes poſſunt. Anno poſt Bogislaus Radzivil, Ducatui praefectus, adparatum, quem collegerat, librarium, quadringentis circiter et quinquaginta voluminibus, praeter MSta et rariora nonnulla, conſtantem, eo legauit, cui deinceps ex reditibus praediorum Radzivilianorum plures alii libri adiuncti fuerunt. Vid. laudati GRABII *Catalogus librorum Ducis Radzivilii, Bibliothecae Electorali Regiomontanae illatorum, Regiom. 1673. in f.* itemque filii, MART. SYLVEST. GRABII *Series librorum, qui Bibliothecae in Pruſſia Regiae augmento Radziviliano, poſt editum huius a. 1673. Catalogum, nouiter acceſſere. ibid. 1712. ead. forma.*

forma. Haec liberalitas ſtimulauit etiam Erneſtum Bogislaum, Ducem Croyae, Radzivilii ſucceſſorem, aliosque Ducatus Proceres, vt Bibliothecam quam plurimis bonae notae libris amplificarent. Quumque a. 1663. iuſſu Frider. Guilielmi, Electoris Brandenburgici, duodecim Codices manu exarati, duo libri typis impreſſi, ac multae imagines aere lignoque excuſae, nec non a. 1698. duo alia Volumina MSta Berolinum deueherentur, damnum iſtud compenſatum eſt quadam pecuniae ſumma, Bibliothecae quotannis perſoluenda. Maximam huius partem conſtituunt Collectiones Patrum; Auctorum Graecorum et Latinorum, quorum non pauci ex officinis Stephaniana, Plantiniana, Aldina, Frobeniana, Oporiniana, Iuntina caet. prodierunt; omnisque aetatis Hiſtoricorum. Nec deſunt Opera ad inuentae typographiae natales referenda, libri damnati ac prohibiti, manuque ſcripti, quorum praecipui ad illuſtrandam Boruſſiae hiſtoriam faciunt. Adeſt praeterea *Bibliotheca argentea*, ſingulari ſcrinio incluſa, quae nomen hoc ideo accepit, quod libri omnes, numero viginti, tam in forma maiori, quam quadripertita, ab eleganti artificis manu ſolido, magnique ponderis, argento ſunt contecti. Complectitur autem iſthaec ſupellex ſacri Codicis exemplaria, Euangeliorum explanationes et precum formulas, quibus libris vſi fuerunt antiqui Boruſſiae Duces. Plura vid. in *dem Erläut. Preuſſen, Tomo I. Parte 10, art. 35. p. 725. ſq.* vbi MICH. LILIENTHALII *Beſchreibung der Königsberg. Schloß-Bibliothec.* Praefuit ei noſtra aetate Martin. Knutzius, Philoſ. Prof. mortuus a. 1751.

II) Bibliotheca *Academica* occurrit, cui Dauid Blaeſingius, Mathem. Profeſſor, a. 1719. omnem

ſuum adparatum librarium, vna cum Inſtrumentis mathematicis, legauit. Iam plus quatuor Voluminum millia in eadem conſpiciuntur, inter quae multi libri, ſub initium artis typographicae luci expoſiti. Antiquiſſimum Opus atque rariſſimum eſt *Apuleii Aſinus aureus*, *a. 1469. in f.* editum. Vid. DAN. HENR. ARNOLDI *Hiſtor. Acad. Regiomontanae*, *a. 1746. in 8. mai.* Germanice excuſa, *Parte II. p. 45.* Subiungimus

III.) Bibliothecam *Palaeopolitanam*, quae ortum debet Ioh. Polyandro, vrbis Parocho. Is enim a. 1540. quicquid habebat librorum, Senatui teſtamento reliquerat. Sexaginta annis poſt idem fecit Ioh. Möllerus, Senator. Haec autem antiqua Collectio, quum ſiue caſu, ſiue culpa, valde imminuta eſſet, ex ſingulari Magiſtratus conſtitutione inde ab anno 1612. reſarcire damna certatim ſtuduerunt Senatorum complures, librosque varios dono obtulerunt. A. 1702. Henricus etiam Bartſchius, ProConſul, ſupellectilis ſuae partem dimidiam, mille ac quingenta ſuperantem Volumina, publicis vſibus conſecrauit, quae a filio deinceps egregie aucta eſt, permultis praecipue ſacri Codicis exemplaribus, omnium pene gentium lingua excuſis, item Inſtrumentis mathematicis Chriſtiani Otteri, Profeſſoris quondam Nouiomagenſis, a vidua Ge. Guil. Mühlkunzelii, Senatoris, perſuaſu Bartſchii, Bibliothecae illatis. Eodem temporis tractu a Senatu emtae ſunt Barthol. Goldbachii Bibliotheca mathematica, et Auguſti Pfeifferi, Superintendentis Lubecenſis, Rabbinica, quarum illa Thorunio, haec Lubecâ tranſlata Regiomontum fuit. Anno demum 1718. aperta eſt haec Senatus Bibliotheca, (ex Curia, ineunte hoc ſaeculo, in Domo Pauperum, inde vero a. 1736.

in

in aedibus magis opportunis, ſex nempe conclauibus Scholae Parochialis collocata,) quod THEOPH. SIGEFR. BAYER, tum eidem praefectus, poſtea Petropolitanus Profeſſor, ſingulari *Programmate in 4.* indicauit eruditis. Succeſſit illi laudatus ſupra Lilienthalius, qui libros inutiles, ac bis obuios, ſegregauit a reliquis, eorumque loco nouos et praeſtantiores comparauit, partim ex tabernis librariis, partim ex variarum Bibliothecarum auctionibus. Non parum profuit ſimul repetitum extentumque Senatusconſultum, quo illi omnes, qui publico fruuntur ſalario, obſtricti ſunt, vt libro quodam, vel pecunia, nominis ſui memoriam ad poſteritatem tranſmittant. Auctores vero Graeci et Latini, cum iis libris, qui ad humaniores pertinent litteras, Scholae Kneiphofianae, ad communem iuuentutis et praeceptorum vſum, traditi fuerunt. Inter MSta Bibliothecae excellunt *Quintiliani Inſtitutiones Oratoriae*, ac membranaceus *Lactantii Codex*, cum ob antiquitatem, tum ob ornatum pretioſiſſimus. Digna etiam eruditorum oculis diuinorum librorum Collectio, quorum mille circiter et quadringena exemplaria monſtrari poſſunt. Nec deſiderantur hic pictae eruditorum imagines, icones inſigniores aeri inciſae, et mathematica Inſtrumenta, quorum iam antea mentionem iniecimus. Vid. GODOFR. BERNH. CASSEBVRG *Nachricht von der Königsberg. Stadt-Bibliothec*, in *Actis Boruſſicis eccleſ. ciuil. et litterariis*, *Tomo III. P. 5. p. 676. ſq.* et LILIENTHALII *Progr. von der neuen Einrichtung der Königsb. Stadt-Bibl. Regiom. 1736. in 4.* ad excitandam Patronorum liberalitatem, vt annui Bibliothecae reditus conſtituerentur, maxime diuulgatum. Recuſum illud eſt in *dem Erläutert.*

tert. Preuſſen, Tomo V. P. 9. p. 615. Cf. *die Leipz. gel. Zeit. a. 1718. p. 384.*

Progredimur denique ad

IV.) Bibliothecam *Wallenrodianam*, quam Mart. a Wallenrod, Ducatus Cancellarius, initio ſuperioris ſaeculi inſtruxit. Continebat illa, exceptis MStis, (inter quae *Ioh.* a *Wallenrod Hiſtoria* erat *Concilii Conſtantienſis*, Codex rariſſimus elegantiſſimusque, de quo legi meretur *Herm.* von der *Hardt* in *Praef. ad Tom. I. Partem 2. Concilii Conſtantienſis*,) plus quam ter mille Volumina praeſtantiſſima; at periit tota anno 1623. ſuborto in aedibus viri ſummi incendio. Idem tamen noua doctrinae ſubſidia vndiquaque magno pretio conquiſiuit, et, vt a poſteris eius vel in praedio Pegermine, vel Regiomonti in domo ad fluuium Katzbach, integra ſeruaretur, diſpoſuit ſapientiſſime. Filii igitur ac nepotes, voluntatis paternae memores, ad Bibliothecae huius emolumentum ſummo ſtudio acriterque inuigilarunt. Primum enim Ioh. Ern. a Wallenrod illam non ſolum libris optimis, rariusque obuiis, auxit, ſed eo proſpexit etiam, vt in loco, nullis facile obnoxio periculis, reponeretur. Conſenſu igitur Principis anno 1650. a Senatu Kneiphofiano talem emit in Eccleſia cathedrali, vbi adhuc Bibliotheca illa exſtat. Frater eius natu minor, Ge. Henr. a Wallenrod, octo annis poſt nouem Marcarum millia legauit, quibus Ioh. Erneſtus, modo laudatus, mille adhuc Marcas adiecit, hoc quidem conſilio, vt annui totius ſortis reditus locupletandae Bibliothecae inſeruirent. Eo viuis erepto cura theſauri huius librarii ad generum, Chriſtoph. Comitem a Wallenrod, deuoluta eſt, a qua a. 1711. denuo mille Marcae acceſſerunt. Idem a. 1723. fecit Sigismundus a Wallenrod, Chriſtophori filius minor,

nor; frater autem eius, Erneſtus, cum diuerſis temporibus duo librorum millia et amplius Bibliothecae donauit, tum ſingulares etiam ſcripſit leges, quae ad ſeruandam eandem augendamque conducere videbantur. Praecipuam eius curam ſemper ſuſtinet Familiae illuſtriſſimae Senior: caetera fidei Bibliothecarii committuntur, inter quos olim celeberrimus fuit Ioh. Phil. Pfeifferus, Antiquitatum Graecarum ſcriptor non vulgaris, at infelix tandem Theologus. Hodie munere illo perfungitur V. C. Chriſt. Henr. Gütther, Conſiliarius aulicus ac Prof. Publ. Fuſius de hac ipſa Bibliotheca IOH. CHRISTOPH. VOLBRECHTVS, ei quondam praefectus, differit in *dem Erläut. Preusſen, Tomo III. P. 33. p. 617. ſq.* vbi et numerus librorum, qui a. 1726. quinque millia voluminum, praeter minora Opuſcula, exceſſit, itemque MSta quaedam, naturaeque et artis rariora, vna cum Nummophylacio, memorantur.

Apud *Thorunienſes* etiam Henric. Strobandus, Conſul et Protoſcholarcha, ſub ſaec. XVI. finem Gymnaſium erexit et Bibliothecam publicam, quae hodie in claſſes XXV. diſtributa eſt. Legi de ea poteſt PETR. IAENICHIVS in *Notitia Biblioth. Thorunienſis, Ienae 1723. 4.* Sed eam nec adeo praeclarae conditionis, nec adeo exquiſite ab Auctore deſcriptam eſſe, REIMMANNVS monet in *Catal. Bibl. ſuae, T. II. p. 410.* Potiora eius Opuſculi capita, omnesque MSti Codices, recenſentur in *dem gelehrten Preuſſen, T. II. P. 4. p. 213. ſq.* Olim credebatur, duas Ciceronis Epiſtolas, in tabellis ceratis ipſius manu exaratas, hic inueniri. Vid. ANDR. CELLARIVS in *Deſcript. Polon. p. 505.* et SIM. STAROVOLSCI *Polonia p. 56. edit. Conring.* At lepidam hanc fabellam ſatis explodit IAENICHIVS *l. c. p. 38. ſq.*

De

De Bibliotheca *Gedanensium* publica egit SAM. SCHELGVICHIVS in *Comment. de incrementis Bibliothecae Gedanensis*, *Gedani 1677. in 4.* ac de *Elbingensis Bibliothecae publicae origine*, *fatis atque incrementis* GE. DANIEL. SEYLERI breuis *Dissertatio* exstat, edita *Elbingae a. 1736. ead. forma.*

§. XXX.

In *Russorum* Imperio duae occurrunt Bibliothecae celebriores. Altera Moscuae, altera in ipsa Imperatorum sede, Petropoli. *Moscuensis*, quae Synodalis dicitur, ab Alexio, Magno Duce, saeculo superiori sumtibus non exiguis condita est, omnemque Arsenius, Monachus, diligentiam adhibuit, vt optimi antiquissimique Codices eidem inferrentur. Familiam inter hos ducit *Quatuor Euangeliorum liber*, saeculo VI. exaratus. Vid. *Catalogi duo Codicum manuscriptorum Graecorum*, *qui in Bibliotheca Synodali Moscuensi asseruantur*, *a. 1722. mense Martio ab* ATHANASIO SCHIADA, *Scholae Graecae Professore*, *inspecti et examinati. Horum vnus continet Codices quinquaginta*, *in quibus tempus*, *quo sunt exarati*, *inuentum est in Codicibus notatum*, *alter comprehendit Codices trecentos quatuor*, *quorum exscriptionis saeculum ex sententia Schiadae est designatum. Accedit Appendicis loco tertius Catalogus nonaginta trium Codicum MStorum Bibliothecae typographicae Moscuensis. Ex typographia Moscuensi a. 1723. in 4.* Hoc octo plagularum Opusculum *eodem anno* recusum est *Lipsiae in 8.* studio doctissimi viri, IOH. ERH. KAPPII. Cf. COLERI *Bibl. theol. selecta*, *Tomo I. p. 931. sq.* Moscuensis autem editio longe est rarissima, quum non nisi quinquaginta exemplaria excusa sint, et interdictum postea, nescio quam ob caussam, ne libellus denuo typis imprimatur. Ipse autem Auctoris labor parum placuit REIMMANNO, qui in *Catal. Biblioth. suae T. I. p. 141.* sic scribit; *Admodum macilenti sunt hi MStorum*

Moscu-

Moſcuenſium Catalogi, ſolis oſſibus conſtantes, carnisque omnis et ſpiritus expertes. Non tamen in vltimo loco ponendi prorſus. - - Contenti igitur ſimus hoc Catone, donec vel I. D. Schumacherus, Bibliothecae Academicae Petroburgenſis praefectus, vel Ioh. Petr. Kohlius, Acad. Petroburgenſis ExProfeſſor, vel ipſe hic Schiada vberiores et lautiores nobis apponat dapes. Quorum hic in praefat. huius Catalogi, ille in prooemio Introduct. in Hiſtor. litter. Slauorum, Catalogum MStorum Ruſſicorum pleniorem nos exſpectare iuſſit, et in Opere ipſo Introductionis cap. I. §. 1. pag. 1. Schumacherum Bibliothecae Caeſareo-Moſcowiticae Catalogum nondum editum ſecum habere monuit. Ita quidem Reimmannus. Et optandum ſane eſſet, vt prodiiſſent in lucem, quorum hic meminit, MStorum Indices; ſed ad hunc vsque diem ſpes fefellit rei librariae amatores. De Bibliotheca *Academiae Petropolitanae*, cuius auctor Petrus M. fuit, legantur *die Leipz. gelehrt. Zeitungen, a. 1726. p. 383.* vbi Profeſſorum quidam refert, eandem in aedificio amplo atque eleganti eſſe collocatam, et *Muſeum* ſimul rerum naturalium, cum *Nummophylacio*, complecti. Adfirmaſſe, ſubiungit, Ioh. Ge. du Vernoy, Medicinae Profeſſorem, quod in diſciplinis mathematicis, medicis ac phyſicis nullum excogitare potuerit librum rariorem, quem ibidem fruſtra quaeſierit: et a ſe ipſo nihil in Antiquitatibus fuiſſe deſideratum. Permitti etiam, vt quilibet Profeſſorum indicet libros nondum Bibliothecae illatos, quo facto de iis comparandis ſtatim laborare Senatum ſanctiorem. Inter cimelia denique reponit idem *Commercium epiſtolicum Ioh. Heuelii*, centum aureis Gedani emtum, pariterque *Speculum Saluationis*, vetuſtiſſimum artis typographicae monumentum, quod olim ad Petr. Scriuerium pertinuit. Add. eadem *Noua Lipſ. litteraria a. 1729. p. 25.* Memoratur quoque *ad hunc ipſum annum p. 297.* Bibliothecam Principis Menzikofii, tredecim circiter repletam Voluminum millibus,

bus, inter quae tria millia rariſſimorum librorum fuerunt, Conſtantinopoli aliisque locis conquiſitorum, iuſſu Petri II. in *Monaſterium S. Michaelis* non procul a Moſcua eſſe abſportatam; quae exſtetne adhuc in illo Monaſterio, an Bibliothecae Petropolitanae poſtea ſit adiecta, nos quidem exploratum non habemus.

Apud *Polonos*, gente plurium litteratorum virorum foecunda, non adeo magna librorum olim copia fuit; ſaltim pauca de iis ad exterorum peruenerunt notitiam. Nunc autem in hac ſaeculi noſtri luce Poloni, aliarum cultiorumque gentium exemplo ſtimulati, omni nituntur ope, vt Bibliothecas antiquas reddant in dies locupletiores, nouasque etiam pergrandi pecuniae ſumma inſtituant. Ad illas quod attinet, (de his enim deinceps diſſeremus) ex Martino Cromero ac Thoma Bozio IACOBVS probat MIDDENDORPIVS *de Academ. lib. V. p. 333.* Reges in arce *Vilnenſi* Bibliothecam erexiſſe pretioſiſſimam. Talis quoque, eaque inſignis, a Sigiſmundo II. Rege inſtructa dicitur in arce *Cracouienſi.* Dubium hoc videtur COLERO in *Obſeruatione ad h. l.* eiusque verba haec ſunt: *Sane ſi Ioachimi Paſtorii de Hirtenberg, viri fide digniſſimi, Florum Polonicum euoluamus, lib. VII. cap. 7. vbi ex inſtituto de iſto Rege agit, videbimus, nihil de condita ab eodem Bibliotheca Cracouienſi reperiri.* Quae ratiocinatio licet ſit tenuis atque infirma, quum Paſtorius breuiter ſtrictimque Polonicam expoſuerit hiſtoriam; id negari tamen nequit, Struuium hic ſine teſte loqui, quem hodie modum in eiusmodi rebus nemo facile ſequitur. Interim idem adfirmat IACOBI *en Traité des Biblioth. p. 228.* Suecorum in poteſtatem incidiſſe ſaeculo ſuperiori, ſed per Pacem Oliuenſem redditam fuiſſe totam hanc Bibliothecam, monuimus iam in hiſtoria de *Bibliothecis Suecicis §. XXVII.* REINOLD. HEIDENSTEINIVS in *Tractatu de bello Moſcouitico, quod Stephanus, Rex Poloniae, geſſit,* qui exſtat in

FREHERI

FREHERI *Auctoribus variis rerum Moſcouiticarum, Francof. a. 1600. inf.* auctor eſt, quod eiusdem belli tempore Poloni anno 1579, capta arce Polotta, inſignem in ea Bibliothecam nacti ſint MStisque ornatiſſimam, ex qua Cracouienſis poſtea non parum accreuerit. Sed non liquet, vtrum de Bibliotheca in arce loquatur, an de *Academica* in Collegio Theologico - Philoſophico maiori, quam tangit ANDR. CELLARIVS in *Deſcript. Polon. p. 143.* Huic Staniſlaus Reſci, Decanus Varſouienſis, varia reliquit MSta, vt ſupra *§. XIX. num. 1.* diximus, ſuam pariter Bibliothecam legauit Benedictus Coſnanus, addita ſumma annua ad libros redimendos. Hoc etiam de Matthia a Miechow teſtatur Starouolſcius, quod in *Rupella apud Fratres Pauli Primi Eremitae* Bibliothecam ſumtu ingenti adornarit. In *Gneſnenſi* vrbe Martin. Dreuicius, Archiepiſcopus, Bibliothecam erexit, curae Andr. Cricii commiſſam, quae omnia docet Struuius, ſine dubio ex IACOBI *Traité des Bibliotheques p. 229. ſq.* Alia ſuppeditant *die Leipz. gel. Zeit. a. 1748. p. 107.* quo loco indicatur, Caſimirum Krolikowski, Piorem Dominicanorum, Fratres ſuos, vt Bibliothecam, ab Abrah. Bzouio, celeberrimo ſaeculi ſuperioris viro, vtilitati communi conſecratam, inſtaurarent atque augerent, grauiter multisque perſuaſionibus excitaſſe, liberaliter oblato, ad rem facilius perficiendam, patrimonio; Petrum itidem Hyacinthum Sliwicki, Miſſionariorum ad S. Crucem Caput, Bibliothecae, eorum in aedibus collocatae, pulchram librorum ſcriptorum typisque impreſſorum copiam, pro ſuo erga litteras ſtudio, adquiſiuiſſe. Quam Eccleſia Cathedralis *Miechouiae*, in Palatinatu Cracouienſi, habuit olim Bibliothecam longe praeſtantiſſimam, ea a. 1745. fatali periit incendio, dolentque Canonici potiſſimum MStorum iacturam, in quibus auro ipſis carius fuit *Promtuarium Antiquitatum Monaſterii Miechouienſis*, manu Auctoris, SAMVE-

LIS NAKIELSKI, exaratum. Vid. *Leipz. gel. Zeit. a. 1747. p. 259.* cf. IOH. DAN. IANOTZKI *de libris rarior. Polonicis in Biblioth. Zalufcia, Parte I. p. 108. fq.* Iam totus eruditorum orbis miratur Bibliothecam *Zalufciam*, Varfouiae conditam, annoque 1747. rei dedicatam publicae a Fratribus Zalufciis, Andrea Staniflao Koftka, Epifcopo Cracouienfi, et Iofepho Andrea, fupremo Regni Referendario, Maecenatibus quouis elogio maioribus. Superbit illa et ftupendo voluminum numero, et mira rariorum librorum, etiam Polonorum, collectione, de qua vid. IANOTZKI, V. C. eidem praefectus, in adducto *Opufculo* Germanico *de libris rarioribus Scriptorum Polonorum, qui exftant in Bibliotheca Zalufcia*, cuius Pars prior *Drefdae a. 1747.* altera *Vratiflauiae a. 1749. in 8. mai.* prodiit. Plura de hoc Mufarum delubro differit ampliffimus vir, ERNESTVS MART. CHLADENIVS, ICtus Vitembergenfis, in elegantiffimo libello, *Gentis Zalufciae Oracula, rei litterariae aufpicatiffima* infcripto, qui excuffus eft *Vitemb. a. 1747. in 4.* et *Orationem* eius fimul continet Varfouiae in certamine litterario recitatam, aliisque octuaginta non antepofitam tantum, fed aureo etiam magni momenti nummo compenfatam. Subiiciemus exinde quaedam, quae *pag. 16.* occurrunt, partim, quoniam ad rem pertinent, partim, vt Auctoris dicendi genus quodammodo cognofcatur. Ita vero ille: *Zalufciorum ingenio nihil non eft peruium ac penetrabile. Aufu generofo rem fufcipiunt, generofiori perficiunt et abfoluunt, vel profufiffimo auri impendio. Videas, quem enim ad fui fpectaculum non rapiat ifta magnificentia? Videas, inquam, Codices, quorum numerus iniri nequit, in armariis, ordine longo pulcroque, difpofitos, pretiofis indutos velamentis, plurima auro nitentia, et quae funt reliqua ornamenta, digna omnino Vtriusque Conditoris ingenio. Ea vero, quae dixi, etiamfi magna fint, multo tamen minora videntur iis, quae nunc dicam.*

Non

Non in oſtentationem et pompam, vel, vt admirantibus tantum et laudantibus pateſiat, aulam libris inſtruunt Zaluſcii, ſed vt fructus ad omnes, qui ad immortalitatem ingenii contendunt, perueniat, veluti litterarum nundinas, vbi ingenia diuinitatem negotientur, et quaſi ingeniorum aſylum, inſtituunt, haecque atria, hos loculos, inque loculos diſtributa volumina, publici iuris faciunt caet. Addatur eiusdem Opuſculum, *quo Bibliothecae Zaluſciae dedicationem, ipſa die, Auguſto in Faſtis ſacra, celebrandam, Sarmatiae, quo par eſt animi cultu, gratulatur, ibid. eodemque anno in 4.* Quibus Codicibus manu ſcriptis Bibliotheca Zaluſcia emineat, exteris indicare nuper coepit clariſſimus IANOTZKI. Etenim anno 1752. eum edidiſſe, relatum eſt, non nihil *de MStis rarioribus Bibliothecae Zaluſciae*, ſed inſpicere Opuſculum illud, et Hamburgi, et Lipſiae, fruſtra quaeſitum, adhuc non contigit. Id ſcimus ex *Nouis Lipſ. litterariis (Leipziger gelehrt. Zeitungen) a. 1747. p. 311.* adſeruari hac in Bibliotheca *Speculum Saxonicum*, perantiquum Codicem, et ſplendidiſſime exornatum; forte etiam manu ſcriptum *S. Hieronymi in Librum Iob Commentarium*, a Marco Meibomio relictum, qui Opus illud viginti Florenorum Belgicorum millibus aeſtimauerat. Caeterum illuſtre hoc Zaluſciorum exemplum plures mox Sarmatiae Proceres ad rei Bibliothecariae ſtudium excitauit. Sic reuerendiſſimus Epiſcopus Diocaeſarienſis, Coadiutor Vilnenſis, Ioſephus Staniſlaus Comes in Dambrowna Sapieha, Bibliothecam ſuam ſelectiſſimam, quam *Vilnae* habet, publicam fecit, eique Bibliothecarium dedit Ebertum. In magnum ante aliquot annos periculum inciderat orto repentino incendio; ſed feliciter liberata fuit a flammarum rabie: antiqua e contrario *Dominicanorum* Bibliotheca plane conſumta, nec non egregius *Ieſuitarum* adparatus, qui et complectitur Sigiſmundi II. Regis Bibliothecam, Ticocini collectam atque Patribus

hisce, teſte HEIDENSTEINIO *Rerum Polonic. lib. I. p. 5*, legatam, extrinſecus eſt laeſus. *Leipz. gelehrte Zeitung. anni 1748. p. 764.* Add. *p. 307.* nec non *p. 107.* vbi legimus, quod Paul. Stryinski, Ordini Soc. Ieſu *Varſouienſis* Praefectus, Bibliothecam ſuam, ſex voluminum exquiſitiſſimorum millia ſeruantem, illi, cui praeeſt, Collegio ſolemni dicauerit donatione, ac praeter hanc, ad eam quotannis augendam, ipſi attribuerit amplius mille nummos vnciales. Inter *priuatas* Polonorum *Bibliothecas* iam excellunt illae, quas Ioſephus Alex. Comes Iablonowski, S. R. I. Princeps; Mich. Korybuth, Dux in Wiſniowiec Wiſniowiecki; et Wenceſlaus Rzewuſki, Palatinus Podoliae, inſtruxerunt. Singularem nuper Commentationem de his et aliis Bibliothecis promiſit doctiſſimus IANOTZKI, qui publicas omnes ſi deſcribere itidem adcuratius voluerit, gratiſſimum certe fecerit hiſtoriae litterariae cultoribus.

In *Hungaria* denique a non nullis condi hoc ſaeculo coeperunt Bibliothecae. MATTHIAS BELIVS in *Notit. Hungariae nouae*, *T. I. Partis generalis membro 2. §. 3.* praecipue commendat inſignem Ioſephi Comitis Eſterhazy, Croatiae Banni, ſupellectilem, vti referunt *Acta Erudit. Lat. a. 1735. p. 294.* Nec apud *Tranſyluanos* deſiderantur Bibliothecae. Talis eſt e. g. *Hermanſtadii*, ſeu Cibinii, quae a Ioh. Hontero, Theologo et Mathematico, Scholae commodis erecta, nuperque Scriptoribus optimis res Hungaricas, Tranſyluanas, et vicinarum prouinciarum illuſtrantibus, locupletior facta. Magno olim ſtudio eos collegerat Mart. Schmeizelius, Hiſtoricus Halenſis, cuius poſt obitum totam collectionem, vna cum variis MStis ex Bibliotheca Ludewigiana, redemit Mich. Gottlieb Agnethler, Academiae Helmſtadienſis Orator, nuper exſtinctus, a quo illam Senatus Hermanſtadienſis comparauit. Vid. *Index horum Scriptorum*, a viro laudato

Halae

Halae Magd. 1750. in 8. editus. *Coronae* itidem, ſeu Cronſtadii, poſt priorem Bibliothecam, flammis deletam, vt *§. vltimo Capitis II.* monuimus, noua coaluit, quae multos adhuc poſſidet Codices, manu exaratos, ſeruatosque ex celeberrima Bibliotheca Budenſi, ſi fidem meretur libellus, hoc noſtro ſaeculo *Halae Magd. in 8.* excuſus inſcriptusque *Staat von Siebenbürgen, p. 71.* et in *Additionibus p. 31.*

CAPVT QVARTVM

DE

BIBLIOTHECIS GERMANORVM.

§. I. Bibliothecae Altenburgenſis, Altorfinae, Ambraſiana Tyrolenſis, et Annaebergenſis.

§. II. Bibliothecae Argentoratenſes, Arnſtadienſes, Auguſtanae.

§. III. Bibliothecae Baruthina, Coenobii Bergenſis, et Berolinenſes.

§. IV. Bibliothecae Brandenburgicae, Bremenſis, Brunſuicenſes et Budiſſina.

§. V. Bibliothecae Caſſellana, Cellenſis, Chemnicenſis, Cizenſis, Coburgenſes, Curienſis, Cygnea.

§. VI. Bibliothecae Delitienſis, Dreſdenſes, Duisburgenſis.

§. VII. Bibliothecae Emdenſis, Erfurtenſes, Erlangenſis.

§. VIII. Bibliothecae Francofurti ad Moenum, Francofurti ad Viadrum, Freybergenſis, Friſingenſis et Fuldenſis.

§. IX. Bibliothecae Gandershemenſis, Gerana, Giſſenſis, Gorlicenſes, Gothanae.

§. X. Bibliothecae Gottingenſis, Gottorpienſis, Gryphiswaldenſis, et Guelpherbytana.

§. XI. Bibliothecae Halberſtadienſes, Halenſes Magdeburgicae, Hamburgenſes, Hanoueranae.

§. XII. Bibliothecae Heidelbergenſis, Heilsbronnenſis, Helmſtadienſes, Herbipolitanae, Hildeſienſis.

§. XIII. Bibliothecae Ienenſis, Ingolſtadienſis, Iſenacenſis, et Kilonienſis.

§. XIV. Bibliothecae Laubanenſis, Lignicenſes, Lipſienſes, Loccumenſis, Lubecenſis, Luneburgenſis.

§. XV. Bibliothecae Magdeburgenſes, Meinungenſis, Mellicenſis, Memmingenſis, Mindenſes.

§. XVI. Bibliothecae Moguntinae, Monachienſis, Monaſterienſis.

§. XVII. Bibliothecae Nordhuſana et Norimbergenſes.

§. XVIII. Bibliothecae Olſnenſis, Onol-

Onoldina, Portensis, Pragenses, Quedlinburgenses.

§. *XIX. Bibliothecae Ratisbonenses, Riddageshusana, Rintelienfis, Rostochienses, Rotenburgensis ad Tubarim, Salisburgenses, Schleusingensis, Sedinensis.*

§. *XX. Bibliothecae Spirensis, Stargardienses, Stralsundensis, Stutgardienses, Treuirenses, Tubingensis, Vinarienses.*

§. *XXI. Bibliothecae Vindobonenses.*

§. *XXII. Bibliothecae Vitembergensis, Vlmenses, et Vratislauienses.*

§. *XXIII. Bibliothecae Weingartensis, Weissenfelsensis, Wismariensis et Zittauiensis.*

§. I.

Ab exteris in patrium reuertimur solum, eas *Germaniae* Bibliothecas, siue publicas, siue a priuatis quibusdam personis miro studio instructas, consideraturi, quae nobis quidem innotuerunt. In his autem omnibus recensendis litterarum placuit ordo, eam maxime ob caussam, vt commoditati Lectorum consulatur. Dicemus igitur primum de

Bibliotheca *Altenburgensi* in Saxonia superiori. Pertinet illa ad Gymnasium, ob annalium tamen penuriam origines eius incertae sunt. Optime de eadem promeritus est CHRIST. FRID. WILISCH, qui non solum *Altenb. a. 1716.* singulari *Progr. in f. de Bibliotheca Gymnasii Altenburgensis*, (quae multum debet Ge. Crausero, Christiano Funccio, et Paul. Martin. Sagittario, Rectoribus,) alioque, *a. 1717.* edito, *de potioribus Bibliothecae scholasticae Altenburgensis MStis* egit, sed *Indicem* etiam *librorum excusorum* ita concinnauit, vt instar locorum communium in re litteraria esse possit. Prodiit ille *ibid. a. 1721. in 8.* *annoque sequenti* accessit *Adpendix*, *cum Indice alphabetico totius Operis.* Vid. *Leipz. gel. Zeit. a. 1721. p. 407.* et *a. 1722. p. 375.* Adsunt omnino libri, pro instituti ratione, praestantissimi, MStorum autem collectio non magni momenti est. *Aulica*, quae olim in eadem ciuitate fuit, *Bibliotheca*, iam diu partem Gothanae conficit.

Altor-

Altorfinae Academiae Bibliotheca defcribitur cum a MAGNO DAN. OMEISIO in *Gloria Acad. Altorfinae*, *Altorf. 1683. in 4. p. 145. fq.* tum a IOH. IAC. BAIERO in *Notit. huius Vniuerfit. Norimb. 1717. in 4.* Germanice edita, *cap. XVIII. p. 91. fq.* Dabimus ex his auctoribus plurima. Primam fcilicet Bibliotheca haec originem debet librariae fupellectili Georgii Sigelii, Theologiae Profefforis, a. 1598. fiue ex teftamento, fiue alio modo, acquifitae. Anno 1626. acceffit Georgii Vogelii, litterarum ftudiofi, trecentorum florenorum legatum; Ioh. Iodoci Schmidtmaieri, Patricii Norici, donatio mille florenorum; et a. 1647. denuo trecentorum florenorum fumma, a Ioh. Dieterico L. B. de Taube legata. Integrae etiam Bibliothecae Sebaldi Snellii, Alumnorum Noricorum Infpectoris, et Ludouici Iungermanni, Medicinae Profefforis, teftamento relictae, a. 1651. et 1653. ad Academicam peruenerunt. Eadem porro adaucta compluribus libris Pauli Püchleri, iurium ftudiofi; mille quadraginta voluminibus ex Ioh. Chriftoph. Oelhafenii, Procancellarii Altorfini, Bibliotheca, partim emtis ab Academiae Curatoribus, partim a filio pofTefforis, Hieronymo, donatis; Ioh. Leonh. Stoeberleinii, Apothecarii Norici, Bibliotheca medica et philofophica, a. 1696. legata; Ioh. Chriftoph. Wagenfeilii libris Orientalibus aliquot centum voluminum, qui a. 1705. foluto iufto pretio comparati fuerunt. Nec reticenda duorum fautorum liberalitas. Non enim Chriftoph. Pellerus tantum Opere quodam pretiofo Bibliothecam Altorfinam ornauit faepius, tefte APINO in *Vitis Procancellar. Altorfinorum p. 77.* et *78. in princ.* fed Fridericus etiam Rothfcholtzius, eruditus Norimbergenfium bibliopola, a. 1717. quadringentos libros compactos, varii generis, eidem intulit. Vid. celeberrimi KOELERI *Fafti Vniuerfit. Altorfinae ad hunc annum p. 50.* Manu fcriptorum Codicum non

quidem multitudine ſuperbit, Syriaca tamen et Ebraica quaedam poſſidet, haud certe vulgaribus adnumeranda. GE. MART. RAIDELIVS in *Comment. de Claudii Ptolemaei Geographia, Cap. III. p. 23.* meminit Codicis Bibliorum Latini, ex Ioh. Iac. Baieri donatione in Bibliotheca Academica exſtantis, et tenuiſſimae nitidiſſimaeque membranae inſcripti, qui omnes, quotquot eum intuentur, in ſui rapiat admirationem. Excuſorum autem Operum adparatus non poteſt non per annos ſingulos ex legatorum vſuris, aliisque reditibus, maior ſplendidiorque reddi. Adcuratum librorum omnium Catalogum laudatus KOELERVS promiſit olim, qui nunc vero, mutato viri optimi domicilio, fruſtra exſpectabitur. Ordinem quoque Philoſophicum in Auditorio ſuo ſeparatam habere Bibliothecam, quondam legatam cum certa pecunia, vt quotannis amplificari queat, IOH. KANOLDVS refert in *Adpendice ad Neickelii Muſeographiam p. 383.* Inter priuatas Altorfinorum Bibliothecas excelluerunt hoc ſaeculo *Rinckiana*, quae, poſt Catalogum *Lipſ. a. 1747. in 8. mai.* typis impreſſum, integra redemta eſt ab illuſtriſſimo Palmio, Miniſtro Caeſareo; nec non *Schwarziana*, ob libros, ſaeculo maxime XV. excuſos, quorum poſſeſſor indices dedit, vt ſuo loco dicemus, MSta item non vulgaria, e. g. *Codicem, qui XIII. panegyricos veteres* exhibet, membranaceum, de quo ipſe loquitur SCHWARZIVS in *Obſeru. crit. ad loca quaedam Latini Pacati Depranii §. I.* ſempiterna recordatione digniſſima. Eo nunc, non ſine maximo rei publicae litterariae dolore, viuis erepto, quali fato tam pretioſa ſupellex obnoxia fuerit, nondum audiuimus.

Apud *Auſtrios* celebratur Bibliotheca *Ambraſiana* Tirolenſis, in arce Archiducali, propter Oenipontem. Ex hac licet plus bis mille voluminum et excuſorum, et manu ſcriptorum, quorum non pauca pretio-

pretiosissima pertinuerunt olim ad Bibliothecam Maximiliani I. cubicularem, superiori saeculo in Bibliothecam Vindobonensem Caesaream fuerit delatum; possidet tamen adhuc, teste LAMBECIO, volumina typis impressa 4391. quae ipse in ordinem redegit, vti perspicimus ex *Commentar. de Bibliotheca Caesarea lib. II. p. 745.* Add. etiam *p. 463.* eiusdem libri, vbi confirmantur, quae antea diximus. Auctusne, post eius tempora, hic sit adparatus, an minus, dicere non ausim. Idem vir doctus *l. c. p. 744. Oeniponti* nouam se reperisse scribit Bibliothecam *Archiducalem*, ab Ambrasiana, tamquam antiqua, diuersam, et a duobus potissimum vltimis Archiducibus, Ferdinando Carolo, et Sigismundo Francisco, comparatam, in qua magnam optimorum, ex omni genere, librorum obseruarit multitudinem, aliquot mille voluminibus constantem, sed adeo confusam, adeoque negligenter cumulatim in nudo solo iacentem, vt tam iniqua tanti thesauri litterarii conditio non misericordiam tantum, sed et indignationem ipsi mouerit. *Et certe*, pergit, *si noua haec Bibliotheca Archiducalis Oenipontana aeque adcurate, vt Ambrasiana vetus, a me esset perlustrata, minime dubium est, quin augustissima Bibliotheca Caesarea Vindobonensis pretiosissima variorum selectissimorum librorum accessione itidem potuisset augeri, quemadmodum beneficio Bibliothecae Ambrasianae locupletata est.*

Annaebergae, quae in Circulo Saxonum metallifero ciuitas est, Bibliotheca, in ipso Templo recondita, hoc saeculo innotuit. Fundamenta eius debentur Georgio, Saxoniae Duci, et Annaebergae conditori, quippe qui ex Bibliotheca Ludouici Goetzii, Sacerdotis aulici, partem quandam donauit. His adiuncti fuerunt libri Ioh. Pfennigii, Superintendentis, qui anno 1501. ad Hussitas transierat. Insigniter quoque ex sua supellectile libraria auxit Bibliothecam

Ioh. Nigrinus, qui, Scholae primum Conrector, mutato vitae molestae genere ad rem publicam gerendam accessit, et a. 1555. consularem dignitatem obtinuit. Ab eo sane magnorum sumtuum volumina profecta sunt, sua ipsius manu et nomine consignata. Collectum tunc temporis adparatum in ordinem redegit ornauitque Matthaeus Klingeissen, artis medicae Doctor, ac Senator, variaeque postea donationes aliorum locupletiorem reddiderunt. Inter MSta laudantur praecipue complures *eruditorum virorum Epistolae autographae*, quas a. 1594. Bibliothecae intulit Paul. Ienisius, Scholae Rector. Vid. GE. HENR. GOETZIVS in *Epist. ad Lehmannum*, *Nouis Hamburg. litterariis a. 1703. p. 448. sq.* inserta; CHRIST. FRID. WILISCHI *Orat. de meritis Senatus Annaebergensis in rem scholasticam*, *Lips. 1715. 4*; CHRIST. GOTTHOLD WILISCHII, fratris, *kurtze Nachricht von der oeffentlichen Bibliothec der Schule zu St. Annenberg*, *Annaebergae 1724. in 4*; Eiusdemque *Arcana Bibliothecae Annaebergensis*, *Lips. a. 1730. in 8.* de quo libro fusius disserunt Auctores *Actor. Eruditorum*, Germanice editorum *Parte CLVII. p. 73. sq.* Vtrum autem in calamitoso incendio a. 1731. quo Templum etiam conflagrauit, seruari potuerit Bibliotheca isthaec, an perierit simul, non resciuimus.

§. II.

Argentoratensium Bibliotheca Academica coaluisse primum videtur Vthonis III. ex illustri Franconiae Comitum familia oriundi, et saeculo X. Episcopi Argentoratensis, Codicibus quibusdam, itemque Ioh. Geileri, Vrbis Sacerdotis, Bibliotheca legata, quae omnis generis libris, poeticis, historicis, maxime vero theologicis, refertissima fuit. LOMEIERVS *de Biblioth. p. m. 205. edit. Schmid.* et MELCH. ADAMI in *Vitis Theol. German. p. 10. edit. Heidelb.* Accessit a. 1553.

Iacobi

Iacobi Sturmii, Senatoris et Scholarchae, ſupellex librariá, vti legimus in *Lexico Vniuerſali Zedleriano P. XL. n. 713.* et ex Ioh. Ge. Dorſchei litteris in Clariſſimi SEELENII *Deliciis Epiſtolicis pag. 106.* patet, circa a. 1634. migraſſe in hanc Bibliothecam e Curia Fratrum, vti vocant, cuius reditus vniuerſi ad Vrbem peruenerint, mille volumina, et inter haec plurima optimae farinae MSta. Confirmauit etiam nobiliſſimus Lorenzius, Argentoratenſis, celeberrimi Theologi Filius, quum iter litterarium faciens Luneburgum tranſiret, reperiri in eadem Bibliotheca libros Schenckbecheri, Tredecimuiri, ac Marci Ottonis, Rei publicae Argentoratenſi quondam a conſiliis, et ad Pacis Weſtphalicae negotium Legati, hisque per donationem inter viuos additam fuiſſe partem eorum, quos Ioh. Rebhanius, Iurium Profeſſor, congeſſerit. Codices quosdam manu exaratos indicauit IOH. FABRICIVS in *Amoenit. theologicis Helmſt. a. 1699. in 4. p. 753.* vbi, praeter alios, memorantur *Virgilius*, cum notis veterum, margini adiectis, atque *Ouidii Epiſtolae*, quae volumina deperiiſſe monetur, et pro numerata pecunia, ſed fruſtra, expetiiſſe Chriſtinam, Sueciae Mineruam. De Bibliotheca *Commendae Ordinis Melitenſis S. Iohannis Hieroſolymitani* lucem adſpexit nuper Opus, hoc inſignitum titulo: *Armamentarium Catholicum perantiquae, rariſſimae, ac pretioſiſſimae Bibliothecae, quae aſſeruatur in celeberrima Commenda eminentiſſimi Ordinis Melitenſis S. Iohannis Hieroſolymitani, nuper in bonum publicum ex amore veritatis ſalutiferae reſeratum, notis hiſtorico-theologicis Latino-Germanicis, hinc inde interſperſis, illuſtratum* caet. *Studio et opera* IOH. NIC. WEISLINGER, *Definitoris venerabilis Capituli Ruralis Otterswirani, et Parochi Capellis. Argent. a. 1749. in f.* Complectitur illud libros ab anno 1463. vsque ad a. 1522. editos. Auctorem autem ineptum eſſe rurisque plenum, et flagellis,

quam

quam elogiis, digniorem, nec adiectas ab eo notas multum conducere ad illustrandam historiam litterariam, libere significant *die Leipziger gelehrt. Zeitung. a. 1751. p. 548. sq.* et *Acta Erud. Lat. a. 1752. p. 530. Iesuitarum* quoque *Collegium* bella ornari Bibliotheca, obseruat KEYSSLERVS in *den Neuesten Reisen, Tomo I. p. m. 151.* Nota denique apud Argentoratenses Bibliotheca *Collegii Wilhelmitani*, quam laudauit, et, Reuchlino Inspectore, magis in dies efflorescere testatus est supra adductus Lorenzius, vir morum suauitate litterarumque studiis admodum conspicuus.

Arnstadii binae reperiuntur Bibliothecae. Altera ad *Principem* spectat, altera ad *Ecclesiam. Illa* selectissimis libris, Antiquitates potissimum, remque nummariam et historicam illustrantibus, est instructissima. Praefuit eidem hoc saeculo, per aliquot temporis spatium, Christian. Schlegelius, qui variis scriptis nomen suum ad posteritatis memoriam transmisit. Plura forsitan de Bibliotheca illa reperiuntur in IOH. CHRISTOPH. OLEARII *Historia Ciuitatis Arnstadiensis, Ienae 1701. in 8.* Germanice edita, vel in ANDR. WEBERI *Prolusionibus IV. de meritis Domus Schwartzburgicae in rem litterariam, Arnst. 1721. in f.* Vtrumque enim scriptum non est ad manum. Cimeliarchium, per omnem Europam celeberrimum, quod adiunctum erat Bibliothecae, a. 1712. emtionis iure Gothano illatum est, vbi et studiose adseruatur, et in dies augetur. Cf. *Histoire de la Republ. des lettres, Tom. XV. Haec* vero in possessione fuit olim Fratrum Discalceatorum, suamque debet originem Equiti Borusso, Leoni Pacmor, qui, legatis sex mille florenis, eo respexit, vt reditus annui non solum Ecclesiae Scholaeque commodis inseruirent, sed in constituendam etiam Bibliothecam impenderentur. Illustre hoc exemplum alii deinceps a decimo et sexto saeculo ad nostra vsque tempora

sequuti

ſequuti ſunt, inter quos aeternam praecipue gloriam comparauit ſibi Antonius Guntherus, Princeps Schwartzburgicus. Fuſius de hac Bibliotheca agitur in dicti OLEARII, Diaconi ac Bibliothecarii, *kurtzer, doch hinlaenglichen, Nachricht von der oeffentlichen Kirchen-Bibliothec in Arnſtadt, nebſt dem Verzeichnisſe der Bücher, ſo darinn befindlich ſind. Arnſtadt. 1746. in 8.* Exſtant ſane in ea antiquiſſimae Latinorum ſcriptorum, Patrumque eccleſiaſticorum, editiones; at maximam tamen librorum partem vulgarem eſſe, et ſine recto iudicio collectam, monent *die Leipz. gel. Zeit. a. 1749. pag. 394.*

Auguſta Vindelicorum quatuor, quantum ſciamus, Bibliothecas publicas habet, hic loci non nihil deſcribendas. Anteponi reliquis debet Bibliotheca *Senatoria*, quae MStis varii nec poſtremi ordinis, Graecis praeſertim, excellit, adeo quidem, vt vix alia Bibliotheca tanto cumulo praeſtantiſſimorum librorum Graecorum ſuperbiat, vti celeb. BRVCKERVS credit in *vita Dauid. Hoeſchelii, p. 453. Miſcellaneor. philoſoph. et litterar.* Antiquiſſimam huius Bibliothecae conditionem exponit *Chronicon Auguſtanum eccleſiaſticum* in PISTORII *Scriptor. rer. German. Tomo III. p. 660. edit. nou. Struuianae.* Ipſa verba haec ſunt: *Labente, vt ſupra diximus, religione quilibet fratrum prob! quaerebat ſibi placita, nec libri curabantur: imo, quod peius erat, petentibus non negabantur, et ſine chirographo alienabantur: quo fiebat, vt ad fratrum praedicatorum conuentum etiam aliqui ablati ſint, titulo accommodati: licet ipſi velint per modum redemtionis, quibus hodie caremus. Maxime fiebat ex ignorantia, quae peſſima nouerca eſt et tinea Codicum: et cum ibi originalium antiquorum, doctorum et oratorum poetarum eſſet admodum bona copia, parui pendebantur a noſtris praedeceſſoribus, ſed ab alienis appreciabantur. Habes denique eorum ex ordine nomina in foliis primis et vltimis beati Hieronymi ſuper Ezechielem.*

chielem. Tandem circa ann. Domini millesimum quadringentesimum et vicesimum floruit in illo loco egregius Sacrae Theologiae Doctor, Narcissus Pfiscer, ex ordine praedicatorum ad nos declinans: hic vbique in libris vestigia suae scientiae et laboris reliquit: deinde sub venerabili Abbate, Domino Melchiore de Stambeim, cum locus bibliothecae, qui tum inter dormitorium fratrum et ecclesiam erat, vbi nunc constructa est capella S. Gregorii (de qua nondum fecimus mentionem) esset nimis ad tot libros angustus, tempestatibus etiam stillicidioque expositus, idemque Dominus Abbas impressoriae arti per se et fratres operam daret, quae ars nuper inuenta erat, contigit locum maximo numero librorum augeri, ita, vt valde ampliori loco opus esset, prout etiam moderno valde humanissimo sub Abbate, quotidie augmentantur. Quare vt ab igne tuti essent, et facilis sine inquietatione pateret fratrum accessus, supra praefatam Capellam structura ipsa facta est. Quum itaque tanta cura, qua opus erat, Bibliotheca ista non semper tractaretur, Xysto Betuleio, qui medio saeculo decimo sexto vixit, atque diu Scholam cum laude rexit, negotium datum est, vt, conquisitis ex Monachorum pluteis melioribus Codicibus, nouam Bibliothecam construeret: cuius ad incrementum amplissimus Senatus singulis annis florenos quinquaginta decreuit, quibus cuiusuis disciplinae auctores coemerentur. Circa annum vero 1545. curauit idem Senatus Graecos Codices MStos plures vetustissimorum auctorum ab Antonio Eparcho, Corcyraeo Episcopo, Venetiis octingentis Ducatis emendos, tum quidem ἀνεκδότυς, nondum editos, vt loquitur MATTHIAS BERNEGGERVS in *Comment. ad Sueton. Caesar. cap. XLIV. §. 4. p. 104.* Marcus etiam Velserus, Senatoriae vir dignitatis, multa ad augendum hunc thesaurum librarium praestitit, tandemque a. 1614. vita excedens, insignem, quam ipse habebat, Bibliothecam lagauit publicae. Vid. BRVCKER. *l. c. p. 453. in fine.*

fine. Catalogum totius Bibliothecae primus edidit, vt creditur, GEORG. HENISCHIVS, Medicus et Mathematicus Auguſtanus, isque prodiit *Aug. Vindel. a. 1600. in f.* at propter exemplarium paucitatem parum eſt obuius. Cf. *die Leipz. Beytraege zur critiſch. Hiſtor. der deutſch. Sprache, Parte IV. p. 572. ſq.* nec non SCHWINDELII *Theſaurus Bibliothecalis, Vol. I. p. 6.* Recuſus eſt poſtea ſtudio ELIAE EHINGERI, *ibid. a. 1633. f.* idque exemplar altero fere tanto auctius, itidem rariſſimum eſt, quod quum negaſſet GROSCHVFFIVS in *Praef. ad Faſcic. I. nouae librorum rarior. Collect. p. 23.* ſolidis rationibus rei oſtendit veritatem, aliaque, quae idem obiecerat Ehingero, confutauit laudatus BRVCKERVS in *Vita Ehingeri p. 118. ſq.* docente SCHELHORNIO *Amoenit. litterar. Tomo II. p. 391.* Imo ſua iam aetate comparatu difficilem hunc fuiſſe Catalogum, HOTTINGERVS teſtatur in *Biblioth. quadripart. p. 14.* Libri in eo non ſecundum ordinem litterarium, ſed ſecundum loculamenta, quae occupant, ſunt exhibiti. *Graecorum MStorum Index* primum, auctore haud nominato, lucem adſpexit *a. 1575. in 4.* et a THEOPH. etiam SPIZELIO *Sacris Bibliothecarum arcanis retectis p. 1. ſq.* ſubiunctus eſt. BRVCKERVS in *Miſcell. philoſ. et litter. p. 454.* Hieron. Wolfium, Bibliothecae tunc temporis praefectum, confeciſſe putat Opuſculum illud, duabus tantum plagulis conſtans. Quadruplo, vti titulus habet, auctius a DAVIDE HOESCHELIO, Bibliothecario, et inſtinctu quidem Marci Velſeri, quod in *Praefatione Editoris* adfirmatur, *anno 1595. in 4.* prelo fuit ſubiectum, atque ex parte inſertum MONTFAVCONII *Bibliothecae Biblioth. MStor. T. I. p. 592. ſq.* BAELIVS in *Dict. hiſt. et crit. voce Hoeſchel, nota B.* de eo ſic iudicat: *Le Catalogue des MSS. Grecs de cette Bibliotheque - - - eſt de main de maître.* Add. COLOMESII *Biblioth. choiſie p. 492.* itemque REIMMANNI *Catal. Biblioth. theol. p. 115.* Ipſi ſtatim Indici haec praemiſſa ſunt

ſunt verba ſingularia: *Quisquis Reipublicae litterariae faues, ſiue Lector, ſiue Typographe, horum omnium Codicum ſiue interpretandi, ſiue conferendi, ſiue edendi, ita tibi futura eſt copia, ſi de iis incolumibus reſtituendis caueris.* Hac igitur lege antiquiſſimus Ioſephi, item Syncelli ac Theophanis Codices ad Ioh. Andr. Boſium, Profeſſorem quondam Ienenſem, tranſmiſſi fuerunt, quum in iis recenſendis laboraret. Cf. BRVCKERVS *l. c. p. 454. et 455.* Tertiam huius Indicis editionem ad annum 1605. referunt CONRINGIVS *de Biblioth. Auguſta, p. 162. in* MADERI *Collect.* aliique non pauci; ſed BRVCKERVS *l. c. p. 464. neminem*, ait, *noui, qui hanc editionem ſe vidiſſe profeſſus ſit, certe Auguſtanis ignoratur.* Sola MSta Graeca, ab Eparcho redemta, enumerantur a STEPHANO le MOYNE in *Variis Sacris*, quae *L. B. a. 1694. Tomis II. formae quadripartitae* diuulgata ſunt. Denique ANTON. REISERVS dedit *Indicem MStorum Bibliothecae Auguſtanae, Aug. Vind. a. 1675. 4.* in quo non Graecos modo Codices, ſed Latinos etiam producit, eosque ſecundum diſciplinas eo diſpoſitos ordine, prout in pluteis adſeruantur. Inſeruit Auctor hinc inde obſeruationes ſuas, raro tamen ſelectiores, quam maculam eluere ſtudet REIMMANNVS *l. c. p. 116. Haec omnia*, inquit, *ſi quis non eo, quo decet, ordine digeſta eſſe iudicabit, nec iis luminibus et ornamentis exculta, quibus illuſtrata eſſe ſolent monumenta huius generis, cogitet, Auctorem curis ſecundis haec reſeruaſſe, et in praefat. aliam editionem promiſiſſe multo politiorem, vna cum hiſtoria litteraria et libraria rei publicae Auguſtanae.* Adiecit etiam Reiſerus Adpendicem librorum vetuſtiſſimorum, qui, ab inuenta typographica arte, ad initium vsque ſaec. XVI. excuſi, in eadem Bibliotheca conſpiciuntur. Inter eos primum facile locum ſibi vindicat *Bibliorum Germanicorum Codex* maxime raritatis, *Aug. Vindel. anno* circiter *1477.* typis impreſſus, de quo vid. BRVCKERVS in

den

aen Leipz. Beytraegen zur crit. Hiſt. der Deutſchen Sprache, Parte XVII. p. 13. ſq. Quod autem vulgo traditur de editione Bibliorum Germanicorum a. 1449. Auguſtae adornata, ibidemque in Bibliotheca publica obuia, illud exploſit GE. FRID. MAGNVS in *Diſquiſ. I. de antiquis S. Scripturae verſionibus Germanicis, Auguſtae excuſis, ibid. 1690. in 4.* Cf. TENTZELII *Monathliche Vnterred. a. 1692. p. 676. ſq.* quo loco potiora exinde referuntur. Altera Diſquiſitio *ibidem a. 1698.* prodiit; vtraque tamen nunc eſt rariſſima, quod fide ſcribimus Venerab. FEVERLINI, Theologi Gottingenſis, in *Vicennalibus Brixienſibus*, hac ipſa in Academia celebratis, *p. 57.* Caeterum praeter IOH. MABILLONIVM in *Itin. German. p. 15. edit. Fabric.* qui Nouum Teſtamentum venerandae antiquitatis, item Ioh. Chryſoſtomi, Photii, Procopii, Gazaei Sophiſtae Codices, atque e Latinis Hiſtoriam miſcellam, Paulo Diacono tribui ſolitam, et ſine auctoris nomine in peruetuſtis membranis ſcriptam, collaudat, conſuli de dicta Bibliotheca poteſt IOH. CHRISTOPH. WENDLERVS in *Diſſ. I. de meritis Reipubl. Auguſtanae in rem litter. Ien. 1713.* quam tamen hoc tempore vſurpare non licuit. Senatoriae adiungimus Bibliothecam *Canonicorum Regularium ad S. Crucis Fanum*, quae non ſolum adparatum librorum, ſed numiſmata etiam, maximam partem recentiora, complectitur, vna cum idolis quibusdam et mathematicis inſtrumentis, legatis ab Andrea Rhem a Koetz, Cathedralis Eccleſiae Auguſtanae Praepoſito. Praeter haec variae Alrunorum ſpecies, et antiqua Hunnorum arma, occurrunt ibidem, teſte RAYMVNDO DVELLIO, in *Lucubratione epiſtolari ad Ioh. Ant. de Boxadors, Comitem de Cauella. Norimbergae 1733. 4. pag. 41.* Anteferenda tamen illi Bibliotheca *Monaſterii Vdalricani*, libris cum nouis, tum antiquis, ſi qua alia, maxime referta, de qua copioſius agit BERNH. PEZIVS *Diſſert. iſagogicae in Tom. I. Theſaur. Bibl. hiſtor. litter.*

Anecdot. nouiss. p. 32. sq. Idem Bibliothecam *Cathedralis Ecclesiae Augustanae p. 35.* tangit, inque ea superesse centum septuaginta nouem Codices, veteres plerosque ac probos, sed non perinde diligenter seruatos, adfirmat. Haud ita pridem *Collegium* etiam *Annaeanum Euangelicum* Ephori eiusdem, Henr. Metzgeri, Bibliothecam, quam reliquerat, instructissimam liberalitate Administratorum accepisse, intelleximus ex Nouis Lipſ. litterariis *(den Leipz. gel. Zeit.), a. 1748. pag. 843.*

§. III.

Quae in Curia *Baruthina* hodienum ostenditur *Bibliotheca Monasterii S. Iodoci*, eius *Memorabilia* singulari *Diss. Erlangae 1746. in 4.* recensuisse nouimus doctissimum virum, SAM. GVIL. OETTERVM; neque tamen in manus nostras hoc scriptum peruenit.

Bergense Coenobium, prope Magdeburgum, insignem habuit olim Bibliothecam, cuius comparandae augendaeque studiosissimus fuit Hermannus, Abbas, a. 1450. electus et confirmatus. Medio autem saeculo XVI. bellicis turbis destructus est adparatus omnis, ideoque Petrus Vlnerus, primus ex Abbatibus, Lutheri doctrinae addictis, luculentam denuo Bibliothecam Coenobio adiunxit. Tempore belli tricennalis triste iterum fatum experta est eadem, parte eius absumta penitus, parte, si fabula vera est, Heidelbergam, et inde Monachium deportata. Aliam igitur supellectilem parauit Goebelius, Abbas, suamque ipse a. 1685. legauit. Wolfarthus deinceps coepta continuauit mirifice. Haec desumsimus ex IOH. IVSTI VON EINEM *Comment. de origine, fatis et incrementis Bibliothecae Coenobii Bergensis, Magdeb. a. 1732. in 4.* de quo tamen libello vid. REIMMANNVS in *Catal. Bibl. suae, T. II. p. 160.* quo loco scribit: *Hanc Bibliothecam libris raris omnino et vtilissimis, veteribus iuxta ac*

ac nouis, refertam esse, liberius paulo pronunciatum esse (ab Auctore) *existimamus; ipsi enim eandem plus vice simplici oculis vsurpauimus, et eius commatis esse deprehendimus, vt ex iis, qui quandam eruditionis existimationem sibi adsciuerunt, oppido paucos reperiri existimemus, qui non maiorem librorum rariorum et vtilium habeant apparatum. Et si nunquam eandem conspexissemus, ex Commentationis huius indole facile hariolari possemus, Bibliophylazium Bergense non magis abundare opibus, quam Nummophylazium, de quo Auctor §. 3. p. 13. scribit, exspectare adhuc incrementa.*

Berolini complures Bibliothecae publicae exstant. Prima et praestantissima est *Regia* optimo iure *une des plus belles Bibliotheques de l'Europe* a BAELIO dicitur *Lettr. choisies T. I p. 374.* Ea vero auspiciis Friderici Guilielmi, magni Principis Electoris, a. 1661. publica facta, et in noua cum maxime porticu, eaque spatiosissima, prope palatium Electorale, dedicata est, vt splendidius quasi hospitarentur illa omnium saeculorum illustria ingenia, quae quibuscunque litterarum monumentis vlli sapientiae parti vtilem nauarunt operam, GRAEVIO sic scribente in *Epistola* ad Frid. Guilielmum, *Luciano* suo praefixa. Aucta deinceps variis modis, et eodem quidem anno tota Bibliotheca, a Tribuno militum, von der Groeben, legata; a. 1663. Ioh. Vorstii, Bibliothecarii Electoralis, et Gymnasii Ioachimici Rectoris, supellectile, a Principe comparata, libris item praestantioribus, ex Templo S. S. Trinitatis Cathedrali desumtis; a. 1665. multis Operibus ex Bibliotheca Munchhusiana, Bremae diuendita, nec non egregia Ioh. Ioach. a Rusdorf, Consiliarii intimi Palatini, Bibliotheca, Arnhemii tunc temporis deposita, ac duobus Imperialium millibus redemta; a. 1668. iis libris, quos prior Friderici Guilielmi coniux, Ludouica Henrietta, reliquerat; a. 1672. magna Persicorum MStorum copia, per Lib. Baronem

a Blumenthal, Conſiliarium intimum, a Burch. Niederſtaett, Conſiliario Gottorpienſi, acquiſita; ab a. 1671. vsque ad a. 1681. Codicibus variis Orientalibus, a Theod. Petraeo, LL. Oriendalium in Academia Regiomontana Profeſſore, olim collectis, et adiutore Andr. Mullero, Praepoſito Berolinenſi, certa pecuniae ſumma emtis; a. 1684. pulcherrima Erneſti Bogislai, Croyae Ducis, ac Ducatui Boruſſico Praefecti, Bibliotheca, hereditatis iure ad Frid. Guilielmum deuoluta; ſub ſaeculi huius exordium ſplendida Ezech. Spanhemii ſupellectile, a viuo adhuc poſſeſſore, ob rationes domeſticas, Friderico III. primo Boruſſorum Regi, ſolutis duodecim Imperialium millibus, conceſſa, diuque in via Fratrum (*der Brüder Gaſſe*) repoſita, donec a. 1735. Bibliothecae Regiae, ſeparatim tamen, adiungeretur; a. 1702. Bibliotheca Sinica Chriſtiani Menzelii, Archiatri quondam Electoralis; a. 1707. Chriſtiani Rauii, Profeſſoris Viadrini, Codicibus Orientalibus, Conſtantinopoli, aliisque in locis, congeſtis; annoque 1722. rariſſimis MStis, ad Hiſtoriam Cliuenſem, Iuliacenſem, Bergenſem, caet. pertinentibus, ex Bibliotheca Iuſti Chriſtoph. Dithmari, Hiſtorici Viadrini, quae omnia, cum prioribus, emtionis titulo acceſſerunt. Sub feliciſſimo imperio hodierni Regis, qui merito Deus Muſarum tutelaris dicendus eſt, quam plurima etiam maximi pretii Opera Regiae illata fuerunt, quumque iam inde ab a. 1699. ab Auo glorioſiſſimo conſtitutum ſit, vt bina ſemper exemplaria librorum in terris Brandenburgicis excuſorum ad eandem perferantur, facile patet, vel hoc ſolo incremento quotannis eam inſigniter amplificari. Id vero monendum adhuc, a. 1735. tranſlatam exinde eſſe in Bibliothecam Regiae Societatis Scientiarum non exiguam librorum medicorum, phyſicorum et mathematicorum multitudinem. Quod ad rariora attinet, MSta cum primis, in omnibus fere diſciplinis

hic inueniuntur, quae adcuratiori contemplatione ſunt digniſſima. Praecipua tangit IAC. TOLLIVS *Epiſt. itiner. II. p. 45.* Sunt inter haec e. g. duo Codices *Noui Teſtamenti*, quorum alter Graecus duorum voluminum litteris vncialibus, ſine accentuum notis, ſaec. IX. perſcriptus eſt, alter *verſionem Latinam vulgatam*, eamque perantiquam, complectitur, qua ſe Eraſmus in altera ſua Noui Teſtamenti editione plurimo cum fructu vſum fuiſſe, bis manu ſua notauit; Vetuſtiſſimum *Pentateuchi Ebraici* MStum, anno quippe poſt Chr. nat. 334. in inſula Rhodo exaratum, vt in fine libri a librario monetur, quod Andr. Mullerus ſingulari deſcripſit Opuſculo, cf. *Noua litteraria Germ. a. 1703. p. 405*; *Ambroſii*, Epiſcopi Mediolanenſis, *de officiis Miniſtrorum* liber, ſaeculo octauo nitidiſſime ſcriptus; Codex incomparabilis, ſaeculi noni aetatem indicans, in quo *Pſalterium Hieronymi*, cum aſteriſcis et obelis litteris, marginibusque aureis diſtinctum; *Alcorani* MSta quaedam ſummae elegantiae, litteris aureis, caeruleis et miniatis inſignia, ex Chriſt. Rauii ſupellectile redemta; Codex *Speculi Saxonici* membranaceus, et bonae notae, a. 1269. exaratus; *Decretum Gratiani*, ſine concordantia diſcordantium canonum, cum Gloſſis a Barthol. Brixienſi collectis, in membrana ſaec. XIII. ſcriptum, de quo pariter ac duobus aliis Decreti Codicibus v. b. BOEHMERI *Diſſ.* nouae Corporis Iuris Canonici editioni praemiſſa, *de varia Decreti Gratiani fortuna*, §. *XXIII*; *Lucanus de bello ciuili* cum ſcholiis antiquis, ex ſaec. IX. optimae notae; *Terentius*, *Liuius*,*) *Valerius Maximus*, *Suetonius*, aliorumque Scriptorum Romanorum Codices membranacei; *Bibliorum Ebraicorum* exemplar, *Brixiae* quidem *a. 1494. in 8.* typis impreſſum, at propterea

 MStis

*) De Liuio vid. *Theſaur. epiſtolicus La Crozianus*, ſtudio celeberrimi, mihique amiciſſimi VHLII diuulgatus, *Tomo I. pag. 114. ſq.*

MStis interferendum, quod illud b. Lutherus ad conficiendam verſionem Germanicam adhibuit, paſſimque manu ſua obſeruationes adiecit. Capſulae incluſum ſeruatur, teſte OPITIO in *Praefat.* ad *Biblia Ebraica, Kil 1709.* Cf etiam Diarium Germanicum, quod Auctores doctiſſimi *die Berliniſche Bibliothec* vocarunt, *Vol. I. P. 2. p. 152.* et *p. 576. ſq.* De MStis Sinicis vid. laudati ſupra MVLLERI *Catalogus der Sineſiſchen Bücher in der Churfürſtl. Brandenb. Bibliothec, Colon. a. 1683. in f* nec non LACROZII *Obſeruatio de libris Sinenſibus Bibliothecae Regiae Berolinenſis,* in *Tomo I. Miſcell. Berolin. Sect. 1. art. 7. p. 84. ſq.* Add. *Theſaur epiſtol. La Crozianus, Tomo I. p. 22.* et *p. 258 in princ.* Medica MSta duabus *Diſſertationibus* epiſtolicis, *Berolini a. 1746. in 4.* recenſere coepit IOH. CAROL. GVIL. MOEHSEN, dolendumque ſaltim, continuationem nunc non eſſe ſperandam. Plura enim reſtant, maxime *Herbaria viua*, multorum voluminum et quantiuis certe pretii. Inter MSta hiſtorica eminent centum et octodecim formae maioris Tomi, ſplendide compacti, qui vulgo *Mazariniani* adpellantur, et ex Bibliotheca huius Cardinalis, Pariſiis iuſſu ſummae Curiae diuendita, in Berolinenſem peruenerunt vna cum quadraginta quatuor voluminibus *Relationum diuerſarum in 4* ex Bibliotheca Chriſtinae, Sueciae Reginae, ab illa eodem tempore ex Mazariniana comparatis. Nec ſilentio praetermitti debent *Biblia ſacra Anglicana,* quae Carolus I. eo ipſo die, quo ſecuri percutiendus erat, ſecum portauit, item DEVIZII *Hiſtoria Ludouici XIV.* Regis Franciae, quam decem formae maximae volumina exhibent, eo pluris aeſtimanda, non ſolum, quod ipſius Ludouici donum ſunt, a. 1709. inter terribiles belli tumultus Friderico I. Boruſſorum Regi oblatum, ſed ob raritatem cum primis, quum triginta modo Operis, Gallice ſcripti, exemplaria *Pariſ. a. 1697.* edita dicantur. De

ſacri

ſacri Codicis editione vetuſtiſſima, *Mogunt. a. 1450.* abſoluta, quae ibidem oſtendi ſolet, infra *Tom. II. cap. vltimo de Typographia* agemus. Maximo etiam Bibliothecae ornamento eſt adcurata librorum diſpoſitio, ſecundum claſſes, Catalogi fere Telleriani in modum, facta; cui accedit certa eorundem ligatura, ex corio rubro, partim vulgari, partim Turcico, belle parata, auroque in dorſo diſtincta. Spanhemiani vero libri, Gallorum more, compacti ſunt omnes. Bibliothecarii celebriores fuerunt Ioh. Vorſtius, Chriſtoph. Hendreich, et Maturin. Veyſſiere de la Croze, quo a. 1739. mortuo id muneris demandatum eſt ampliſſimo viro, Conr. Chriſtoph. Neuburgio, Conſiliario Regis aulico, Iuriumque in Gymnaſio Ioachimico Profeſſori. Inter Sub-Bibliothecarios magnae eſt famae Laur. Begerus, cui nepos ex ſorore, Ioh. Carol. Schottus, ſucceſſit. Ludolphum quoque Kuſterum per breue temporis ſpatium librorum curam habuiſſe conſtat. Contractam ſplendidiſſimae huius Bibliothecae, quae ſingulis diebus, exceptis dominicis feſtisque, aperitur, hiſtoriam debemus HENDREICHIO, quod ſcriptum duarum plagularum in lucem exiit *Berolini a. 1687. in 4.* Patet ex hac Notitia, eiusque Indice, iam Friderici Guilielmi, Electoris, aetate in Bibliotheca Codices manu exaratos mille ſexcentos ac duodeuiginti; pictos ſiue penicillo, ſiue caelo, centum et quindecim; iunctim vero viginti millia et ſexcenta voluminum fuiſſe, et, ſi libros editos ſingulos ſpectemus, nonaginta eorundem numerari millia potuiſſe. Cf. HENNINIVS ad *Tollii Epiſt. itinerar. p. 53.* Quem adparatum, ſummi Principis aula digniſſimum, auctum eſſe mirifice hoc ſaeculo, ſuperiora iam docuerunt. Anno certe 1715. ad quinquaginta voluminum millia collecta fuerunt, teſte graui et probo, LA CROZIO. Praeter Hendreichii opellam habemus ſequentem: *De ſcri-*

benda Hiſtoria Bibliothecae Regiae Berolinenſis Conſilium et occaſio, calamo epiſtolographico Trigae virorum expreſſa. Coronidis loco accedit Epiſtola denuo recuſa Chriſt. Hendreichii. Berol. a. 1725. in 4. Exhibet ea 1.) IOACH. ERN. BERGERI *ad La Crozium Epiſtolam*, 2.) *huius Reſponſum ad Bergerum*, (nunc inſertum quoque *Theſauro epiſtol. La Croziano, Tomo III. p. 70. ſq.*) in quo de incrementis Bibliothecae ac Bibliothecariis, deque numero librorum, et praecipuis Cimeliis, diſſeritur, 3.) BERGERI *Epiſtolam ad Ioh. Chriſtoph. Becmannum*, 4.) BECMANNI *Reſponſionem.* Cognoſcimus ex hisce, paraſſe Bergerum de primordiis, incrementis, praefectis, libris, et excuſis, et manu ſcriptis, ornamentis, Catalogo, loco et vſu Bibliothecae Commentarios, filiumque eiusdem de *Admirandis Bibliothecae Regiae* edere Orationem voluiſſe; ſed laborem vtriusque, neſcio, cuius nunc ſcrinia occultent. Nihil enim ad hunc vsque diem prolatum in lucem eſt. Forte noſtra aetas, quam hiſtoricam merito ac litterariam dixeris, diu optatam progignit, eamque perfectam, tantae Bibliothecae Hiſtoriam, cum Catalogo librorum adcurato, qualem olim Hendreichius promiſerat. Viam nuper proſpero muniuit ſucceſſu Conſultiſſimus vir, IOH. CAROL. CONRAD. OELRICHS, in *dem Entwurf einer Geſchichte der Königlichen Bibliothec zu Berlin, ibid. a. 1752. in 8.* Auctor docte agit cap. I. *de origine, progreſſu, incrementis, magnitudine ac diſpoſitione Bibliothecae Regiae;* Cap. II. *de quibusdam raris et magnis Operibus;* Cap. III. *de MStis generatim, ac de theologicis ſpeciatim;* Cap. IV. *de MStis iuridicis;* Cap. V. *de MStis medicis;* Cap. VI. *de MStis hiſtoricis;* Cap. VII. *de Codicibus quorundam Auctorum claſſicorum;* Cap. VIII. *de autographis eruditorum Epiſtolis;* Cap. IX. *de MStis Sinicis;* Cap. X. *de Memorabilibus aliis, in Conclaui MStorum;* Cap. XI. *de ſupremis et illuſtriſſimis Bibliothecae Inſpectoribus;*

Cap.

Cap. XII. *de Bibliothecariis, ad hanc vsque aetatem,* quibus ſubiuncta eſt *Adpendix*, indicans varia, quae Capitibus his iam excuſis innotuerunt Auctori clariſſimo. Haec de Bibliotheca. Regiam vero ſupellectilem, nummis, gemmis, ſtatuis, aliisque veterum monumentis refertiſſimam, et legato Gazophylacii Palatini,* poſt Caroli, Electoris, a. 1685. ſine prole defuncti, aetatem, mirifice amplificatam, (qua de re vid. *Acta Erud. Latina a. 1696. p. 434.*) illuſtrauit doctrina ſua LAVR. BEGERVS in *Theſauro Brandenburgico*, cuius *tres Partes* prodiere: *prima Colon. March. a. 1696. altera a. 1699. tertia a. 1701. in f. cum fig. aeneis.* Quo in Opere quum, praeter gemmas ſelectiores, Graeca et Romana numiſmata deſcripſiſſet potiſſimum Auctor, addidit *a. 1704. ead. forma Numiſmatum modernorum Cimeliarchii Regio-Electoralis Brandenburgici Sectionem I.* nummos Pontificum Romanorum, aliorumque Principum eccleſiaſticorum, rariores et elegantiores continentem. Reliquas Sectiones Begerus, morte interceptus, perficere non potuit. Cf. TOLLIVS *l. c. p. 45.* Acceſſiſſe etiam Muſeo Regio Ioh. Petri Bellorii adparatum, legimus in *Lexico Eruditor. Ioecheriano, T. I. p. 940*

De aliis Bibliothecis publicis *Berolinenſibus*, ſcilicet *Societatis ſcientiarum Regiae*, quae a. 1752. menſe Iunio in nouum ſplendidiſſimumque domicilium deportata eſt, et iam a clariſſimo Pelloutierio curatur, *Gymnaſii Regii*, cuius initia, incrementa et ſtatum hodiernum breui *Schediaſmate* expoſuit MART. GE. CHRISTGAVIVS, *Berol. a. 1738. in 4.* item *Scholae*

*) De eo exſtat BEGERI *Theſaurus ex theſauro Palatino ſelectus, ſiue gemmae et numiſmata, quae in Electorali Cimeliarchio continentur. Heidelb. a. 1685. in f.* quod Opus tamen rarius factum, quoniam incendio Heidelbergenſi exemplaria bene multa, ſuperiori ſaeculo, abſumta ſunt, vti memorat WESTPHALIVS in *Centur. I. librorum, auctoritate publica combuſtorum, pag. 6.*

Senatoriae, *Templi Nicolaitani*, *Petrini*, *Mariani* et *Georgiani* adcuratiorem dare notitiam hoc quidem tempore non licet.

§. IV.

Brandenburgum ad Hauelam, mediae Marchiae ciuitas, complures quoque Bibliothecas publicas possidet, paucis enarrandas. Talis est in *Schola Equestri*, quae ad Collegium Canonicorum pertinet, vbi nostris temporibus non spernenda librorum optimorum copia congesta fuit. Superat illam et aetate, et dignitate, Bibliotheca *Scabinatus*, super aedes colligendae, vt vocant, Accisae destinatas constituta, quae libraria supellectile, et ea iuridica in primis, Oelschlaegeri, Equestri quondam Scholae praefecti, egregie locupletata est. Eam enim compararunt consultissimi Scabini, simulque Bibliothecae certos reditus tribuerunt, vt augeri quotannis possit. Palaeo-Brandenburgi *Templum*, *S. Gotthardo* sacrum, pretiosam antiquorum librorum adseruat multitudinem; Neo-Brandenburgum autem duabus ornatur Bibliothecis, quas iam curat Daniel Finckius, Rector Scholae doctissimus. *Altera*, in *Templo S. Catharinae* collocata, *Garcaea* dicitur, quoniam a Garcaeis, patre ac filio, vtroque sacrorum Antistite, saec. XVI. et XVII. instructa est. Post filii obitum Senatus emit eandem, ac publicam fecit. *Altera*, insignita nomine *Heinsianae*, a Christoph. Heins, Baccalaureo superiori in Gymnasio Francofurti ad Viadrum, a. 1702. *Lyceo* ciuitatis Brandenburgensis legata fuit. Catalogus prodiit *ibidem eodemque anno in 4.* plagulis quindecim. Impar quidem haec priori, si numerum librorum spectes et pretium; neque tamen spernenda omnino, maxime ob scripta, quibus abundat minora. Vid. clariss. KOHLII *Hamb. Berichte von gelehrt. Sachen a. 1751. Parte LXXVII. p. 621. sq.* quo loco Finckii de

his

his Bibliothecis litterae exhibentur. De Bibliotheca priuata *Aluenslebiana*, quae Stendaliae olim, in Marchia veteri innotuit, deinceps Hundesburgum translata eſt, legatur Celeb. KÜSTERVS *Collect. Opuſculor. Hiſtor. Marchic. illuſtrantium P. XIII. p. 39. ſq.*

Illuſtris eſt tam libris editis, quam MStis rarioribus, *Bremenſis Reipublicae* Bibliotheca. Praetermittimus antiquam illam, quae, teſte VBBONE EMMIO, *rer. Friſic. lib. VI. p. 91. edit. in f.* circa a. 1019. cum Eccleſia, Epiſcopi domo, reliquisque ſacris aedibus, penitus exuſta fuit. Recentiorem potius Bibliothecam, Gymnaſio conſecratam, cui Melch. Goldaſti adparatus, ab ampliſſimo Senatu redemtus, ſuperiori ſaeculo primum fundamentum ſuppeditauit, hoc loco, fas eſt, velut in tabella quadam depingi. Vtemur autem humaniſſimis et variam doctrinam redolentibus litteris, quas GER. von MASTRICHT, celeberrimus olim Bremenſium Syndicus, ad Bibliothecae huius litterariae Auctorem perſcripſit. En! eas integras: *Cum voluptate, Vir Clariſſime, litteraria Tua, per vices edita, legi, quae certe rei bibliothecariae, cuius dudum ſtudioſus fui, item litteris humanioribus et hiſtoriae non exiguam lucem. Tibi nomen clarum apud doctos conciliant, id quod et plurimum reuerendus Dominus Abbas Schmidt, Profeſſor Helmſtadienſis meritiſſimus, communis amicus, in praefatione, rurſum in lucem reuocatis Scriptoribus bibliothecariis praemiſſa, teſtis, ſi quis, claſſicus affirmauit. Quare gratiſſima mihi fuit ſalutatio, quam Tuo nomine dedit nobiliſſimus et conſultiſſimus Dom. Albrechtus Hake, I. V. D. qui inſuper rogauit, cum in Introductione Tua ad notitiam rei litterariae et vſum Bibliothecarum mentio inter alias facta Bibliothecae Bremenſis, vt, quid in ea reconditum, aut memoria dignum lateret, Tibi panderem. Annui ſtatim, vt Tibi hoc officium ex veteri formula lubens meritoque praeſtarem, ſimulque mihi fautorem et commercium litterarium*

terarium Tecum acquirerem. Quod de Bibliotheca nostra Cap. I. §. 14. narras, verum est, emit eam Ampl. Senatus post mortem Goldasti cum eius MStis; mortuus ille est, vti nosti, saeculi anterioris anno trigesimo quinto. A quo tempore ad nostra plures libri et insigniora Opera ex famosissimis Bibliopoliis, etiam regiis sumtibus institutis, prodierunt, quam in omnibus saeculis anterioribus, quare neque tanta Impressorum copia Goldasto fuit, quam nunc esset, si viueret; curiosus tamen conquisitor maxime Manuscriptorum fuit. Eius industriam et labores stupeo, tum in colligendis monumentis litterariis, tum ad publicum Europae, potissimum Imperii Romani, Statum pertinentibus. Praeter edita, multa apud nos latent, varia regna prouinciasque Germaniae concernentia. In re litteraria collegit stupenda diligentia notas et commentarios in Petronium, quos vastissimis duobus voluminibus in f. inclusit, sunt in iis multa leuicula, multa etiam spurca. Habemus et varia aduersaria, in quae obuia litteraria coniecit. Inter Manuscriptos eius, postea nostrae Bibliothecae addictos, memorabilis fuit Codex Graecus Suidae, qui cum aliis XXIIX. *Christinae Reginae in Sueciam a. 1650. est missus, forte nunc Romam delatus.* (Cf. hic *Acta Erud. Lat. a. 1730. p. 532. in fine) In his fuit et Chronicon Iuonis, amplum illud a Nino ad Ludouicum Pium Imp. quod in Bibliothecis exstare dixit Vossius de Histor. Lat. lib. II. quod tamen Hugoni, Monacho Floriensi, vindicat Caueus; Incerti auctoris fragmentum annotationum in Plinii Historiam, Fragmentum Agatarchidis de Mari Rubro, Sexti Empirici libellus* περὶ ἀγαθȣ καὶ κακȣ̃; *Fragmentum Glossarum veterum Latino-Graecarum; Fulgentii Astronomica, Epigrammata vetusta de die et nocte; Simmiae Rhodi ouum Gr. Hermetis Trismegisti fragmentum Gr. Inscriptiones antiquae in Babylonia et Palaestina inuentae. Fragmentum nomenclatoris Latino-Graeci de Piscibus. Hippocratis Lexicon Gr. Platonis dialogus de legibus. Excerpta quaedam ex Io. Zonarae Lexico, nemini*

mini, nec mihi, in Historia iuris memorato. Rhabani Mauri libellus de inuentione linguarum, Lexicon vetus Graeco-Latinum, Excerpta quaedam ex Glossariis Gr. Lat. Audoëni Vita S. Eligii, Quirini et Armenii (si bene scriptus Catalogus) liber de passione Martyrii. Ant. Musae de Herba Veronica liber, cum Herbis Apuleio Platonico traditis a Chirone Centauro Magistro Achillis, cum figuris herbarum, scriptura antiqua. Sybillae Tiburtinae liber. Chalcidius in Timaeum Platonis, Curopalata de officialibus, cui adhaesit Anon. Epitome temporum ab Adamo ad annum XX. Heraclii, Hesiodi genesis et vita, de Homeri et Hesiodi certamine lib. Gr. cum XVIII. aliis Graecis tractatibus, epistolis et versibus. Iterum Valerii Harpocrationis Lexicon Gr. Aratoris, Subdiaconi Romani, Epistolae ad Florianum Abbatem, et ad Iulium (lege Vigilium) Papam, sub quo vixit, quae nescio an editae sint, cum nemo earum mentionem faciat, item eiusdem liber historiae Apostolicae versibus expressus, exstans in Bibliotheca Patrum. Amphilochii Vita Basilii Gr. S. Ianuarius de filio prodigo, Bedae et Augustini quaedam, S. Othmari Abbatis dicta. Aquilii Genealogia Machabaeorum, Herodum et de Olympiade, cuius sit, ignoro, Aquilio Seuero, cuius meminit Hieronymus, adscribere non audeo. Hieronymus Strid. de nominibus Apostolorum, cuius nemo, quantum scio, meminit; Columbani Epist. Syluii, nescio cuius versus de cognomento Saluatoris. Walafridi Strabi versus de Beati Blaitmaci vita, eius, qui saec. IX. inter alia etiam vitam S. Othmari Abbatis dedit, exstat in Tomo VI. Canisii. Theodulphi, vel Thietholfi, Episcopi, mihi hactenus ignoti, opus de tota veteris et noui Testamenti instructione, item carmina. Forte ille est, cui Manuscripta adserunt carmen de Phoenice, alias Lactantio adscriptum. Φυσιολόγικον *in Hexameron Gr. cuius auctoris sit, me latet. Quatuor Euangelistae Gr. eleganter scripti. Persii Satyrarum liber cum Glossis, cui aderant prouerbia Bedae. MStus quoque Cicero de ammicitia, Sallustius*

ſtius de bello Catilinario, et geſta Alexandri M. lib. X. credo Curtii. Gratioſi Epidauritae libellus de notis Romanorum, cui adhaeſerunt alii XXIV. tractatus; porro Prudentius, Valerianus Epiſcopus Metenſis de bono diſciplinae, Eginhardi vita Caroli, Milonis vita Alberti, vno volumine; Ephraim Syri paraeneſes et alii tractatus Gr.) Hymni eccleſiaſtici. Lex Salica, Ripuariorum, Alemannorum. Taedet ſane alios bene multos addere. Quae ſuperſunt nobis adhuc rariora, haec indico. Vadiani ſtemma Archiducum Auſtriae, aliaeque Genealogiae. Epiſtolarum Originalium virorum litteris illuſtrium volumina quaedam, ab anno 1500. Hofflieder, vaſto volumine in f. Fragmentum actorum ſextae Synodi Conſtantinop. Euſebii praeparatio Euangelica, Lentuli Epiſtola de Chriſto, Acta Concilii Mantuani 1459. Roſae euentus Romanorum ab vrbe condita ad Auguſtum, S. Mauritii et Sociorum Martyrium, anonymo, ſed perueteri, auctore, Volumen Diplomatum Regum Francorum et Imperat. ab a. 715. Boëtius de conſolatione Philoſophiae, Acta Concilii Triburienſis, cuius ſit, non potui nunc inſpicere, fuerunt enim tria; Chronica Archiepiſcoporum Magdeburgenſium, Geſneri deſcriptio Montis Fracti, ſeu Montis Pilati, Wolfii quaedam fragmenta de rebus Helueticis, in quibus variae emendationes ad Munſteri Coſmographiam. Ioh. Vitodurani Chronicon, quantum ſcio, ineditum, in Heluetia notum et aeſtimatum doctis.**) Varia Zwinglii. Blaſii Viegas Vaticinium de Babylonis et Meretricis Romanae*

*) Omnia nunc viri huius Opera, ſtudio IOS. SIM. ASSEMANI, et laudabili inſtinctu QVIRINI, Patris purpurati, ex Bibliotheca Vaticana optime edita ſunt *Romae 1732. ſq. Tomis VI. in f.*

**) Codex ille, qui autographus exſtat apud Tigurinos, nunc reperitur in ECCARDI *Corp. hiſt. medii aeui Tomi I.* et longe correctius in *Theſauro Hiſtoriae Helueticae, Tiguri a. 1735. in fol. num. I.* Fuſius etiam de eodem diſſeruit IOH. IAC. BREITINGERVS in *Muſeo Heluetico, Partic. XIII. p. 615. ſq.*

nae excidio, cuius Alegambe non meminit, qui tamen in Apocalypsin commentatum notat. Vita Iohannis Apostoli, et aliorum multorum Martyrum eorumque passiones. Sedulii Scoti liber de Rectoribus christianis bis. Est ille Sedulius posterior. Bussonii Presbyteri, mihi ignoti, de lapsu Adami et de matrimonio. Ouidii liber de vetula suppositus, in Operibus omissus. Iulius Exuperantius de bello Mariano. M. Tuberonis libellus de iis, quae pluribus modis dicuntur, liber Sibyllae, Philo de proprietatibus animalium Gr. Apollinarii Paraphrasis Psalmorum Gr. Io. Geometrae Odarum libellus Gr. Nicephori Blemmidae Logica Gr. Nili cuiusdam expositio de contractibus matrimonialibus, eius et alia Opuscula Gr. Proterii, Episcopi Alexandrini, aliorumque Patrum et Paparum Epistolae de tempore Paschali, quae editae sunt pleraeque a Bucherio in doctrina temporum; Ioh. Damasceni isagoge dogmatum philosophicorum, cuius nemo meminit. Bedani monachi Glossae et Aldselmi Episcopi aenigmata, edita a Martino Delrio. Passio Apostolorum Petri et Pauli, et interitus Simonis Magi. Inueni quoque volumen in quarto satis magnum, in quo alte Teutsche Mann-vnd Frauen Nahmen, aus den alten Historien gezogên; opus, quantum ex epistolis, quibus nomina allita sunt, colligere potui, Auctorem et Collectorem habet Conradum Gesnerum, distincta sunt illa per terminationes, multa nominum millia in eo continentur, opus dignum, quod ad promouendam linguam Germanicam typis vulgetur. Plura nunc non addo, ne nimium Tua, Vir Clarissime, turbem concatenata negotia. De typis expressis nil scribo Tibi, nisi quod ex accurata Goldasti annotatione multos Anonymos et Pseudonymos detexerim, quod Clarissimo Placcio subministraui, cuius vastum opus de pseudonymis et anonymis detectis moribundus auctor mihi ad editionem misit et commisit, quia me auctore et instigatore postliminio ad istud reductus fuit. Quod, cum auctor se totum moralibus et mysticis scriptoribus addixisset, diu pro derelicto habuit. Erat perductum vsque ad

*ad annum ipſius emortualem 1697. conſtat ſeptem ſatis magnis voluminibus in folio, cum duobus indicibus, vno pro Anonymis, altero pro Pſeudonymis, qui quoque volumen exhibent; paratum eſt opus ad editionem, in quo vltra nouem millia auctorum et librorum ſuis auctoribus vindicata ſunt. Labor triginta annorum, ad quod multi, ego quoque, multas ſymbolas contulimus, quae cuique fideliter in opere redduntur et cuique ſua adſeruntur. Per ſeptennium iam vbique in Belgio et Germania quaeſiui typographum, qui opus edendum ſuſciperet, ſed fruſtra. Tandem ante annum ſe Hamburgi obtulit quidam Dreyerus, Doctor, homo locuples, qui ſe editurum ſuſcepit, oblatis ex ſuo ſumptibus, quare Teſtamenti Placciani Executoribus opus remiſi, ſatis perſuaſus, D. Dreyerum, vbi molem inſpexiſſet, promiſſa non praeſtiturum. Obtuli me Executoribus ad communes ſumtus, quam conditionem illi reſpuerunt. Dolet mihi valde egregium et induſtrioſum hoc opus non publicari, ex quo typographus certiſſimum lucrum, me vate, ſperare poteſt intra breue tempus, quodque ab anno 1697. ad haec tempora continuari poſſet, ad quod ego interea neceſſaria congeſſi. In opere de quibusdam ſcriptis ita longe diſputatum eſt, vt pro tractatibus haberi poſſint, veluti de auctore fabulae de tribus impoſtoribus, de auctore Theologiae Germanicae (quem vnus Wolfius Tomo 1. f. 863. ad annum 1460. Ehlendum vocat, de quo nec Placcius, neque ego, quidquam inuenire potui.) Porro de Ioanne Annio Viterbienſi, aliisque. Vidi quoque apud mortuum ingens volumen in folio de Philoſophia Morali, item aliud vaſtum de iure naturae, vtrumque ad prelum nitide deſcriptum, quod edere viuus noluit, timens antagoniſtas, ab iisque moleſtias, quae vitae tranquillitatem turbarent. Haec allotria, quae tamen, Vir Clariſſime, vti ſpero, delectabunt. Verbum adhuc de Manuſcriptis meae Bibliothecae rarioribus addo. *) Habeo volumen*

*) Catalogus Bibliothecae Gerh. von Maſtricht, Syndici Bremenſis,

volumen Epiſtolarum Iuonis in membrana nitide ſcriptarum; Hilarium de S. trinitate, in membrana elegantiſſime ſcriptum; Paſchaſii Ratberti, Remigii Antiſiodorenſis, Rhabani, Gregorii, Manuſcripta in pergamena, quia edita, ſileo. Petri de Riga Auroram carmine, ſeu Paraphraſin Metricam in Vet. et Nou. Teſtamentum, opus ineditum habeo, item Petri Babionis ſermones, de quibus Pitſaeus; Rhabani Mauri Gloſſarium Teutonicum in Biblia; Bodiuum de rerum ſublimium arcanis, Manuſcripta nondum etiam edita; Vti nec Reginonis epiſtola de Harmonica inſtitutione ad Rhadbodum Archiep. Treuirenſem; Manuſcriptum eſt procul dubio ipſius auctoris, et quidem vnicum in orbe; nullus enim eius meminit, ne quidem rei Bibliothecariae peritiſſimus Stephanus Baluzius, qui nobis eius libros de diſciplina eccleſiaſtica cum notis dedit, in quarum praefatione vitam Auctoris tradit. Liber hic non tam ob Muſices inſtitutionem, quam ex antiquis deſcripſit, eſt aeſtimabilis, verum quia ei ſubnexum eſt Lectionarium totius anni, cum perpetuo ſuperſcriptis notis Muſicis, ſui temporis, nempe ſaeculi octaui et noni, antequam ſaeculo XI. a Guidone, Abbate Monaſterii S. Crucis Auellani, prope Aretium in Hetruria, ſubſtitutae eſſent notae noſtrates: vt, re mi, fa, ſol, la, vel litterae A. B. etc. Sunt notae iſtae mirabiles, quas hactenus nemo, neque vllus mihi ſcriptor, explicare potuit. Operam in Bibliotheca Vindobonenſi multam impendi, vt inter rara Manuſcripta latina (quorum Catalogum ipſe deſcripſi, ſatis magnum,) quid-*

menſis, in lucem prolatus eſt *Bremae a. 1719. 8.* eumque ipſe poſſeſſor confecit, qui obiit a. 1721. aetatis 82. Parum recte igitur eum iam hoc tempore, quo venales expoſuit libros ſuos, mortuum dicunt *die Leipz. gel. Zeit. a. 1719. p. 582.* MSta hic memorata occurrunt etiam in *Catalogo p. 947. ſq.*

*) Ille ex Bibliotheca Maſtrichtiana peruenit in Bünemanni manus, qui vendidit eundem b. Valent. Erneſto Loeſchero, poſt cuius

quidquam de hisce inuenirem; inueni ſimiles, verum nullam earum explicationem. Potuit quoque hic liber iuuare inquiſitionem Lectionarii veteris Eccleſiae, item anni Eccleſiaſtici. Vtrumque ſcis, quam difficilis ſit indaginis. Rogaui Reu. Abbatem D. Schmidt, cum de Lectoribus veteris Eccleſiae ſcriberet, vt operam ſuam in id impenderet, quia facit ad materiam Lectorum. Verum ille nimium occupatus eſt in Academicis, quare Labores de Lectoribus nondum continuauit. Eſt mihi quoque Manuſcriptum exemplar Martini Poloni in membranis nitidiſſime ſcriptum, vt coniicio, tempore auctoris, aut paullo poſt eius obitum, in eo hiſtoria Ioannis VIII. Papae vel Papiſſae affabre deſcripta eſt. Nitidius aut antiquius exemplar non ſupereſſe credo, edet forte Polonum D. Eccardus, qui ad nouam editionem aliquot Manuſcripta ſibi comparauit, meo tum quoque vtetur. Eſt ille cum Illuſtri Leibnitzio, vti vidi, nunc totus in hiſtoria Brunſuicenſi et Luneburgenſi occupatus, quam Sereniſſimus Elector Hanoueranus vrget, vt in lucem prodeat. Huic meo Codici adhaerent geſta Chriſti ex actis Pilati a Theodoſio Imp. inuenta; Gualterius, neſcio quis, de remedio amoris et alia, de quibus forte alias. Nunc terminum loquaci calamo figo, veniam dabis prolixae Epiſtolae, ſi tibi moroſa eſt, promptum tamen ad officia Tibi praeſtanda animum demonſtrabit. Bene vale, Lyceo, Reipub. litterariae et mihi ſoſpes diu. Scripſi Bremae Cauchorum prid. Cal. Nou. cIɔ Iɔccv. Haec Maſtrichtius, quae tamen hinc inde exprimi clarius debuiſſent. Inter Bremenſis Bibliothecae MSta, ab eo haud nominata, ſunt etiam *Commentarius Graecus ineditus in Sophoclem;* tria volumina ex ſaeculo XIII. ac XIV. plena rhythmis Germaniae Phonaſcorum, quos vulgo *Meiſter-Saenger* vocant, et alia. Acceſſerunt circa a. 1718. Ioh. Cocceii, Theologi celeberrimi, ſcripta

cuius obitum tranſlatus eſt in Bibliothecam Wolfianam, quae nunc, vt inter omnes conſtat, cum Hamburgenſium publica coniuncta floret.

ſcripta propria, fere omnia. Vid. *Biblioth. Bremenſis hiſtor. philol. theologica, claſſ. II. faſc. 2. p. 374.* Ipſorum Operum maiorum, eorumque typis excuſorum, tanta adeſt copia, vt pauca fruſtra quaerantur. Omnia hic Lunigii et Londorpii, Bibliotheca Patrum, Scriptores Byzantini, Acta Sanctorum, Biblia Polyglotta Anglicana, Theſaurus Antiquit. et Hiſtoriarum Italiae, Theſaurus Antiquitatum Graecarum ac Romanarum Gronouii, Graeuii et Sallengrii, Mabillonii et Montfauconii ſcripta, Chryſoſtomi, Auguſtini et aliorum Patrum editiones Benedictinorum praeſtantiſſimae, plurimae Collectiones rerum Germanicarum, caet. Debemus hanc notitiam humanitati Ioh. Phil. Caſſelii, Profeſſoris de Gymnaſio Bremenſium meritiſſimi, qui et hoc addit, nouiſſime comparatos fuiſſe Pedruſi et Pioueni integros Tomos IX. Operis numiſmatici rariſſimi, *i Ceſari in oro et in argento* inſcripti. Iure igitur Bibliothecam illam ſatis inſtructam dicit illuſtris HOLBERGIVS in *Opuſc. Latinis, Epiſt. I. p. m. 195.* at quum omnes fere libros in folio eſſe ſubiungit, neſcio ſane, an id ipſum verti vitio debeat. Minores enim libri, ſi a rarioribus diſceſſeris, in cunctis eruditorum Bibliothecis occurrunt, non item Opera multorum voluminum, ad quae emenda pauci marſupio, vt ille ait, bene nummato gaudent. Inter priuatas Bremenſium Bibliothecas hodie laudantur prae caeteris *Ottoniana*, *Ikeniana* et *Nonniana*.

In ciuitate *Brunſuicenſi* duae olim fuerunt Bibliothecae, altera in *Templo Aegidiano*, altera in aede *S. Blaſio* conſecrata, de cuius poſterioris Codicibus manu exaratis vid. PHIL. IVLII RETHMEYERI *Antiqu. eccleſ. vrbis Brunſuigae, in Documentis ad P. I. p. 78. ſq.* Sed vtraque, Auguſti Ducis Brunſuicenſis aetate, in Guelpherbytanam fuit deducta, vt infra docebitur. Supereſt tamen alia, quae ad *S. Martini*

Templum pertinet, ibidemque olim exſtitit, poſtea vero in *Templi Fratrum* conclaue quoddam, quod Colloquium Miniſterii vocant, tranſlata eſt. Auctor huius ſupellectilis librariae perhibetur Mart. Chemnitius, Superintendens, qui circa annum 1570. effecit cura ſua, vt Miniſterii commodo libri coemerentur. Incrementa deinceps inſignia cepit liberalitate variorum. Cum primis de illa praeclare promeritus eſt Rudolphus Auguſtus, Dux, quandoquidem duas ei Bibliothecas, maximam partem vtiliſſimas, Georgii ſcilicet Haccii, Sacerdotis Hamburgenſis, et Caſp. Cruſii, Oratoris in aula Guelpherbytana eccleſiaſtici, clementiſſime donauit. RETHMEYER *l. c. P. I. p. 186. ſq.* Bibliotheca *Collegii Carolini* ex parte Ducalis Blanckenburgenſis orta eſt, et ſelectis Operibus excellit, nec dubitandum, quin augeatur quotannis, et ornatior reddatur. De Bibliotheca *Gymnaſii Catharinei* breue *Progr.* vir doctiſſimus, IOH. ANDR. FABRICIVS, *Brunſuigae* edidit *a. 1744. in 4.* Auct. illius eſt Chriſtian. Papenius, Rector, cuius Bibliothecam a. 1684. legati iure accepit Gymnaſium. Omnis haec libraria penus nec adeo numeroſa eſt quidem, nec pretioſa, inſunt tamen ei libri, qui non parui pendi ſolent ab eruditis. In Palatio etiam Ducali, *der graue Hof* dicto, ſereniſſima Auguſti Guilielmi vidua, Eliſabetha Sophia Maria, elegantiſſimam habet Bibliothecam, ſtupendoque Bibliorum adparatu inſtructiſſimam. Conſpiciuntur enim mille propemodum diuerſae editiones, partimque in rariſſimarum numero reponendae. Huius *Collectionis* incomparabilis *Hiſtoria Hanouerae a. 1749. in 8.* Germanico ſermone prodiit, quam excepit mox continuatio. Sequuta eſt *Brunſuigae in 4. a. 1752.* ipſa *Bibliotheca Biblica.* Neque praetermitti Autographa Lutheri debent, quorum tantus numerus nuſquam forte inuenietur. Cf. *die Götting. gel. Zeit. a. 1752. p. 99. ſq.*

vbi

vbi merito celebratur tantae Principis in rem ſacram et litterariam amor.

Budiſſini Gymnaſii, in Luſatia ſuperiori, Bibliotheca natales ſuos refert ad Gregorium Mattigium, Medicinae Doctorem, quippe qui Bibliothecam ſuam, praeſertim medicam, et praeterea triginta Ioachimicos annuos ad eam ſupplendam, legauit. Hoc igitur conſilio a. 1675. emta eſt Bibliotheca Ioh. Roſae, Syndici Vratislauienſis. Poſt ea tempora raris libris ac pretioſis, theologici maxime hiſtoricique argumenti, admodum fuit amplificata. Vid. omnino *Noua litteraria Germaniae a. 1703. p. 254.* quo loco IOH. ROSENBERGII, Rectoris, *Progr.* recenſetur *de Bibliothecis, ſpeciatim Budiſſina*, editum *Budiſſae a. 1703. in f.*

§. V.

Sereniſſimus Haſſiae Landgrauius *Caſſellis* Bibliothecam poſſidet a Maioribus glorioſae memoriae coeptam. Quo tempore id factum ſit, non reſciuimus. Inter rariora numeratur manu ſcriptus *Thucididis* Codex, venerandae antiquitatis, cuius orae multa ſcholia, editis copioſiora, adiecta ſunt, ſed quae frequenti detrita vſu legi amplius non poſſunt. Eſt formae maximae, at quadratae magis, quam oblongae, inque charta bombycina, iudice CAROLO ANDR. DVKERO in *Praef. ad Thucididem*, adeo denſa, vt vno alteroue loco aduerſae paginae verſus aliquot ſcalpello exſciſſi ſint, illaeſis omnibus in auerſa litteris, anno Chriſti 1252. eleganter exaratus, quemadmodum id in calce Operis diſerte legitur manu vetuſta et minio adnotatum. Vid. *Theſaurus epiſtolicus La Crozianus, T. I. p. 128.* et *Acta Erud. Lat. a. 1732. p. 3.* Pertinent huc porro Codex *Bibliorum Ebraicorum* membranaceus et antiquiſſimus, at maculatus paſſim corruptusque, cuius formam, aetatem, indolemque, variis adiectis obſeruationibus litterariis,

riis, expoſuit IOH. GE. SCHIEDIVS in *Obſeruat. ſacrar. Biga, Bremae a. 1748. in 8*; Codex aliquis *litteris Cuficis*, aliusque *litteris Mauritanis* ſcriptus; Codex *Hegeſippi*, Abbreuiatoris, vt vocatur, Flauii Ioſephi, Hiſtorici Iudaici; *Catecheſis veteris linguae Theotiſcae*, Codex perantiquus, quem olim deſcripſit Hottingerus, ac poſtea repetiit, ediditque *Hanouerae a. 1713. in 8.* IOH. GE. ECCARDVS; *Ciceronis*, vel potius liberti eius, *Tironis*, *Notae*, a Grutero quidem diuulgatae, ſed quae ex Caſſellano MSto multis in locis augeri poſſent adhuc et emendari; Varii Codices *Arabici*, *Perſici ac Turcici*, memorante haec omnia clariſſimo SCHIEDIO *l. c. p. 23*; Codex membranaceus, *Eginhartum de vita et geſtis Caroli M.* continens, cuius meminit IOH. HERM. SCHMINCKIVS in *Praefat.* editioni ſuae *praemiſſa*; Opus manu ſcriptum in f. *ad Alchymiam* referendum, pulcherrimisque illuſtratum picturis, quod habuit olim Rudolphus II. Imp. Rom. rerum chymicarum amantiſſimus: quum tamen idem exemplar inueniatur etiam in Bibliotheca quadam Oxonienſium, incertum adhuc eſt, quodnam autographum ſit, vid. Celeberrimus vir, IOH. ARCKENHOLTZ, *dans les Memoires concernant Chriſtine, Reine de Suede, T. II. p. 64. in notis*: *Petri de Vineis Epiſtolae*, aetate circiter Auctoris deſcriptae, ex quo Codice non emendare tantum, ſed etiam centum et pluribus Epiſtolis augere liceret editionem Schardianam, quod referunt *die Leipz. gel. Zeit. a. 1724. pag. 850*; Quatuor ingentis molis Tomi in f. qui *litteras et Opuſcula politica Ioh. Ioach.* a *Rusdorff* complectuntur, magnique ſunt momenti. Ignoraſſe eos videtur perilluſtris a Loen, quum ſummi huius viri *Conſilia politica*, *epiſtolasque familiares*, *Francof. a. 1725.* ederet; alias enim ditiorem exhibere potuiſſet rerum publicarum collectionem. Peruenerunt autem in Bibliohecam Caſſellanam ſchedae illae cum plurimis aliis MStis,

MStis, librisque typis impreſſis, legati iure ex hereditate Caroli, Electoris Palatini, et Charlottae, Principis Haſſiacae, filii, qui rebus humanis ereptus eſt a. 1685. ARCKENHOLTZ *l. c. Tom. I. p. 15. in not.* Cf. ANCILLON *Memoires de pluſieurs celebres dans la Republique des lettres p. 441.* Ibidem conſpici libros varios, *manibus puellarum, Deo dicatarum, deſcriptos*, refert BERN. HENR. REINOLDVS in *notis ad* MERCERII *Conciliatorem, num. 35. p. 23. edit. Duisb. a. 1712.* Olim adſeruauit etiam haec ipſa Bibliotheca rariſſimum *Mich. Serueti de reſtitutione Chriſtianiſmi* librum, a. 1553. editum, cuius vix vnum hodie inueniri exemplar poterit; at nunc deſideratur ille, neſcio quo caſu amiſſus, prout monetur in *Catalogo Bibliothecae Schoenbergianae, Amſt. 1743. 8. T. II. p. 587.* Add. Venerabilis MOSHEMII *anderweitiger Verſuch einer Ketzer-Geſchichte, lib. III. pag. 343. ſq.* Bibliothecarius eſt hoc tempore laudatus ſupra Arckenholtzius, ſucceſſor praeſtantiſſimi Hiſtorici, Ioh. Herm. Schminckii, ex Academia Marburgenſi ad ornandam hanc ſpartam euocati, qui a. 1743. vitam cum morte commutauit. Dum haec prelo ſubiicienda ſunt, offertur nobis ZACH. CONR. ab VFFENBACH Tomus I. *ſeiner merckwürd. Reiſen*, anno praeſenti luci expoſitus *in 8. mai.* vbi *p. 53. ſq.* quaedam de Bibliotheca Caſſellana, eiusque Codicibus MStis, leguntur. Auctor a. 1709. quatuor circiter voluminum millia in ea tantum ſe vidiſſe ſcribit; ſed poſtea eandem inſigniter fuiſſe locupletatam, certum eſt. Cimeliarchium etiam, in quod multum curae impenditur, illuſtre ſatis eſt, atque refertiſſimum.

Cellis, in Ducatu Luneburgico, *ſuprema Prouocationum Curia* librorum iuridicorum ſupellectile haud contemnenda inſtructa eſt. Mirifice haec augebitur aliquando, ſi, quam illuſtri huic Areopago conſecrauit Chriſtian. Vlric. Grupenius, Conſul Hanoueranus longe doctiſſimus, Bibliotheca

accesserit, egregiis selectisque libris conspicua. Nec reuerendum *Ciuitatis Ministerium* litterario destitutum est adparatu. Primus eius auctor fuit Ernestus, Dux Luneburgensis, Guilielmi iunioris filius, qui multos donauit libros, nomine eius insignitos. Idem quadringentos ad augendam illam Imperiales legauit. Videtur etiam Oudermarkius, sacrorum Cellensium antistes, omnes, quos sibi acquisiuerat, libros adiecisse. Bockelmannus deinceps, Archidiaconus, bellam ecclesiasticarum Constitutionum Collectionem cum prato septingentorum Imperialium, vt reddi quotannis locupletior posset Bibliotheca, in vltimae voluntatis tabulis eidem reliquit. Quo incitatus exemplo Bohnstedius, Bockelmanni successor, a. 1707. itidem legauit mille Imperiales. Olim adseruata est haec Bibliotheca in Templi oppidani Sacrario: nunc autem exstat in Archidiaconi aedibus, a. 1736. exstructis. BERNH. HENR. COBERGIVS, Archidiaconus Cellensis, *ibidem a. 1750. in 8.* edidit *Repositorium I. dictae Bibliothecae*, quod Opusculum quingentos et quadraginta libros theologicos recenset. Vid. *Leipz. gel. Zeitungen a. 1751. p. 52.* Priuatorum Bibliothecae ibidem non paucae reperiuntur. Praestantissima est illa, quam illustrissimus vir, Rudolph. Ioh. L. B. a Wrisberg, Minister Status intimus, et supremi Tribunalis Praeses, comparauit. *Bunauiana*, vtilissimis rarissimisque in iurisprudentia elegantiori subsidiis eminens, nunc Wetzlariam demigrabit. Possidet illam perillustris vir, Guntherus a Bunau, eiusdem summi Collegii Consiliarius olim, iam splendidissimus Camerae Imperialis Adsessor, Maecenas Litterarum exoptatissimus.

Chemnitium, oppidum Misniae, Bibliothecam habet, bonis eruditorum scriptis admodum refertam. Variorum liberalitate ita excreuit hoc saeculo, vt locus in Templo S. Iacobi, vbi monstrari solet, ante

tria,

tria, et quod excedit, lustra dilatandus esset. *Historische Nachricht von der Stadt Chemnitz, a. 1734. in 8. p. 218.* Add. DANIELIS MÜLLERI *Progr.* vnius plagulae *de Bibliotheca Chemnicensi, Chemnitii a. 1709. f.* aliudque eiusdem de *Georg. Engelmanno, et libris ex eius legato Biblioth. Chemnicensi acquisitis. ibid. 1733. f.*

Ducalem, quae olim *Citzae* erat, Bibliothecam condidit Mauritius, Dux Saxoniae, et lineae Cizensis parens. Fundamentum suppeditarunt libri a Iulio Pflugio relicti, quos inter volumen Epistolarum erat, vel ipsius manu, vel ad ipsum scriptarum. Insignia deinceps incrementa cepit, neque Mauritius Guilielmus, Princeps doctissimus, pro intimo suo in studiorum arcana adfectu, quidquam intermisit, quod ad Bibliothecam hanc ornandam conduceret. At post mortem illius, quae in annum huius saeculi decimum et octauum incidit, diuenditus est egregius adparatus, partimque Bibliothecae Dresdensi Regiae accessit. Cf. HEVMANNI *Conspect. Rei publ. litter. cap. IV. §. 61. p. 187. edit. nouiss.* et GOETZIVS in *Dedicatione Tomi I. der Merckwürdigkeiten in der Königl. Bibl. zu Dresden.* Hodie in hac ciuitate adseruatur adhuc Bibliotheca *Canonicorum*, in quam pars maxima supellectilis Reinesianae, ope Viti Ludouici a Seckendorf, translata est. Varia inter hos libros MSta fuerunt, quorum praecipua exstant apud TENTZELIVM in *der curieusen Biblioth. Reposit. I. p. 448.* Pleniorem tamen Catalogum beneficio Godofredi Gleitsmanni, Bibliothecarii, Scholaeque Cizensis Rectoris, accepit olim Struuius. En! igitur eundem: *Liber Euangeliorum; Isaaci Tzetzae Scholia in Lycophrona; Iamblichi Chalcidensis* λόγοι περὶ τῆς πυθαγορικῆς αἱρεσέως; *Eiusdem* περὶ τῆς κοινῆς μαθηματικῆς εἰσαγωγῆς; *Eiusdem* περὶ τῆς Νικομάχου ἀριθμητικῆς εἰσαγωγῆς, ad quem Codicem complura notauit Reinesius, atque testatus est, se nactum eundem esse ex priuata quadam Ienensium

Bibliotheca. Adſunt praeterea *Georgii Pachymeris Opera philoſophica*; *Theodori Metochitae Capita philoſophica, hiſtorica, critica, oratoria*; *Themiſtius in analytica poſteriora*; *Philoponi exegeſis in primum librum introductionis arithmeticae Nicomachi Geraſeni*; *Commentaria Olympiodori in Platonis Alcibiadem, Phaedonem et Philebum*; *Eiusdem Scholia in Georgiam Platonis*; *Chronicon Georgii Syncelli et Logothetae*; *Claudii Ptolemaei libri III. de Muſica ſeu Harmonicorum*; *Claudii Aeliani Tactica*; *B. Maximus de anima*; *Iulii Africani* κεστὸς; παρεκβολαὶ ἐκ τῶν στρατηγικῶν παρατάξεων; (Cf. *Lexic. Eruditor. Ioecherian. T. II. p. 1550. v. Hero*) *Nicephorus* περὶ κατασάσεως ἀπλήκτου; *Ge. Pachymeris Scholia in Dionyſium Areopagitam*: omnia MSta Graeca, quae variis obſeruationibus ſua manu illuſtrauit Reineſius. Alia Opera, praeſertim Chronica, tacemus. MStis aequiparari poſſunt Suidas, et Panciroli Notitia Imperii, Philoſtratus item, quibus eximias, easdemque copioſiſſimas, notas adiecit laudatus Reineſius, quod etiam de variis eius lectionibus, *Altenb. a. 1640. in 4.* editis, iamque rarioribus, et Nouo Teſtamento Bezae, dicendum. Add. de hac Bibliotheca CHRIST. IVNCKERI *Diſcours von den in den Chur- und Fürſtlich-Sächſiſchen Landen befindlichen öffentlichen Bibliothequen p. 21.* qui libellus adiectus eſt eiusdem *hiſtoriſchen Nachricht von der öffentlichen Bibliotheque des Fürſtl. Gymnaſii zu Eiſenach.*

Coburgi variae notari debent Bibliothecae. Primum occurrit Ducalis *Caſimiriana*, quam Ioh. Caſimirus, Dux Saxoniae, inſtituit ſuperiori aetate, librisque ad rem ſacram potiſſimum ſpectantibus repleuit. In bello tamen tricennali direpta fuit penitus, quum Wallenſteinius vrbem ſpoliaret. Subiungimus Bibliothecam *Gymnaſii Academici*, quae laudatum etiam Principem auctorem habet, et partim aliorum donationibus, partim certo ex reditu, adoleuit. Maxima vero

vero ei acceſſio contigit anno 1699. quo Albertus III. Dux Coburgenſis, ſecundus Erneſti Pii, Ducis Saxo-Gothani, filius, inſignem ſuam Bibliothecam teſtamento legarat Gymnaſio. Multi in ea ſunt libri, qui magnam, picturae cauſſa, admirationem excitant, e. g. *MStum Breuiarium*, mira arte compoſitum, et incredibili induſtria pictum, quod olim aut ad Ferdinandum Catholicum, aut ad Iſabellam pertinuiſſe, inſignia, quibus exornatum eſt, luculenter docent. Neque enim Carolus V. vnquam illo vſus eſt, etſi quidam ita opinati ſunt; item tria magnae molis volumina MSta, quibus *Saxonicae Gentis hiſtoria* pertexitur, et imaginibus illuſtratur. Vid. ERNEST. SALOM. CYPRIANVS *de ornatu librorum, p. 45.* in eius *Selectis Programmatibus Coburgi a. 1708. in 8.* Inde duplex nunc eſt Gymnaſii Bibliotheca. Prior, quam Ioh. Caſimirus condidit, *vetus* dicitur, et Conclaui, in quo conuenire Profeſſores ſolent, illata fuit: altera *Albertinae* nomine diſtinguitur ab illa, ſcriniisque circumſepta in Auditorio Erneſtiniano, et ante hoc ipſum, ſeruatur. Vtriusque libros quosdam recenſet GODOFR. LVDOVICI in *der Ehre des Hochfürſtlich. Caſimiriani Academici, Coburgi a. 1725. 8. P. I. pag. 522. ſq.* Idem, praeter iam memoratas Bibliothecas, *p. 521.* trium publicarum adhuc mentionem iniicit. Prima reperitur in *Cancellaria Ducali*, cui Ioh. Conr. a Scheres, Zieritz dictus, Conſiliarius intimus et Cancellarius, a. 1704. elegantiſſimam ſupellectilem librariam reliquit, et quae ſingulis annis noua capit incrementa. Altera Bibliotheca, in *Templo S. Mauritii* repoſita, vſibus reuerendi Miniſterii dicata eſt, et ante triginta circiter annos liberalitate Schuffneri, Archidiaconi, maiorem ornatum acquiſiuit. Tertiam *Senatus ciuitatis* in Curia habet, quae, omni occaſione oblata, libris praeſtantiſſimis locupletatur.

De

De Bibliotheca *Curienſi*, qua Gymnaſium inſtructum eſt, IOH. CHRISTOPH. LAYRIZ. diſſerit in *Progr. de Sacrario D. Michaelis interiori et Bibliotheca Curienſi. Curiae a. 1691. in 4.* Idem nuper augmentum, vti docent *die Leipz. gel. Zeit. a. 1747. p. 437*, tractauit Clariſſimus vir, PAVL. DAN. LONGOLIVS, in *der Geſchichte des Hofiſchen Gymnaſii, Hof 1747. Partibus II. in 4.* Sed librum hunc in celebrioribus tabernis fruſtra quaeſiuimus.

Cygnea Bibliotheca originem nacta ex Monaſterio Ciſtercienſium Grünhayhenſi, a. 1522. a ciuibus quibusdam deſtructo. Aucta deinceps eſt variorum Bibliothecis, et Stephani quidem Rothii, Rectoris Scholae, tandem ciuitatis Syndici, numeroſa ſupellectile, teſtamento legata; Petri Poachii, Phyſici Cygnei; et, qui Rothii ſucceſſores fuerunt, Ioh. Zechendorfii; Petri Plateani, maximeque Chriſtiani Daumii, opibus litterariis. Quaedam ſimul eidem amplificandae legata inſeruiunt. Numerus librorum omnium triginta circiter millia explet, in quibus multi ſub artis typographicae initium excuſi, parumque obuii, reperiuntur, e. g. *Officia Ciceronis*, per Ioh. Fuſt *a. 1466. in 4.* membranae impreſſa, et *Lactantii Opera, a. 1465, eadem forma* in Monaſterio Sublacenſi edita. Recentiores vero libri manu Lutheri, Eraſmi, Manutiorum, Stephanorum, Scaligerorum, Lipſii, Caſaubonorum, Barthii, Rutgerſii, Reineſii, pluriumque variorum celebrium, ſaepius notati conſpiciuntur. Accedit MStorum, quae magna ex parte rariora ſunt, non mediocris cumulus. Pertinent huc *Ciceronis*, *Ouidii*, *Horatii*, *Lucani*, *Statii*, *Iuuenalis*, *Priſciani* Opera in membrana exarata; alia, *ſermone Germanico compoſita*, miraeque vetuſtatis; ingens itidem *Epiſtolarum*, ab eruditiſſimis viris ſaec. XVI. et XVII. ſcriptarum, Collectio. Vid. DAVID. WINTERI *Progr. de Bibliothecis, laudatiſſimis Maiorum inſtitutis, Cygneae a. 1695. in 4.* TOBIAE

SCHMI-

SCHMIDII *Zwickauische Chronic, P. I. p. 100. sq.* qui liber, nunc inuentu difficilis, prodiit *a. 1656. in 4.* et *Lexicon Vniuersale Zedlerianum, Parte LXIV. p. 1563.* quo loco docetur etiam, hanc ipsam Bibliothecam bella numismatum rerumque naturalium copia ornari. Historiam Bibliothecae tam praeclarae meditatus est quondam Ge. Andr. Vinholdus, prout in *Supplementis Actor. Erud. Tomo V.* a. 1713. diuulgato, *p. 119.* legimus; at non perfecit has lucubrationes, saltim publicam lucem nondum illae adspexerunt. Gratissimum igitur fecerit eruditis Clarissimus IOH. FRID. NOBISIVS, si id suscipere negotii, et Memorabilia Bibliothecae addere voluerit, quorum iam spem excitauit in *Progr. de damno, quod philosophia ex Matheseos studio capit, Cygneae anno 1749. 4.*

§. VI.

Delitii, in Circulo Lipsiensi, a. 1717. publica Bibliotheca condita est, de qua plura legas in IOH. PAVLI STRENGII *Beschreibung der 1717. in Delitsch angelegten öffentlichen Bibliothec, erstes Tausend. Delitsch, a. 1717. in 4.* Ipsum scriptum nec vidimus, nec in Diariis litterariis memorari recordamur; adfertur tamen in *Catalogo Biblioth. Bunauianae, Tomo I. Vol. 1. p. 842.* Pergamus igitur ad

Regiam Bibliothecam, qua *Dresda*, praeter alias res memorabiles, excellit. Eam describere studuerunt ANTON. WECKIVS in *Historia Vrbis Dresdensis, p. 41.* quod Opus nunc rarum *Norimb. a. 1680. in f.* prodiit Germanice, itemque AVGVST. BEYERVS in *Sched. de Bibliothecis Dresdensibus, tum publicis, tum priuatis, Dresdae a. 1731. in 4.* His adiungendus nunc merito est IOH. CHRISTIAN. GOETZIVS, qui in *Dedicatione, Tomo I. der Merckwürdigk. der Königl. Biblioth. zu Dresden*, praemissa, de origine et incrementis huius Bibliothecae fide dignissima exhibet. Ea ab Augusto, Principe

Electore,

Electore, primum inſtituta, fundamento poſito a. 1588. Bibliothecâ Dieterici a Werthern, eiusque filiorum, libris ſub incunabula typographiae editis, et praeſtantioribus voluminibus, quibus vſus fuerat Georg. Fabricius, inſtructiſſima. Cf. IOH. DAV. SCHREBERI *Vita Fabricii Lipſ. 1717. 8.* paſſim. Paullo ante obitum Ioh. Georgii I. acceſſit Friderici et Chriſtiani Taubmannorum, Profeſſorum Vitembergenſium, ſupellex libraria; ab eo autem tempore, vsque ad praeſentis aetatis initium, parum de augendis hisce theſauris ſolliciti fuerunt praefecti Bibliothecae. Nihil eidem illatum fere, ſi exceperis libros, quos, ob ſtipendium ad continuanda Eruditorum Acta ſingulis annis ab aula praeſtitum, tranſmiſit Otto Menckenius. Auguſti demum II, Poloniarum Regis, imperio melior huic omnis doctrinae liberalis receptaculo fortuna adfulſit. Partim enim ex Ducali Cizenſi omnia maximi momenti Opera, quae adhuc in Regia Bibliotheca deſiderabantur, redemta, vt ſupra obſeruauimus, partim, eodem titulo, Iohannis a Beſſer adiunctus adparatus eſt, libris raris, et caerimonias Principum potiſſimum illuſtrantibus, abundans. Fuerunt quindecim circiter millia voluminum, pro quibus Rex immortalis memoriae a. 1727. decem Imperialium ſoluit millia, permittens quoque, vt poſſeſſor per reliquum vitae tempus iisdem in domicilio ſuo vteretur. Cf. omnino perilluſtris a LOEN, Germaniae noſtrae Seneca, *Parte I. der geſammleten kleinen Schriften, p. 256. ſq.* Auguſtus denique III., Poloniam adhuc Saxoniamque gubernans, omnes Scriptores comparauit, ad res regni ſui Pruſſiaeque pertinentes, quos Elbingae habebat Dauid Braunius, quorumque ipſe Catalogum *Coloniae a. 1723. in 4.* diuulgauit, adiecta de plurimis notitia litteraria. Nec pauca in Bibliothecam hanc peruenerunt ſtudio Ioh. Chriſtiani Goetzii, Bibliothecarii ſuperioris, quippe qui,

qui, confecto per exteras regiones, Italiam cum primis, itinere, Dresdam onuſtus rediit ſelectiſſimis Codicibus, excuſis pariter ac manu exaratis. Inter cimelia Bibliothecae numeratur Codex membranaceus *Bibliorum Ebraicorum*, cum tranſlatione Chaldaica et Maſora, antiquus profecto, et, ex Anton. Weckii ſententia, inter praecipuos Europae Codices referendus, cui tamen contradicit GOETZIVS in *citato Tomo I. p. 11.* vbi et plura de hoc Opere, maxime ex IOH. GOTTLOB CARPZOVII *Critica ſacra P. I. p. 382,* differit. Deinde memorari debent varii Auctores Romani, manu ſcripti itidem, v. g. *Catullus, Tibullus, Propertius; Virgilius; Lucanus; Horatius; Ciceronis Epiſtolae ad familiares*, ex Bibliotheca Matthiae Coruini, Hungariae Regis; *eiusdem alia Opuſcula*; *Ouidii Metamorphoſis; Curtius de Alex. Magno*; *Seneca Tragicus*; qui Codices membranacei ſunt, multis eorum auro, ac diuerſis coloribus, exornatis. Adſunt etiam *Quatuor Euangelia Graece*; ſtupenda *Collectio tabularum Geographicarum*, cum delineationibus vrbium et imaginibus Principum illuſtriumque virorum, vndeuiginti Tomis, tot fere Imperialium millibus, vt nonnulli adfirmant, ab Auguſto II. in Belgio redemta; *Alcoranus*, lingua Arabica, incredibilem prae ſe pulchritudinem ferens; *Ioh. Ge. Maximil. a Fürſtenhoff Ichnographia Vrbium, in tota Europa munitarum*, tribus maximae formae Tomis, luculentis ſummae diligentiae, regiique ſplendoris teſtibus; *Ioh. Iac. Fuggeri* MStum pretioſiſſimum, et innumeris picturis inſigne, quod *hiſtoriam* exponit *Auſtriacam* a prima potentiſſimae Gentis origine, vsque ad Ferdinandi I. aetatem, et Sigiſmundi a Bircken editionem, *Spiegel der Ehren des Erzhauſes Oeſterreich* inſcriptam, cum primis in Heraldica, longo poſt ſe interuallo relinquit. Cf. BRVCKERI *Miſcellan. hiſt. philoſ. litt. et crit. pag. 397.* Opus hoc, regali charta magnificum, duo grandioris ſtatu-

ſtaturae volumina conficit, et olim Mauritio Guilielmo, Duci Saxo-Cizenſi, aliquot mille Imperialibus ſtetit, praeter ſtipendium annuum, poſſeſſori conceſſum. De maximo pretio perantiqui *poematis MSti in Caroli M. expeditionem Hiſpanicam*, vid. *der Neue Büchersaal der ſchönen Wiſſenſchaften, Vol. IV. p. 387. ſq.* cuius eruditae Commentationis auctor eſt ampliſſimus GOTTSCHEDIVS. Tacemus complura *Lutheri* noſtri, *Melanchthonis*, et aliorum *autographa* rariora, item infinitam librorum, primo artis typographicae ſaeculo excuſorum, multitudinem. Noſtri enim inſtituti ratio non permittit, vt nimium longi ſimus in huiusmodi rebus, quas GOETZIVS diligenter enarrat, et obſeruationibus illuſtrat litterariis. Eius *Memorabilia Bibliothecae Regiae Dreſdenſis* Germanice prodierunt *Dreſdae a. 1743. ſq. in 4.* et *octodecim Collectiones*, tribus voluminibus modicis, complectuntur. Plura perficere non licuit Auctori, viuis nimirum erepto a. 1749. Cf. *die Leipz. gel. Zeit. ad h. a. pag. 550. ſq.* Optandum igitur, vt alius vir doctus perſequatur incepta, et reliquos tam eximiae Bibliothecae theſauros, communi Muſarum bono, peruulget. Occupat illa tria conclauia ampliſſima, quae nunc magis magisque exornantur, vt exterior etiam elegantia iucundum oculis ſpectaculum praebeat. Bibliothecarii recenſentur in Epiſtola, AVG. BEYERI *Continuat. I. de Arcanis ſacris Bibliothecarum Dreſdenſium, Dreſdae 1738. in 8.*, praefixa. Iam poſt Goetzii obitum honorifico hoc munere fungitur ampliſſimus Kauderbachius, Regi a conſiliis bellicis, cui ſubiuncti fuerunt viri clariſſimi, Sigiſmundus Gottlieb Sebiſchius, nuper in ſumma ſenectute mortuus, et Henr. Ionath. Clodius. Praeterea Muſeo rerum naturalium et arte factarum, Nummophylacio item, Dreſdenſis aula ſuperbit, quae ſane cimelia in ſummam omnes admirationem traducunt.

Poſt

Poſt Regiam, publica *Scholae Crucianae* Bibliotheca notari debet. Ea primum integra exſtitit in eiusdem nominis Templo: anno autem 1671. diuiſio librorum placuit, theologicis Miniſterio ad aedem hanc ſacram relictis, philoſophicis contra et philologicis in ipſum tranſlatis Lyceum. Creuit ibidem non nullorum liberalitate, a Rectore quondam, Gelenio, mirifice excitata, cum primis legato Dauid. Thiemii, in Conſiſtorio eccleſiaſtico Secretarii, iamque librorum vtiliſſimorum numerus tria circiter voluminum millia complet. Praeter *Metamorphoſes Ouidianas*, membranaceum ſaec. XII. vel XIII, ſed notae non optimae, Codicem, habet non nulla Opera rariora, quae antiquitatum typographicarum amatores magni facere ſolent, e. g. *Iulium Caeſarem* de bello Gallico, ſine loci ac typographi mentione a. 1473. et *Salluſtium* de bello Iugurthino, craſſioribus litteris excuſum. Vid. AVG. BEYERVS *de Biblioth. Dreſdenſibus p. 6. ſq.* et CHRISTIAN. SCHOETTGENIVS in *Progr. Dreſdae a. 1743. in 4.* edito, quod adcuratam huius Bibliothecae notitiam ſuppeditat. Ad priuatas quod attinet Bibliothecas, illuſtres hoc ſaeculo Dreſdae fuerunt *Flemmingiana*, immenſo monumentorum, ad Hiſtoriam Polonicam et Hungaricam ſpectantium, theſauro inſtructa, quae poſt obitum viri maximi in Sarmatiam deportata eſt; *Wackerbarthiana*, Operibus mathematicis, in Architectura praeſertim militari, ſplendidiſſima, ſed anno 1728. triſti abſumta incendio; *Gleichiana*, in theologicis et hiſtoricis maxime conſpicua, mirifica etiam Epiſtolarum ineditarum copia, et MStis haud vulgaribus inſignis; *Engelſchalliana*; *Marpergeriana*; *Loeſcheriana*, cuius Bibliothecae *Catalogus*, quadraginta librorum et variorum opuſculorum excedens millia, *Partibus III. in 8. Dreſdae* prodiit *a. 1750. et 1751.* Sequutus eſt *a. 1752. Index Numiſmatum antiquorum Graecorum et Romanorum*, nec

non Bracteatorum ac Solidorum, ex medio aeuo, ibidem in 8. Hodie illuſtriſſimi Comitis a *Brühl*, primi Status Miniſtri, Bibliotheca, cuius Catalogum *Cap. I.* laudauimus, librorum numero, raritate ac ſplendore oculos paſcit. Nec ad proletarias reiicienda eſt *Woogiana*, multo ſtudio iudicioque a reuerendo poſſeſſore collecta. Cf. BEYER *l. c. p. 8. ſq.* Addimus Dreſdenſibus Bibliothecam *Bunauianam*, qua Netnitium, praedium vrbi pulcherrimae vicinum, ante aliquot annos inclaruit. Auctor illius eſt vir dignitate et doctrina eminentiſſimus, Henricus Comes a Bünau, Auguſtiſſimo Imperatori Romano a conſiliis intimis, et Iſenacenſi Ducatui praefectus, qui tantis impenſis libros ex omni diſciplinarum genere, Iure publico ſpeciatim et Hiſtoria, congeſſit, vt vel hac ſola de cauſſa aeternum eſſe in annalibus litterariis nomen eius debeat. Praeter copioſa ſubſidia ex Menckeniana olim, et aliis nobilioribus Bibliothecis, Bunauianae inde a ſex luſtris illata, Engeliana etiam ſupellex anno 1744. acceſſit integra, vt *Cap. III. §. 26. art. 3.* huius libri diximus. De *Hugonis Grotii Epiſtolis*, maximam partem nondum editis, quae in Bunauiana exſtant, vid. Celeb. IOECHERI *Gelehrten-Lexicon Tomo II. p. 1207.* *Deductionum* in cauſſis illuſtribus ſcriptarum octo millia ibidem ſeruari, teſtatur ampliſſimus BVDERVS in *Praef. ad* STOLLII *Hiſtor. Iurisprud. litterar. p. 13.* *Catalogum tantae Bibliothecae*, cuius ſpecimen *Lipſ. a. 1748. in 4.* praemiſſum fuerat, nunc, opera clariſſimi FRANCKII, Bibliothecarii, prodire in lucem, iamque tria formae quadripartitae Volumina excuſa nuper eſſe, annunciatum eſt *Capite I. §. 23.* Plura deſideranti ſatisfaciet *Praefatio Editoris*, in Volumine primo obuia.

Bibliothecae publicae in *Duisburgenſi* Academia, et Bibliothecae Goorianae, Academiae vſibus dedicatae, Catalogus diuulgatus eſt *Duisburgi a. 1685. in f.*

auctore GERHARDO von MASTRICHT, ICto tunc temporis et Historiarum Professore ibidem. Illius autem originem et incrementa rescire non contigit. Culpam huius rei noli, Lector, in me coniicere. Iam pridem scripsi ad quendam Professorem Duisburgensem, eumque, vt necessaria mecum subsidia communicaret, modeste rogaui. Sed spes decepit agricolam. Forte hoc solo excusandus est vir, ni fallor, humanus officiosusque, quod eius ad litteras meas responsio, via deterrima huc et illuc cursans, in impias latronum manus inciderit. Caeterum fuisse olim in hac Bibliotheca Serueti restitutionem Christianismi, librum longe rarissimum; at nunc quidem desiderari, monet illustris MOSHEMIVS in *dem anderweitigen Versuch der Ketzer-Geschichte, p. 344.*

§. VII.

Emdensis Bibliothecae Memorabilia, ab EILH. FOLCARTHO HARKENROTHIO litteris consignata, legimus in *Biblioth. hist. philol. theologica Bremensi, Classe VII. Fasc. 2. p. 310. sq.* Prima eiusdem fundamenta posuit Gerh. Campius, omnes libros suos per testamentum legans Consistorio Emdensi. At in terribili inundatione, a. 1570. facta, plures ex illa Bibliotheca libri corrupti sunt deperditique in aedibus Ioh. Mortaigne, Sacerdotis, vbi tunc temporis adseruabantur. Hinc sub dicti anni finem reliquiae in Consistorium sunt delatae, auctaeque deinceps liberali donatione Bibliothecarum, quas Albert. Hardenbergius, Pastor Emdanus, Petr. Medmannus, Consul Coloniensis, et Focco Crumminga, Syndicus Emdanus, comparauerant. Adiecit Senatus Friderici Salmuthii, Pastoris itidem Emdani, supellectilem librariam, a defuncti vidua certo pretio coemtam. Inter libros typis excusos quidam reperiuntur ex Bibliotheca Erasmi, Roterodamensis: inter manu scriptos autem excellit

Psalterium Dauidis cum Liturgia ecclesiastica, nitide in membranis formae quadripartitae aureis diuersique coloris litteris initialibus Latine exaratum, et non ob pulchritudinem tantum, sed quingentorum etiam annorum aetatem, nec non, quod Margaretha de Neuers, Regina Hierosolymae ac Siciliae, illud olim possedit, maxime aestimandum.

Erfurti quatuor exstant Bibliothecae publicae, quarum praecipua est *Academica*, et duplex quidem, altera ad Pontificios, altera ad Euangelicos pertinente. Illa varia MSta possidet, sed quae olim obscuro loco sine ordine disiecta potius, quam disposita, et puluerulento situ negligentius habita fuerunt: editorum etiam librorum nec numerus, nec ordo, nec delectus eandem commendauit. Accipe, Lector, huius rei caussam: Orto scilicet a. 1510. inter ciues ac studiosos tumultu, Bibliotheca antiqua, medio circiter saeculo XV. condita, distracta misere et corrupta est. Paucae particulae, velut e naufragio ereptae, diu tenebris sepultae iacuerunt, donec a. 1692. Ge. Christoph. Petri ab Hartenfels, Medicinae Professor, et Rector tunc Academiae, diligenter eas conquireret, nouaeque adeo Bibliothecae faceret initium. Addidit ex suo adparatu libros, et, vt hoc quisque exemplum sequeretur, Professores caeteros instigauit. Vid. MOTSCHMANNI *Erfordia litterata, Collect. IV. p. 480. et p. 520. sq.* Patet ergo, non statim eam praeclaris cumulare incrementis licuisse. Postquam vero Bibliotheca Boineburgica accessit, tantis Academica diuitiis litterariis aucta est, vt nunc egregiam illius formam atque conditionem iure optimo praedicare Erfurtenses possint. Debent hoc decus Phil. Guilielmo Comiti a Boineburg, Ciuitatis ac totius territorii Proprincipi, qui anno 1717. eo legauit parentis, Ioh. Christiani L. B. a Boineburg, supellectilem, libris praestantissimis, quibus possessor plerumque perdoctas adscri-

adſcripſit obſeruationes, mirifice adornatam. Donauit etiam tria Florenorum millia, vt et amplificetur Bibliotheca quotannis, et praefectus illi aliquos inde laboris fructus percipiat. Locus eidem, Lotharii Franciſci, Electoris Moguntini, munificentia eleganter paratus, a. 1723. adſignatus eſt in ſic dicta *Schola Iuris.* Medicorum poſtea Ordini bene proſpexit Ioh. Carolus Moeller, Medicinae Licentiatus, relictis teſtamento aliquot librorum optimorum centuriis, qui nunc Boineburgicis ſunt adiuncti. IOH. KANOLD in *Adpendice ad* NEICKELII *Muſeographiam, Vratisl. 1727. 4. p. 390. ſq.* Altera Academiae Bibliothecae *Euangelicorum* eſt, ſub finem ſaeculi ſuperioris inſtituta, quae nouis potiſſimum libris conſtat. Aliqua tamen MSta vetuſta in ea reperiuntur. Talia ſunt: *Codex orationum Ciceronis*, de cuius praeſtantia conf. GRAEVIVS in *Praefat. Ciceronis Orationibus* praefixa, et inter *Epiſtolas* viri doctiſſimi, a FABRICIO editas, *p. 64; Pauli Burgenſis Scrutinium Scripturarum; Lectura Benedicti Stendal de Hallis in Pentateuchum; Volumen Sermonum in Concilio Conſtantienſi; Henr. de Frymaria Tract. de expoſitione miſſae, et myſteriorum in ea contentorum.* Vid. TENTZELIVS in *der Curieuſen Biblioth. Repoſit. I. p. 457.* Admodum quoque inſtructa dicitur Bibliotheca *Monaſterii in monte Petrino*, cui Petrus Friderici, Ordinis tandem Prior, anno 1708. ducentos tribuit Imperiales ad bonae frugis libros ex annuis huius pecuniae vſuris comparandos. MOTSCHMANN *l. c. Collect. III. p. 462.* Haud ita pridem vir clariſſimus, RVDOLPH. CHRISTOPH. HENNE, in *Dedicatione*, FRANC. BALDVINI *Catecheſi Iuris* praemiſſa, reuerendiſſimi etiam Abbatis, Guntheri, miram in locupletanda hac Bibliotheca, pretioſiſſimisque exornanda Codicibus, diligentiam celebrauit. Quartam denique Bibliothecam Miniſterium Euangelicum habet in *Templo Auguſtini*, vbi monſtrantur ali-

quot *Codices Ebraici* manu exarati, qui, glifcente plebis feditione, medio faeculo XIV. Iudaeis vel crematis, vel vrbe eiectis, erepti, inque locum illum, vt fimile vero eft, delati fuerunt. Cf. IOH. MAVR. GVDENI *Hiftor. Erfurt. lib. II. p. 175.* in IOANNIS *Tomo III. Scriptor. Moguntinor.* Praecipuus eft *Codex Bibliorum* membranaceus, forma augufta, cum Mafora, in variis animalium figuris occultata, de quo legatur TENTZELIVS in *den monathlichen Vnterred. a. 1692. p. 848. fq.* Add. IOH. HENR. MICHAELIS *Diff. de Codicibus MStis Biblico-Ebraicis, maxime Erfurtenfibus, Halae M. 1706.* Plura de Bibliothecis Erfurtenfibus exfpectauimus nuper a Ioh. Nic. Sinnholdo, qui Erfordiam litteratam Motfchmannianam continuare, et Tomi III. Parte 3. dedita opera hoc pertractare argumentum voluit, prout indicatur in *den Leipz. gel. Zeit. a. 1748. p. 308.* Sed praematuram mortem laude dignos viri eruditi conatus interrupiffe audiuimus.

Erlangenfis Academiae Bibliotheca de infigni gloriatur et copiofo librorum adparatu, quem fibi conquifitum donauit eidem, publicumque effe voluit Director olim et Cancellarius, illuftris de Superville. Accepit etiam inftructiffimas Chriftiani Ernefti, et Caroli Augufti, Marchionum quondam Brandenburgicorum, Bibliothecas, Barutho tranflatas, hisque acceffit munificentia Sereniffimae Principis, Fridericae Sophiae Wilhelminae, quae, praeter alia amoris in hoc doctrinae armamentarium documenta, pretiofam, quam ipfa poffidet, fupellectilem librariam legauit. Clementiffimo denique Conditori Academiae debet Bibliotheca naturalium rerum Collectionem, fplendidam fatis, et cum optimis in Germania comparandam. Vid. celeberrimi viri, CASP. IAC. HVTH, *Nachricht von der Einweihung der Friedrichs-Vniuerfitaet Erlangen, Erlangae 1743. in 4. p. 35.* et ampliffimi GOTT-

SCHEDII

SCHEDII *Progr. aliquam nuperi itineris litterarii rationem reddens*, quod praemiſſum eſt *Singularibus Vindobonenſibus*, *Lipſ. 1750. in 4.* Memoratur in eo, Heilsbronna etiam omnis generis libros Bibliothecae Erlangenſi fuiſſe illatos, qua de re plura dicemus infra §. XII. Bibliothecarius hoc tempore eſt clariſſimus Ioh. Ern. Schroeterus, Prof. Iur. publicus.

§. VIII.

Francofurtenſium ad Moenum Res publica elegantem habet Bibliothecam, Gymnaſio vicinam. Coepit illa a. 1484. quo tempore Ludouicus de Marpurg, dictus *zum Paradeis*, in terram ſanctam migraturus libros, quos collegerat, Senatui legauit. Creuit poſtea pedetentim, annoque circiter 1625. adparatu egregio Hartmanni Beyeri, Theologi, et Ioh. Hartmanni, filii, Medici ac Senatoris, titulo legati quoque amplificata eſt. Senatus denique tribus Florenorum millibus coemit Bibliothecam inſtructiſſimam Ioh. Maxim. zum Iungen, Scabini ac Senatoris, qui a. 1649. fatis conceſſit. Centum in ea et ſedecim Volumina rariſſima de rebus Germanicis fuerunt, quorum poſtremum eſt manu exaratum. Inde Cardinalem Mazarinum inductum fuiſſe, vt ſedecim mille Florenos pro hac Bibliotheca obtulerit, fide Rachelii ſcribit MORHOFIVS in *Polyh. Tomo I. lib. 1. cap. 7. §. 49.* At alia docet MATTH. NIC. KORTHOLTVS in *Paraeneſi de Bibliothecis, maxime publicis, vtiliter adeundis*, *Giſſae 1716. in 4. pag. 8.* vbi memorat, vltra ſexcentos, decies centum Florenos tantum ſoluere voluiſſe Mazarinum. Hoc ſaeculo, et anno quidem quarto, Iobus Ludolfus ex Bibliotheca ſua libros orientales, et Epiſtolarum, ab ipſomet, vel ad ipſum ſcriptarum, faſciculos quosdam; quadriennio autem poſt Phil. Frider. Piſtoris, in patria Aduocatus, librorum maxime iuridicorum copiam teſtamento re-

liquerunt, quo etiam pacto Bernhardi Waldschmidii, Sacerdotis, Bibliotheca, eiusdem a filio aucta, a. 1721. accessit. Vid. IOH. IAC. LVCII *Praefatio Catalogo Biblioth. publicae Moeno-Francofurtensis* praemissa, cuius et in fine exactiorem eiusdem Bibliothecae historiam pollicetur, quae nunc tamen vix exspectanda. Prodiit is ipse Catalogus *Francof. a. 1728. in 4.* librosque praestantissimos, non secundum formam, sed materias, dispositos, magno numero exhibet. Ordo est talis: I. *libri theologici*, II. *iuridici*, III. *medici ac physici*, IV. *philosophici et miscellanei*, V. *historici*, *chronologici*, *genealogici*, *geographici*, *heraldici et numismatici*, VI. *rem litterariam illustrantes*, VII. *Gallici*, VIII. *Italici*, IX. *Hispanici*, X. *Belgici*, XI. *manu scripti* occurrunt, inter quos exstant varii, qui ad Historiam Germaniae cum ciuilem, tum ecclesiasticam, egregie conducunt. Cum primis notari merentur *Annales Norimbergenses; Argentoratenses; Wormatienses; Thuringici; Hassiaci; Wurceburgenses; Regum ac Ducum Austrasiae vsque ad Philippum II;* Codex vetustus membranaceus, cui titulus: *der Königen Buch, wie auch Schwäbisch Land-Recht, und Leben Recht-Buch; Bernh. Hertzogii varia de Nobilitate immediata, Comitibus Lichtenbergicis, Familiis illustribus emortuis* caet.; *Iacobi Koenigshofii Chronicon ab orbe condito ad a. Chr. 1391. Supplementum eorum, quae in Iac. August. Thuani Historiarum libris desiderantur, et ex Hugonis Grotii exscripta exemplari fuerunt; Bernhardus de contemtu mundi, in membrana; Lactantius, itidem in membrana a. 1434. exaratus; Gesta Treuirorum, vsque ad a. 1259. cum Adpendice multorum Diplomatum*, Codex membranaceus optimae notae; *Italica varia; Relationes Italicae de Conclaui electionis Romanorum Pontificum; Cuiacius in Tit. D. de Verb. Oblig.; Russardi Comment. in Tit. D. de Verb. Signific.; Buygerius in Tit. D. de re iudicata; variorum Theologorum Epistolae autographae*

graphae ad Hartm. Beyerum, eiusque filium. Haec omnia in folio. Quartae formae Opera ſunt: *Liber Lectionarius Eccleſiae Latinae membranaceus, cum Calendario praefixo et multis ad calcem Adpendicibus; Thomae Campanellae la Monarchia di Spagna, eiusdem Aforiſmi, overo Precetti politici, Diſcorſi delle ragioni, che hà il Rè Cattolico ſopra il nuovo Emisfero ed altri Regni d'infideli, ſecondo la Scrittura, contro li Theologi, che di ciò hanno ſcritto*; et alia plura. Vid. de his TENTZELIVS in *den monathlich. Vnterred. a. 1698. p. 493. ſq.* et LVCII *Catalogus p. 433. ſq.* Poſt huius editionem Bibliotheca illa nacta eſt varia magni momenti Opera, et bellam MStorum de rebus Francofurtenſibus Collectionem, ex Zach. Conr. ab Vffenbach theſauris litterariis, item a Luthero, Conſiliario aulico, permultos libros rariores, typis maxime Egenolphorum, maiorum ſuorum, excuſos. Cf. IOH. BERNH. MÜLLERI *Beſchreib. der freyen Reichs-Stadt Franckfurt am Mayn, Frf. 1747. in 8. cap. XXVI. pag. 186. ſq.* qui Auctor et de priuatis Francofurtenſium Bibliothecis nonnulla commemorat. Has inter celeberrima fuit praeſenti aetate *Vffenbachiana*, longe tamen viliori pretio diuendita, quam crederent, qui tantum theſaurum inſpexerant. Cf. perilluſtris von LOEN *kleine Schriften, P. I. p. 256.* De Catalogis huius Bibliothecae ſupra dictum *Cap. I. §. 23.* Omnia nuper, exceptis Francofurtenſibus, MSta, quae diu exſpectarunt emtorem, Hamburgum tranſlata ſunt in Bibliothecam Wolfianam.

Francofurtenſis ad Viadrum *Academiae* Bibliotheca cognoſci poteſt ex IOH. CHRISTOPH. BECMANNI *Catalogo*, qui cum Wolfgangi Iobſt Chronico vrbis primum prodiit *Francof. ad V. a. 1676. in 4.* deinceps *a. 1706. ibid. in f.* longe auctior recuſus eſt. Auctor ordine alphabetico libros indicauit in hac Bibliotheca obuios, quam tamen nec multitudine ſcriptorum,

nec raritate, nec selectu se commendare admodum, REIMMANNVS contendit in *Catalogo Bibl. suae Tom. II. p. 52.* Add. *Historia Bibl. Fabric. P. II. p. 522.* vbi errores non nulli notantur, in Catalogo Becmanniano commissi. A. 1696. ex Bibliotheca Berolinensi aulica non exiguus eorum librorum, qui bis terue adfuerant, adparatus in Viadrianam Academicam peruenit, teste clarissimo OELRICHS, *im Entwurf einer Geschichte der Königl. Biblioth. zu Berlin p. 11.* Schola etiam, tam *Lutheranorum*, quam *Reformatorum* singularem habet Bibliothecam. De illa legi meretur CHRIST. SCHOETTGENII *Historie der Franckfurtischen Schul-Bibliothec, Programmate* exposita *ibid. a. 1719. in 4.* Huic vero Nicol. Westermann, Eloqu. Professor, nouissime donauit librariam suam supellectilem, egregiam profecto, et sex mille Imperialibus aestimatam. Inter MSta memorabilis praecipue *Codex Seidelianus*, cuius Millius in editione sua Noui Testamenti meminit. Vid. *die Berlinische Bibliothec, Tomo II. P. 5. p. 697.*

Freibergensis Bibliotheca, variorum coaceruata legatis, in conclaui, aedibus Sholae confini, reposita est, et in duodecim classes distributa. Superbit rarioribus quibusdam Codicibus, sub typographiae initium excusis, quo pertinet prae caeteris *Psalterium Latinum* a. 1457 Moguntiae membranis impressum, et *Catholicon Ioh. Ianuensis*, ibidem a. 1460. primum editum. Plura de ea docent IVST. ISRAEL BEYER in *Orat. de Bibliotheca Freybergensi, Altenb. a. 1716. in f.* SAMVEL MOLLERVS, Rector olim Scholae ac Bibliothecarius, in *Programmatibus* suis *de Bibliotheca Freybergensi*, quorum *quinque* lucem adspexerunt *Freybergae* inde ab *anno 1723. vsque ad a. 1727. in f.* pariterque CHRISTIAN. GOTTHOLD. WILISCH in *der Kirchen-Historie der Stadt Freyberg, Lips. 1737. in 4. Parte I. p. 376. sq.* si recte olim locum in schedas nostras retulimus;

limus; iam enim nulla inſpiciendi denuo libri huius occaſio datur.

Friſingam nobilitat *Cathedralis Eccleſiae* Bibliotheca, ad quam vnicus acceſſus eſt per Archiuum, immenſa Diplomatum et Chartarum mole, oculis paſſim expoſita, oppletum; ideoque patere illam nolunt hominibus exteris ac peregrinis Canonici, niſi rebus antea diligenter circumſpectis. Ita PEZIVS triginta abhinc annis ſcripſit in *Diſſert. iſagogica in Tom. I. Theſ. Anecdotor. nouiſſimi*, *p. 26.* An hodie conſpici facilius poſſit haec Bibliotheca, ignoramus. Reſtant in eadem trecenta fere volumina manu exarata, quorum ad mille annos quaedam proxime accedunt, complura ſaec. X. ſub Abrahamo, Epiſcopo, confecta fuerunt, teſte CAROLO MEICHELBECK *Hiſtor. Friſing. Tomo I. Part. 1. pag. 189. Gregorii M. Hieronymi*, *Iſidori*, *Opera* non ſine ſtupore ſpectantur. *Oroſii Hiſtoriae*, manu ſaeculi circiter VIII. membranae in forma quadripartita inſcriptae, et alia, maximi etiam ſunt aeſtimanda. Vid. PEZIVS *l. c.*

De *Fuldenſi* Bibliotheca pauca in promtu ſunt. Vetus enim illa, toto orbe celeberrima, cuius deſcriptionem IOH. FRID. SCHANNAT exhibet in *Hiſtor. Fuldenſi Parte I. cap. 6.* dudum, tricennali potiſſimum bello, interiit. Ei vero nouam haud ſucceſſiſſe, quum opes ſuppetant, miratur ECCARDVS in *Comment. de reb. Franc. Oriental. T. II. p. 17.* Interim ſuperſunt tres Codices membranacei, quibus vetuſtiores in Germania fruſtra quaeſiueris, niſi inter eos, quos a. 1717. e tenebris in lucem protraxit Chriſtoph. Franc. L. B. ab Hutten, Cathedralis Eccleſiae Herbipolenſis Decanus, vt infra pluribus dicemus, ſi ad Bibliothecam Herbipolitanam, ſeu Wurceburgenſem, deuenerimus. Primus Fuldenſium eſt Codex mille ducentorum circiter annorum, argenteis fibulis et lamellis ſatis excultus, habens in altum pollices XIV. in latum pollices VI. Complectitur

tur ille *Harmoniam IV. Euangelistarum*; Tabulam indicantem *Lectiones diuersas in Ecclesia recitari solitas*; *Epistolas Pauli Apostoli*; *Catalogum vrbium, vbi Euangelistarum, Apostolorum, aliorumque Sanctorum corpora sepulta iacent*; *Actus Apostolorum, Epistolas S. Iacobi, Petri, Iohannis et Iudae*; ac denique *Apocalypsin*. Alter Codex in folio breuiori, gladiis punctim et caesim dilaniatus ac pessime habitus, quem S. Bonifacium, in agone constitutum, saeculo VIII. percussoribus suis veluti clypeum opposuisse, vulgo traditur. Varia in hoc volumine occurrunt, e. g. *Epistola Papae Leonis ad Flauianum, Episcopum*; *Epistola Agnelli ad Arminium, de ratione fidei*; *Fides edita S. Ambrosii, Episcopi, de Spiritu Sancto*; *Regula fidei catholicae facta a Niceno*; *Explanatio fidei catholicae*; *S. Ambrosius de bono mortis*; *Notitia regionum et ciuitatum, in quibus Sanctorum Apostolorum et Euangelistarum venerabilia Corpora requiescunt*. Differt haec notitia aliquantum ab illa, quae in Codice priori exstat. Tertius Codex, simplici corio rubro obductus, formae octauae minoris, ac prope quadratae, continet *Euangelia*, eumque gloriosi Martyris, Bonifacii, manibus esse exaratum, plurimi crediderunt. Sed hos confutauit solide laudatus SCHANNAT in *Vindemiis litterar. Collect. I. p. 225. sq.* vbi etiam ante, a *pag. 218.*, fusius de tribus hisce Codicibus differuit.

§. IX.

Bibliotheca Ecclesiae Cathedralis et Collegiatae *Gandershemensis* libris cum scriptis manu, tum typis impressis, ditissima quondam fuit. Sed bella, Smalcaldicum in primis, et inertia eorum, qui aleae magis, quam perlustrandis voluminibus, litabant, rei librariae damnum irreparabile intulerunt. Hac de caussa Elisabetha Ernestina Antonia, Abbatissa, suasu Ioh. Ge. Eccardi, qui a. 1721. Gandershemii commorabatur,

rabatur, de inſtituenda noua Bibliotheca, adnuentibus Capitularibus, ſerio cogitauit. Quo conſilio publice eſt conſtitutum, vt non nulli quotannis conferantur ſumtus, ac beneficiorum poſſeſſores e primordiis vſusfructus, inde percipiendi, doctum quoddam et pulchrum Opus Bibliothecae conſecrent. Coeptum id amplificarunt Principes et Comites Germaniae glorioſiſſimi, quorum liberalitate volumina exquiſitiſſima illata eidem fuerunt. Sunt illi Sereniſſimi Principes Brunſuicenſes, Auguſt. Guilielmus, Ludouic. Rudolphus et Ferdinand. Albertus; Fridericus, Dux Saxo-Gothanus; Frider. Guilielmus, Eleonora Friderica, et Ant. Vlricus, Duces ac Principes Saxo-Meinungenſes; Duces Regentes Wurtembergo-Stutgardienſes ac Bernſtadienſes; Principes Friſiae Orientalis et Schwartzburgo-Rudelſtadienſes; Comes Lippienſis, Detmoldiae ſedem habens. Summi quoque viri, Conrad. Detlev Comes a Dehn, Barones a Wrisberge, doctiſſimique Academiae Iuliae Profeſſores, Goebelius, Schrammius, von der Hardt, et Ioh. Fabricius, praeclare de Bibliotheca hac fuerunt promeriti, quae breui Operibus inſtructa fuit pretioſis, argumenti maxime hiſtorici. Vid. celeberrimi viri, IOH. CHRISTOPH. HARENBERG, *Hiſtoria Eccleſ. Gandershem. diplomatica*, *Hanouerae a. 1734. in f. p. 1060. §. VIII.* Idem Bibliothecae *Bruntesbuſanae* meminit, quam ex libris hiſtoricis, geographicis, genealogicis, politicis et mathematicis conflatam minoribus, circa hoc ipſum tempus, Sereniſſima Abbatiſſa adornare coepit.

In Templo Ciuitatis *Geranae*, quae ad illuſtriſſimos Comites Ruthenos pertinet, Bibliotheca adſeruatur, cui nec multas Patrum editiones, nec alios bonae frugis libros deeſſe, ampliſſimus PERTSCHIVS, teſtis fide digniſſimus, adſerit in *Praef. Part. I. des Verſuchs einer Kirchen-Hiſtorie §. VII.* Quaedam etiam MSta, non ad vulgaria omnino reiicienda, monſtrantur ibidem,

ibidem, vtpote Opus Nicolai Schmidii, (vulgo *Cüntzels von Rodenacker,*) rustici eruditi, *centum ac triginta linguarum Alphabeta* exhibens, de quo copiosius egit STRVVIVS in *Actis litterariis*, *Fascic. I. art. 3.* vitam simul Auctoris commemorans; *) *Henrici Kunrathi MStum chymicum*, variegatis coloribus egregie pictum; *Nouum Testamentum* in Codice membranaceo antiquissimo, atque similia.

Gissensis Academiae Bibliotheca initium habet a priuata quadam, Pragae emta, magnisque sumtibus Gissam translata. Accessit deinceps dimidia pars Marburgensis Academicae, quum Gissenses Musae inde ab a. 1625. vsque ad a. 1650. Marburgi commorarentur. Circa saeculi dicti finem Mich. Heilandus, Medicinae Professor, libros suos medicos Bibliothecae Academicae legauit, quo etiam titulo illata eidem Ioh. Conradi Bachmanni, Sacerdotis in arce oppidi St. Goar, quod ad inferiorem Comitatum Catimelibocensem refertur, praestantissima librorum theologicorum, pariter atque historicorum supellex. Anno denique 1732, frustra repugnantibus heredibus, accepit Academia ex Ioh. Henr. Maii, iunioris, testamento, praeter Numophylacium haud contemnendum, integram viri docti Bibliothecam, libris praecipue philologicis, manu etiam scriptis Ebraicis, Arabicis, Graecis ac Latinis, ipsiusque possessoris Aduersariis, egregie repletam, quae, quum in Auditorio Theologorum, ex beati testatoris voluntate, commode locari non posset, consensu Serenissimi Principis in singulare, idque amplissimum, conclaue, ad quod Auditorium Philosophorum aditum praebet, deportata est, vbi eandem labore satis molesto

*) Eiusmodi scriptum, ab eodem rustico confectum, reperitur quoque in Bibliotheca Dresdensi Regia, obseruante, praeter alios, GOETZIO in *den Merckwürdigk. dieser Bibliothec, Tomo I. pag. 461.*

molesto in ordinem redegit et Catalogos confecit, Christoph. Frid. Ayrmannus, Historiarum quondam Professor, primusque ipsi, vt et veteri, Senatus Academici iussu, Praefectus. Inde perspicitur, separatam esse hanc Bibliothecam a priori, cuius rariora quaedam laudatus AYRMANNVS indicauit in *Specimine Bibliothecae Gissensis Academicae librorum rariorum, Gissae 1733. in 4.* Decennio post vir illustris, IOH. FRID. WAHL, tunc Gissensis, nunc Gottingensis Antecessor, *Programmate* quodam descripsit *Bibliothecae Gissensis memorabilia, ibid. 1743. 4.* Quibus addi possunt, quae AYRMANNVS in *Nouis litter. Francofurt. (den Franckfurtisch. gel. Zeitungen) a. 1741. p. 506. 516. 517. 528. et 529. sq.* de hac ipsa Bibliotheca disserit, et ita quidem vt Lectores de meritorum suorum magnitudine perfectaeque rei litterariae peritia, reddat simul certiores: Pauca exinde, plurima ex CHRISTOPH. LVDOVICI KOCHII, ICti et Historici clarissimi, iamque Bibliothecarii, Schediasmate manu scripto desumsi, quod pro sua erga me beneuolentia transmisit ante aliquot annos Gottlob Aug. Ienichen, vir iuris et humaniorum studiorum scientissimus.

Gorlicense Gymnasium binis quoque Bibliothecis publicis fruitur, altera *antiqua Monachorum*, altera *noua Milichiana. Antiqua* iam ante annum 1372. initium cepit, et variorum donationibus aucta est, postea a. 1565. Gymnasio consecrata nouis accessionibus creuit, praecipue legatis a. 1615. et 1676. Bibliothecis Daniel. Staudii, Iuris Practici, atque Eliae Dietrichii, Consulis Gorlicensis. Multa quoque MSta continet, quorum nobiliora sunt *Lucianus* in membrana formae maioris nitidissime exaratus; *Ptolemaeus* cum tabula geographica illuminata; *Auicenna* membranaceus, cum Commentario lingua Arabica; et *Casp. Manlii Historia Lusatica* autographa. *Milichianam*

Biblio-

Bibliothecam Ioh. Gottlieb Milichius, cauſſarum patronus, a. 1726. ex pio in vrbem hanc amore legauit. Complectitur illa quinque propemodum voluminum millia, quae in Antiquitatibus, Iurisprudentia, Hiſtoria et re numiſmatica vſum multiplicem habent. Pretium auget partim librorum Gallica, Italica et Hiſpanica lingua editorum, eorumque rariſſimorum, partim MStorum, inter quae *Liuius*, bonae notae, *Euclides* et *Ciceronis Epiſtolae* ſunt, varia item *ad Hiſtoriam Sileſiacam* ſpectantia, antiqua pariter ac recentiora, inſignis collectio. Patet haec Bibliotheca diebus Iouis ac Sabbathi, hora pomeridiana ſecunda. Vid. CHRISTIANI KNAVTHII *Hiſtoriſche Nachricht von denen Bibliothequen in Goerlitz*, *ibid. 1737. 4.* ex quo Opuſculo decerpta ſunt potiora in *Singularibus Luſaticis*, *Parte XVIII. artic. 4.* Add. *die Leipz. gelehrt. Zeit. a. 1726. p. 797.*

Vrbs *Gotha* Sereniſſimi Ducis Bibliotheca, quae arcem Fridenſteinenſem decorat, et quatuor ampla conclauia complet, non in Germania ſolum, ſed apud exteras etiam nationes dudum inclaruit. Inſtruxit eandem Erneſtus Pius, quippe qui praeſtantiſſimam Bibliothecam Rufferianam, cuius volumina corio veſtita rubro fuerant, redemit ab heredibus, annoque 1647. adiecit variorum librorum cumulo, tam ex Monachienſi praeda a. 1632. quam ex partitione Vinarienſi, inter eum ac Fratres facta, hereditatis iure acquiſito. Ab his producta initiis adeo creuit ſupellex, vt nunc quidem in quocunque doctrinae genere nihil fere optimorum ſubſidiorum deſideretur. Acceſſerunt enim, praeter aulicas Altenburgenſem, Eiſenbergenſem maximamque partem Romhildenſis, integrae Bibliothecae Ioh. Erneſti Gerhardi, ſenioris, Theologi Ienenſis, Dieterici Pflugii, ſupremi in aula Gothana Mareſchalli, Daniel. Ludwigii, Archiatri, C. W. a Thumbshirn, Henrici Fergeni, et Ioh. Henr.

Feuſt-

Feuſtkingii, nobiliores item Codices ex Ioh. Ott. Taboris, multorumque aliorum, adparatu librario. Vid. FRID. RVDOLPHI *Gotha Diplomatica P. II. cap. 21. p. 198.* GOD. LVDOVICI *Ehre des Caſimiriani Academici zu Coburg P. I. p. 347.* et GODOFR. VOCKERODT *Progr. Gothae a. 1713. in 4.* excuſum inſcriptumque: *Sereniſſimae Domus Saxonicae ornamenta praecipua,* quod vnius plagulae Opuſculum communicauit mecum beneuole b. Iac. Burckhardus. Ante hos triginta circiter annos Commercium epiſtolicum Hoſii, Cardinalis, Caluini et Bezae quinque Voluminibus, quae nil niſi autographa continent, redemtum eſt. *Leipz. gel. Zeit. a. 1724. p. 1036. et 1074. MStorum* (at ſelectorum ſaltim, amplius enim ducenta neglecta ſunt,) in *Bibliotheca Gothana Catalogum* ERNEST. SAL. CYPRIANVS *Lipſ. a. 1714. in 4.* edidit, interſperſis paſſim obſeruationibus hiſtoricis ac litterariis. Quatuor libellus, a MONTFAVCONIO *T. I. Biblioth. MStor. p. 599. ſq.* in compendium redactus, Capitibus conſtat, quorum duobus prioribus Codices membranacei et chartacei in f., reliquis duobus membranacei et chartacei minores exhibentur. Numerus eorum quingentos ac triginta vnum conficit, inter quos membranacei centum, quadraginta et quatuor ſunt. Cf. *Memoires de Trevoux a. 1716. menſe Iunio, p. 1157. ſq.* Complures hic Veteris Teſtam. et Euangeliorum Codices occurrunt, quorum praecipui *Biblia Germanica* ex Bibliotheca Bauarica Electorali, trecentis annis antiquiora, membranae inſcripta, figuriſque auro et variegatis coloribus mire diſtinctis tam pretioſa, vt ſolum aurum mille nummis aureis aeſtimetur, itemque *Lectionarium Eccleſiae Graecae* membranaceum, inſignis antiquitatis, auro varie ornatum, quod Fridericum Sapientem, Saxoniae Electorem, ex Oriente attuliſſe perhibent. Primum in eo locum Euangelium S. Iohannis occupat. Inter veteres Latinos ſcriptores

itidem ſunt membranacei *Iuſtini hiſtorici libri LXIV.* quos Pius III. Pontifex, ſaeculo XV. quum adhuc eſſet Cardinalis, elegantiſſime ſcribi, pingi, litteris aureis exornari, ſuaque in Bibliotheca reponi curauit; *Quintilianus de Inſtitutione oratoria*, Codex admirabili ſtudio confectus, Romaque ex eiusdem Cardinalis Bibliotheca Gotham perlatus; *Valerius Maximus*, ſaeculo quidem XV. at nitidiſſime ſcriptus, vt nihil ſupra; *Cicero de amicitia; Eiusdem libri tres de officiis; Eiusdem Rhetoricorum libri IV. ad Herennium*, Codex notae melioris; *Senecae Tragoediae*, Opus ſumma exaratum cura, ſcholiisque illuſtratum; *Iuuenalis ac Perſii Satyrae; Virgilii libri Aeneidos*, bonae notae, et *Ouidii Heroides:* Chartacei adſunt *Virgilius cum Seruio; Horatius; Terentius* cum ſcholiis interlinearibus et marginalibus; *Boethius* denique, cum commentariis copioſiſſimis. Adſeruantur etiam in hac Bibliotheca exemplaria vetuſta Patrum quorundam eccleſiaſticorum, e. g. *Hieronymi ſex libri in Ieremiam, et tractatus in Abdiam; Lactantii Opera plurima; Ambroſii libri tres de officiis;* et cum primis *Auguſtini libri XXII. de ciuitate Dei*, Codex Moguntia ex Bibliotheca Metropolitana, cum plurimis aliis, Gotham tranſlatus, isque multorum ſaeculorum, ſcriptus quippe circa annum Chriſti milleſimum, iuſſu Willigiſi, Archiepiſcopi Moguntini, vt fuſius oſtendit CHRISTIAN. SCHLEGELIVS in ſingulari Epiſtola *de Codice Willigiſano*, CYPRIANI *Catalogo* ſubiuncta. Nec inter Cimelia potiora praetermitti debent *Iacobi de Strada*, Antiquarii Mantuani ſaec. XVI. clari, *Volumina XXXI.* in folii maioris forma eleganter compacta, quae complectuntur *deſcriptionem vitae, imaginum, numiſmatum omnium tam orientalium, quam occidentalium Imperatorum ac tyrannorum, cum Collegis, coniugibus liberisque ſuis, vsque ad Carol. V. Imperatorem.* Stupendo hic labore et arte mirabili delineati ſunt rariſſimi nummi

Romani

Romani consulares et imperatorii. Horum picturas singulas singulis coronatis constitisse, auctor est OCCO in *Epistola MSta ad Amerbachium*, apud PATINVM in *Introd. ad historiam numismatum*, *cap. XXIV. pag. 188.* Similia in Bibliotheca Vindobonensi exstare testatur LAMBECIVS, *Comment. de Bibl. Caesarea libro I. p. 77.* Imo in quamuis Electoralem Bibliothecam tale exemplar fuisse coemtum, non nulli adfirmant. Cf. TENTZELII *monathliche Vnterred. a. 1691. p. 876 sq.* vbi et exponitur, quid contineant Tomi singuli. Stradae adiungimus MStum antiquissimum, in quo *Capitularia Regum Francicorum*, ex collectione Ansigisi et Benedicti Leuitae, vna cum *Legibus Salicis*, *Ripuariorum*, *Longobardicis*, *Baioariorum*, *Codice Theodosiano, et aliis*; *Caroli IV. Auream Bullam*, Latine ac Germanice, exemplar membranaceum eximiae vetustatis, de quo consulatur TENTZELIVS *l. c. anno 1690. p. 766. sq*; *Henrici de Veldeck versionem Aeneidos Germanicam*, sexcentorum fere annorum Codicem, a celeberrimo GOTTSCHEDIO singulari *Progr. Lips. a. 1745. in 4.* descriptum; *MSta* quaedam *chymica Auctorum Graecorum* cum Reinesii iudicio, quod integrum legitur apud CYPRIANVM *l. c. p. 87. sq*; *Petri de Vineis Epistolas*; *Acta Concilii Constantiensis*, Codicem antiquissimum; *Varia*, *ad Historiam Imperii Germanici*, *speciatim Saxoniae*, cum ciuilem, tum ecclesiasticam, pertinentia, quae maximi sane momenti sunt; Complures *Epistolas Ioh. Friderici Magnanimi*, Electoris, quas in captiuitate exarauit, interque eas tales etiam, quibus Consiliarium suum, Filiorum studiis praefectum, cohortatur, vt discipulos ad linguam Latinam probe addiscendam adigat; *Epistolas Variorum* magno numero, multasque item *autographas Lutheri*, *Ioh. Arndii*, *Ioh. Gerhardi*, *et aliorum*, ex quibus centum ac septendecim edidit, *Catalogoque MStorum* subiecit, CYPRIANVS; *MSta Arabica*, *Turcica*, *Persica*, vt

 figuras

figuras aeneas magnorum ſumtuum taceamus, a celeberrimis artificibus factas, effigies virorum illuſtrium, et alia, oculis attentis digniſſima. Cf. TENTZELII *curieuſe Bibliothec', Repoſ. I. p. 442. ſq.* Primum directore Georgio Frantzkio, Cancellario, Bibliothecariorum fuiſſe Andr. Rudolphi, Erneſto Pio a cubiculo, RVDOLPHI memorat *cit. Parte II. Gothae Diplomat. p. 198.* addens quoque ſecundum, Ioach. Barthold. Meyerum, quum Sam. Reyherus, mox in Kilonienſem euocatus Academiam, munere hoc, ipſi delato, fungi non poſſet. Succeſſit Ioh. Phil. Meyerus, praecipua tamen Bibliothecae cura Cypriano demandata. Huius autem poſt obitum laudato ſapientiae omnis receptaculo praefectus eſt V. C. Iulius Car. Schlaegerus, (Adiunctum habens doctiſſimum Godofr. Chriſtian. Freiesleben, Sereniſſimi Ducis Secretarium, qui nunc librorum parare Catalogum dicitur, olim a Meyero exſpectatum. Idem vir laudatiſſimus *Numophylacium* tractat, auctum, vt ſupra monuimus, Arnſtadienſi, quod Fridericus II. centum Imperialium millibus a. 1712. redemit, conſtituto ſimul, ne diſtrahatur vnquam, fideicommiſſo. Adſeruantur in eo numiſmata ex omni metallo rariſſima, cum antiquiora, tum recentiora, vt luculentiſſime patet ex CHRISTIANI SIGISM. LIEBII *Gotha nummaria, ſiſtente Theſauri Fridericiani numiſmata antiqua, aurea, argentea, aenea, Amſtael. a. 1730. in f. cum tabb. aen.* de quo Opere vid. *Acta Erud. Lat. a. 1730. p. 385. ſq.* Cf. RVDOLPHI *l. c. cap. XXII. pag. 200.* ac de *Technophylacio* Ducali *cap. XXIII. p. 201.* Sunt in eo mirabilia artis et naturae Opera, e. g. picturae egregiae, quae antitheſin exhibent Chriſti et Antichriſti, beneficio Tentzelii deſcriptae ASTRVVIO in *Obſeruat. ſelect. Halenſ. Tomo IV. Obſeruat. 10. p. 185. ſq.* pariterque Sceleton Elephantinum, a. 1695. Tonnae effoſſum, de quo TENTZELIVS data opera egit in

Epiſtola

Epiſtola ad Ant. Magliabechium, Ienae 1696. 8. Habet quoque *Gymnaſium Gothanum* publicam Bibliothecam, admodum amplificatam libris a Ioh. Weidemüllero, Conſule ciuitatis, Ge. Heſſo, Rectore, et Ioh. Frid. Breithauptio, ICto, teſtamento relictis. Eius hiſtoriam in *Progr.* quodam *Gothae 1714. in 4.* expoſuit GODOFR. VOCKERODT, vbi et alii, praeter Fridericum II. glorioſae memoriae Ducem, laudantur viri, qui non nihil liberalitatis in hanc Bibliothecam contulere. Add. RVDOLPHI *Goth. Diplom. Part. III. cap. 46. p. 338.* Inter priuatas Bibliothecas Gothanas excelluerunt noſtra aetate *Cyprianica* et *Vockerodiana.* Illius Catalogus *Gothae a. 1726.* et auctior *Lipſ. a. 1733. in 8.* huius vero *Lipſ. a. 1729. ead. forma* prodiit.

§. X.

Bibliotheca Georgiae Auguſtae publica, quae *Gottingae* floret, in ipſo laetiſſimo Academiae ortu, adiutore incomparabili Munchhuſio, Patre Muſarum, inſtituta eſt. Poſt ſupellectilem librariam, quae Gymnaſii antea fuerat, cuiusque *Catalogus Gottingae a. 1729. in 4.* lucem vidit, integra Bibliotheca Bulowiana, a. 1736. fundamentum illius eſt poſitum. Qua de re nemo elegantius dixit celeberrimo GESNERO; ideoque facturi ſumus operae pretium, ſi ipſa eius verba hoc loco attulerimus. Ita vero ille in *Narratione de Acad. Georgia Auguſta, Opuſculor. minorum Tomo IV. p. 463: Ioach. Henr. L. B. de Bulow, Conſiliarius Georgii I. intimus, et magnus in Cellenſi Ducatu Aduocatus, collegerat ſibi ſummo ſtudio, impenſis maximis, nec felicitate minori, bibliothecam, in qua ex omni genere librorum optimos quosque et pretioſiſſimos exſtare volebat, quos etiam glutinatoris opera auro impreſſo exornari curauerat ſplendide. Hanc poſt mortem quoque ſuam, (incidit ea in annum ſaeculi XXIV.) integram ſeruari, et publicam eſſe iuſſerat, eoque in loco reponi, vbi vtilis eſſe poſſet*

 quam

quam plurimis. Paruerunt heredes, et Hannouerae eam ſeruari curarique voluerunt. Cum vero de Academia Gottingae condenda agitaretur, illa maxima, neque praetermittenda viſa fuit opportunitas, cumulate perficiendi, quod vir illuſtriſſimus deſtinauerat. Facile igitur conſenſerunt heredes illuſtriſſimi atque generoſiſſimi, Fridericus L. B. a. Bulow, potentiſſimi Boruſſorum Regis a conſiliis ſtatus ac belli intimis, curiae Lithuanicae prouincialis praeſes, eccleſiaſticarumque rerum director, Iohannitici Ordinis eques, tum Erneſtus Auguſtus et Georgius Wilhelmus liberi Barones a Bulow, idque litteris conſignatum publicis teſtati ſunt, vt Bulowiani theſauri huc transferrentur, eſſentque fundus quaſi quidam bibliothecae academicae, cui deinde, (vt ICtorum verbo vtamur) adcreſceret, quicquid vel regia liberalitas conferret, (et multum profecto tum in libris tum in pecunia contulit, conferrique quotannis iuſſit,) vel de ſymbolis eorum, qui nomina dant academiae, aut honoris ab ea gradum accipiunt, emeretur. Et nondum de illata eodem bibliotheca, quae gymnaſii fuerat, diximus. Itaque contigit huic vniuerſitati, vt ſub ipſa initia bibliothecam habeat inſtructiſſimam, ſi qua alia, ſed ornatiorem forte, quam reliquae per Germaniam omnes. Magna vis inſtrumentorum et machinularum, tum naturae operibus indagandis; tum efficiendis ac dimetiendis humanis, accommodatorum, elaboratorum quidem ab artificibus fere praeſtantiſſimis, eleganterque auro atque argento ornatorum, quam eiusdem illuſtriſſimi, dum viueret, viri ſtudium collegit, eidem bibliothecae inferetur, cum primum dignum tanta elegantia receptaculum perfectum fuerit. Hactenus ampliſſimus Geſnerus; qui idem argumentum alio etiam loco tangit, ſcilicet *cit. Tomo IV. p. 434. et 435.* vbi haec legimus: *Praeter caetera ad ſeruandam tanti muneris recordationem inſtituta, Bulowianam etiam libenter vocabimus bibliothecam, licet magnis in ſingulos annos incrementis non minus in poſterum ſit augenda, quam ſub*

haec

haec initia aucta fuit. Accesserunt nempe adhuc Regia liberalitate praeclarissima opera, vt Acta illa sanctorum Antwerpiensia, vt Graeuii, Burmanni, Muratorii, studio collecti scriptores rerum Italicarum, vt quam plurima alia optimae notae volumina. Destinati sunt certi reditus, quibus et ali, et comi in posterum possit. Locus hic esset de simili beneficio dicendi, et maxime ad eam rem, de qua agitur, accommodato, quod huic Academiae certa et irreuocabili destinatione attributum est; sed innuit Harpocrates, et monet silentio potius et inter paucos conscios laudandum muneris auctorem et vitam illi longam, quae augeat beneficium ipsius, apprecandam: plenis velis tum demum in laudes illius eundum, cum nostra praedicatio molesta illi esse non iam potuerit. Tandem in *Vicennalibus Brixiensibus, Gottingae celebratis*, qui libellus *ibid. a. 1748. in 4.* editus est, *p. 41.* vir praestantissimus *hic illud,* inquit, *tantum dicendi locus est, peculiari cura complexum esse nostrum Maecenatem*(scilicet illustrissimum Munchhusium) *bibliothecam quoque nostram, cui augendae, et optimis quibusque libris instruendae non minus ille sit intentus, quam thesauris auri atque argenti congerendis homines auarissimi solent inuigilare: qua cura perfectum est, vt intra decennii paullo amplius decursum, ne de priuatis bibliothecis dicam, (quarum vna Gebaueriana haud multas sibi vel numero librorum, vel elegantia externa, vel dispositionis cura, pares habet) in publicam quatuor et viginti amplius voluminum, selectorum plerorumque, et pretium a mole etiam et splendore habentium, millia confluxerint. In quibus nihil non prouidentiae Maecenatis, multa vero etiam priuatae ipsius liberalitati debentur.* Eodem in Opusculo *p. 37. et p. 44. sq.* praedicantur eminentissimus Cardinalis, Quirini, virique perillustres a Senckenberg et a Lühe, qui partim suis scriptis, partim aliis bonae farinae libris, Gottingensem Bibliothecam mirifice ornarunt. Quanto illa semper ardore, in Historia maxime litteris-

 que

que humanioribus, locupletior reddatur, vel inde poteſt intelligi, quod, quum a. 1748. quatuor et viginti voluminum millia complexa ſit, triennio poſt triginta fere millia in promtu fuerunt, interque haec plus duo et quinquaginta millia Operum variorum, praeter permultas Deductiones in cauſſis illuſtribus, et Anglica illa inſignis raritatis Volumina, manu exarata, ac *Debates of the Houſe of Lords* inſcripta, quae celſiſſimi Fratres Pelham donarunt. Vid. *Praefatio* praemiſſa *den Göttingiſchen gelehrten Zeitungen a. 1750.* Addi etiam debet b. CLAPROTHI *gegenwärtiger Zuſtand der Göttingiſchen Vniuerſität, in zweenen Briefen an einen vornehmen Herrn im Reiche, Gött. 1748. in 4. p. 56. ſq.* vbi varia ſingularia de hac Bibliotheca leguntur. Nuperrime in Anglia magno pretio redemta ſunt quadraginta circiter Opera, ſaeculo adhuc XV. typis impreſſa. Inter alia rariora memorandum eſt praeclarum illud Londinenſis Societatis Diarium, *Philoſophical Transactions* dictum, et quidem integrum; quale exemplar in paucis Anglorum ipſorum Bibliothecis occurrit. Praefectus Bibliothecae Gottingenſi adhuc eſt diſertiſſimus Geſnerus: cuſtos autem illius clariſſimus Matthiae artis medicae Doctor. Priuatas in hac Academia antecedunt iam *Gebaveriana,* ſupra laudata, item *Moſhemiana* et *Feuerliniana*, quae ſingulae ingentem optimorum librorum copiam habent, Gebaveriana cum primis, Hiſtoricis omnium gentium, et antiquis linguae Germanicae monumentis, inſtructiſſima.

Gottorpii olim Holſatiae Ducum Bibliotheca exſtitit, quae nunc licet partem conficiat Hafnienſis Regiae, vt *Cap. III. §. 28.* obſeruauimus, omnino tamen hic loci eius renouari memoria meretur. Condita eſt a. 1606. a Iohanne Adolpho, Duce, de quo audiamus IOH. ADOLPH. CYPRAEI elogium in *Annal. Epiſcop. Sleſuicenſium Colon. Agripp. a. 1634. in 8. p. 428.* En! verba ipſa: *Hic Princeps, vt erat litteratiſſimus, in omnibus*

omnibus linguis, artibus, ſcientiis ac facultatibus, libris ac monumentis refertiſſimam Bibliothecam Gottorpii in aula magnis ſumtibus ac impenſis conſtituit ac poſt ſe reliquit, cui et multitudine, nec non varietate et delectu ſelectiſſimorum Auctorum, vix ſimilem aut parem in Germania reperiri exiſtimo. Mox ea Bibliotheca pulchriorem accepit formam acceſſione Wouwerianae, grati animi cauſſa legatae a Ioh. Wouwerio, quia in conſilia dicto a Principe adhibitus, arcisque Gottorpienſis praefectura cohoneſtatus fuerat. Auxerunt deinceps adparatum ſucceſſores Sereniſſimi, Fridericus, filius, et Chriſtianus Albertus, nepos, cuius aetate a. 1688. Andreae Vlckenii, Cancellarii, Bibliotheca legati quoque iure Ducali illata eſt. Illuſtris MOSHEMIVS in *litteris ad La Crozium, Kiliae a. 1717. perſcriptis*, de ea memorat ſequentia: *Habemus Gottorpii, quae noſtrorum Principum ſedes eſt pacis temporibus, egregiam ſupellectilem librariam, vbi et rariora manuſcripta Graeca et Latina, et Codices virorum doctiſſimorum manu notatos, et infinitam librorum non vulgarium copiam videas. Sunt et in ea Codices Sinenſes, Coptici, Armenici, multi aureis litteris chartae bombycinae impreſſi. Horum etſi difficulter his temporibus diſturbii notitia haberi poſſit, theſauro partim derelicto, partim Danorum et Ruſſorum inſidiis diſſipato:* dedi iam tamen operam, quo catalogo illorum potiar, quem ſicubi a viro honeſtiſſimo, Axenio, illius, qui in Phaedrum commentatus eſt, filio, accepero, ſtatim ad te curabo.* Vid. *Theſaurus epiſtolicus La Crozianus,*

 Tomo

*) Bibliothecam Gottorpienſem diſtractam eſſe bello nupero, quum Ruſſi irruptionem feciſſent, traditur in GVNDLINGII *Sermonibus Academicis in Hiſtor. litt. Heumann. Vol. IV. pag. 5190.* idque confirmat quodammodo laudatus Moshemius. Clariſſimus NOODTIVS autem, Sacerdos Sleſuicenſis, in *litteris ad Ioh. Chriſtian. Wolfium*, quas vidimus, id concedit ſaltim, aliquos libros, praecipue hiſtoricos, a manibus iniquis abreptos, variisque, ſacri potiſſimum Codicis, exemplaribus vmbilicos argenteos demtos fuiſſe.

Tomo I. p. 272. Quae hoc loco de Codicibus MStis dicit vir ſummus, ea recenſentur ex parte in MORHOFII *Polyhiſt. Tomo I. lib. 1. cap. 7. §. 64.* Sunt autem iſta: *Plinii Hiſtoria naturalis,* quo Codice vſus eſt olim Salmaſius; *Corpus Iuris Ciuilis; Hippocratis Opera Graece; Vegetius de re militari; Martianus Capella; Virgilii et Ouidii aliqua; Statius, Lucanus; Ciceronis Rhetorica nonnulla; Salluſtius;* Ηρωνος εἰσαγωγὴ τῶν γεωμετρȣμένων; *Heronis Geodaeſia; Theocriti Idyllia; Cyrilli Lexicon Graecum; Macrobius in Somnium Scipionis; Boethius de conſolatione philoſophiae; Hiſtoria ſacra Perſarum Perſice ac Latine; Libanii Characteres; Mich. Glycae Annales;* (de cuius ſcriptoris patria, aetate librisque plura memorat IOH. LAMI, vir doctus, in *Praefat. ad Deliciar. erudit. Tom. VII. Florent. a. 1740. in 8. editum) Sidonii Apollinaris Epiſtolae; Fragmenta veterum Mathematicorum, Graece; Perſii Satyrae; Heliodori Lariſſaei Optica; Xenocrates de piſcibus; Vita Heſiodi; Theocriti et Oppiani, Graece; Leontii Baſilii Naumachica, Graece; Pſelli expoſitio in Zoroaſtris oracula; Eiusdem expoſitio dogmatum Chaldaicorum; Demetrii Phalerei Apophtegmata; Glycae Orationes Graecae; Gemiſtius de dignitatibus et officiis regiis tempore Romanorum; Caſſiodori Hiſtoria tripartita eccleſiaſtica; Papiae Gloſſarium; Homiliae diuerſorum, quas iuſſu Caroli M. collegit Alcuinus; Senecae Epiſtolae; Demetrii Dialogus; Warnefridi Hiſtoria Longobardorum; Cypriani Epiſtolae; Conſtantini Manaſſis Chronicon; Leonis Papae Epiſtolae; Fulgentii Mythologia; Alexii Vita Graece; Methodius de mundi excidio; Chymica multa et Chronica, ad res Germanicas, Hiſtorica, ad res Holſaticas facientia.* Integer olim Codicum MStorum Index fuit in Bibliotheca Gudiana, cuius vid. *Catalogus p. 575.* Breuem huius Bibliothecae (quae claros ſemper praefectos habuit, ſcilicet Henr. Lindenbrogium, Adam. Olearium, Marqu. Gudium et Ioh. Nicol. Pechlinum) de-

ſcriptio-

ſcriptionem legimus in IOH. MOLLERI *Iſagoge ad Hiſtoriam Cherſoneſi Cimbricae Parte III. cap. 4. §. 2. p. 351.* Add. ISAACI VOSSII ad *Nic. Heinſium Epiſtolae* in *Burmanniana Sylloge, Tomo III. p. 506.* et *p. 586.* vbi non nulla ſingularia occurrunt. De *Muſeo* rerum naturalium atque artificialium, quod originem debet Bern. Paludano, Medico Enckhuſano, incrementa vero Friderici IV. et Chriſtiani Alberti, Ducum, munificentiae, vid. laudati OLEARII *Gottorfiſche Kunſt-Kammer, Sleswigae a. 1666.* et auctius *1674. in 4. cum tabb. aeneis, quam plurimis.* Caeterum hac occaſione, velut in tranſitu, attingere licebit *Bibliothecam Gudianam,* quam tanti viri nomen in memoriam reuocat. Fuit illa Glückſtadii, eiusque praeconem egit MORHOFIVS *l. c. lib. I. cap. 7. §. 67.* vbi eandem priuatarum omnium dicit eſſe reginam, atque ob MStorum Codicum, et antiquiſſimorum, et rariſſimorum, copiam atque ſelectum tantam, vt vel cum regiis poſſet contendere. Inſignem quoque Epiſtolarum, quas omnium gentium viri docti ſcripſerunt, ineditarum theſaurum IDEM laudat *cap. 25. §. 15. ſq. Catalogus Bibliothecae huius,* Hamburgi publice diuenditae, prodiit *Kilonii a. 1706. in 4.* et *MStorum Index* ſeparatim *ibidem a. 1709. in 8.* ex edit. altera. De Catalogo tamen Auctores *des ausführlichen Berichts von neuen Büchern P. I. p. 14.* ſic iudicant: *Von der ſchönen Gudianiſchen Bibliothec iſt a. 1706. der Catalogus heraus gekommen, wie ſie zu Hamburg verauctioniret worden, welcher aber bey weiten nicht die Hofnung der Gelehrten erfüllet, ſo ſie ſich von derſelben gemacht hatten.* Additur deinceps: *Die MSta ſollen noch zu Hamburg ſtehen, weil ſowohl die Engelländer als Holländer dieſelben zuſammen kaufen wollen.* caet. Sed retinuit haecce Cimelia Germania, iamque inde ab a. 1710. ornant Bibliothecam Ducalem Guelpherbytanam, longe minori pretio, ac non nemo antea obtulerat, adiutore Leibnitio

nitio comparata. Vid. BVRCKHARDVS in *Historia Biblioth. Augustae P. I. p. 261.* vbi et paginis sequentibus plura de his MStis differit, prouocans, praeter alia, ad CONR. SAM. SCHVRTZFLEISCHII, qui ipse auctioni interfuit, *Epistolam* a. 1705. exaratam, *Tomo II. Epistol. arcanar. p. 549. sq.* (cui omnino addatur alia, non minus lectu digna, *p. 567. sq.*) itemque ad IOH. BVRCH. MENCKENII *de diris imprecationibus, libris adscriptis, Programma*, quod nunc in *Dissertationibus* eius *litterariis, Lips. a. 1734. in 8.* a Filio celeberrimo editis, *p. 21. sq.* exstat.

Gryphiswaldensis Academiae Bibliotheca auctorem habet Henr. Rubenouium, primum Rectorem, qui omnes suos libros consecrauit eidem. Creuit deinceps liberalitate Iacobi et Friderici Rungii, Balth. Rhauii, Frid. Gerschouii, Iac. Henningii, generosissimi a Wackenitz, et Eccardi ab Vsedohm, Cancellarii, qui vel Bibliothecas suas, vel quandam pecuniae summam, Academicae legarunt. Inde factum etiam, vt magna librorum copia ex Bibliotheca Philippi Balth. Gerdesii, annoque 1750. pretiosa supellex Christiani a Nettelbladt, Professoris olim in hac Academia egregii, iam illustris Camerae Imperialis Adsessoris, quam Gryphiswaldiae reliquerat, comparari potuerit. Eodem fere tempore accessit integra Boetticheri, eruditi cuiusdam Wollgastiensis, Bibliotheca, ac nuper demum eminentissimus Quirini omnes illos libros dono transmisit, qui tanto insigni nomine lucem apud Italos adspexerunt. Facile igitur credendum, Gryphiswaldensem inter Academicas Germaniae Bibliothecas locum sibi haud postremum vindicare. Iam ei praeest doctissimus Professor, IOH. CAROL. DAEHNERTVS, qui in *Orat.* Germanica, *Gryphisw. a. 1750. in 4. mai.* excusa, *de fatis dictae Bibliothecae, nouaeque institutionis ratione*, breuiter quidem, at ornate differit. Memorat simul, libros rarissimos, atque in his

vetu-

vetuſtiſſima artis typographicae monumenta, Codices manu ſcriptos, aetate ſua et argumenti vtilitate commendabiles, nec non ampliſſimam Hiſtoricorum domeſticorum collectionem ibidem reperiri. Cf. IOH. DAVID. IAENCKENII *Vorbericht von ſeiner Abhandlung des gelehrten Pommerlandes, Stargard. in 8.* ſine anni mentione, *p. 102.* quo loco adſeritur etiam, quod Barnim I. Pomeraniae Dux, magno voluminum optimorum numero auxerit hunc adparatum. Andr. Weſtpalii, Profeſſoris ac Bibliothecarii quondam, in idem ſapientiae receptaculum promerita laudant *die Leipz. gel. Zeit. a. 1735. p. 787.* Nec Templum, *D. Nicolao* ſacrum, deſtitutum eſt Bibliotheca, cuius libros praecipuos recenſuiſſe laudatum DAEHNERTVM ſcimus *im zweyten Beytrag der Pommeriſchen Bibliothec.*

Inter Bibliothecas Germaniae Ducales principatum ſine controuerſia tenet copioſiſſima *Guelpherbytana*, ſeu Wolfenbuttelenſis, quando quidem et numero librorum et praeſtantia caeteras omnes longo poſt ſe interuallo relinquit. Hiſtoriam illius diligenter eruditeque compoſuit illuſtris Bibliothecarius, IACOBVS BVRCKHARDVS, ſingulari Opere, cuius *Pars I. a. 1744. Pars II. ac III. a. 1746. Lipſiae in 4.* fuit edita. Ex eo igitur memorabimus hoc loco, quae notatu digniſſima ſunt. Condidit Bibliothecam Auguſtus iunior, Dux eruditiſſimus, *) qui alias ſub Guſtaui Seleni nomine viris litteratis innotuit. Prima fundamenta poſita fuerunt a. 1604. in arce Hiddesacker,

*) Legantur hic HERM. CONRINGIVS *de Bibl. Aug. p. 242. ſq. edit. Maderianae;* IOACH. HILDEBRANDVS in *libello Helmſt. a. 1662. in 4. edito*, quo Principem illum cum Auguſto, Romanorum Imperatore, comparat, *Capite V.* merito doctrinam eius et ſcripta laudans; HENR. IOH. BVTEMEISTER in *Comment. hiſtorica de Auguſtae Domus Brunſuico-Luneburgicae meritis in rem litterar. Hanouerae a. 1730. 4. Cap. XIII. §. 45. ſq;* FABRICIVS *l. c. p. 56. ſq.* paſſimque BVRCKHARDVS *l. c.*

cker, vbi tunc ſedem fixerat Princeps quouis elogio maior. Friderico Vlrico, Duce regente, defunсto, libraria haec ſupellex a. 1636. Brunſuigam, ac denique a. 1644. Guelpherbytum tranſportata eſt, qua in vrbe, eius explicandae latius cauſſa, a. 1706. nouum exſtrui coeptum aedificium, anno demum 1723. finitum, quod luculenter deſcribitur a RVDOLPHO ANTON. FABRICIO V. C. in *Diſſert. de Tranſpoſitione Bibliothecarum memorabili, Helmſt. 1724. p. 60.* Vt augeretur eadem ſplendidiorque fieret, optima librorum pars ex Caelii et Caelii Auguſtini Curionum, patris ac filii, Marquardi Freheri, nec non Ioachimi Clutenii, Profeſſoris Argentoratenſis, Bibliothecis, vna cum operibus, ex diuerſis Norimbergenſibus, et Würtembergica quadam ſelectis, ipſis Auguſti temporibus comparata fuit. Acceſſerunt etiam Bibliothecae Brunſuicenſium Aegidiana et San-Blaſiana, pluresque libri MSti aeque ac typis impreſſi, et ii quidem rariores, partim Philippi Heinhoferi, Eliae Ehingeri, Ge. Forſtenheuſeri, Ioach. Clutenii, Ioh. Valentini Andreae, Nic. Heinſii, Ioh. Ioach. Maderi, aliorumque ſtudio conquiſiti, partim ex publicis redemti auctionibus Bibliothecarum, e. g. Scriueriana, Vorſtiana, Lindeniana, Thyſiana caet. Poſt mortem ſummi huius Principis Ludouicum XIV. Galliarum Regem, conciliatore Boineburgio, tantum emere librorum theſaurum voluiſſe, perhibetur in CONR. SAM. SCHVRTZFLEISCHII *Introd. in Notit. Scriptorum, a* GODOFREDO WAGNERO *a. 1736. Vitemb.* edita, *P. 2. p. 23.* Sed renuit magno animo paterni Ducatus heres, Rudolphus Auguſtus, ſub quo noua ſubinde incrementa cepit Bibliotheca, ſingulisque diebus, et matutino et pomeridiano tempore, per aliquot horas, peregrinorum maxime cauſſa aperta fuit. Iuſſu deinceps Fratris ſereniſſimi, Antonii Vlrici, praeter Coenobii Weiſſenburgenſis Codices, centum

amplius,

amplius, plerosque Carolingicorum aetate exaratos, quos Henr. Iulius L. B. de Blum, in ſummo Tribunali Pragenſi Praeſes tunc vicarius, magna pecuniae ſumma vendidit, egregia volumina ex auctionibus Belgicis Maarſeueniana et Franciana, annoque 1710. ex Gudiana Bibliotheca, quod paullo ſupra diximus, omnes MSti Codices, inter quos non pauci veteris Latii ſcriptores erant, bis mille et quadringentis Imperialibus redemti fuerunt. Idem Princeps conſtituit etiam, vt in augendo quotannis librorum numero ad grandia potiſſimum et pretioſiora Opera ex hiſtoria ſacra, ciuili et litteraria, pariterque ex elegantiorum litterarum claſſe, reſpiceretur. Sub Auguſto Guilielmo haud contemnenda particula ex Wolfii Adami von der Thanne ſupellectile acceſſit: Ludouicus autem Rudolphus, Frater et ſucceſſor illius, complura adiecit Opera eximia, quae bis in Bibliotheca eius Blanckenburgenſi, longe ſplendidiſſima, reperta fuerant. Denique a. 1737. Auguſtae accreuit ſelectiſſimorum, partimque rariſſimorum, librorum copia, teſtamento legata ab Laur. Hertelio, per triginta circiter annos eidem praefecto. Iam sereniſſimus Dux, Carolus, qui Maiorum glorioſiſſimorum exemplo Muſas amat ac protegit, nouumque *Carolino* ſuo, Brunſuigae a. 1745. inſtituto, domicilium iis parauit, horum praetermittit nihil, quae ad ornandam augendamque Bibliothecam illuſtrem conducere videantur. Nunc ad rariora eiusdem, praecipue MSta, deueniendum. Eminent inter haec, quae ex celebratiſſima olim Budenſi Matthiae Coruini Bibliotheca cum in ipſa Hungaria, tum aliis in locis, haud modicis comparata ſumtibus fuerunt. Tot numerari tamen eorum, quot credidit olim STRVVIVS, ſcilicet ducenta fere, negatur a BVRCKHARDO *l. c. Parte I. p. 168.* additurque, certiorem numerum a IVLIO PFLVGK, Equite Saxonico, indicari in *Epiſtola ad Seckendor-*

ckendorfium p. 351. sq. Nouae Accessionis Schmidianae ad Maderum de Bibliothecis. Ibi vero tredecim recensentur tantum, quorum praestantissima sunt *Marsilii Ficini Epistolarum, ad Matthiam Coruinum scriptarum, libri VIII.* et *Barthol. Fontii Opera.* *) Serico raso rubro inuoluti sunt hi Codices Budenses, atque interius, elegantissimis Regis Matthiae, aliorumque illustrium virorum, ipsius etiam Ficini et Fontii imaginibus exornati, magnificentiam prae se regiam ferunt. Dignissima porro sunt, quae memorentur, quadringenta fere primae magnitudinis volumina, *Mazariniana* vulgo dicta, quae, corio compacta Turcico atque nitidissime inaurata, de publicis totius Europae rebus arcana complectuntur. Rem quidem adhuc dubiam credidit COLERVS ad hunc Struuii §phum, propter diserta CONRINGII verba *l. c. p. 203. apud Maderum*, vbi *vetuit*, inquit, *Princeps quidpiam eius sibi emi: ne quid ex illa in omne aeuum haud temere excusanda venditione*, (intelligitur hic Bibliotheca Mazariniana) *quam boni publici amore auersabatur, quid adueniens sacrae Augustae suae contaminaret.* Prouocat simul Colerus ad CHRIST. HENR. ERNDTELII, Medici quondam Dresdensis, *Relationem de itinere suo Anglicano et Batauo, litteris* C. H. E. D. *Amstael. a. 1711. in 8.* secundum editam, *p. 12.* et qui eum solide confutauit, virum hodie amplissima dignitate fulgentem, IOH. GEORG. BVRCKHARDVM, Iacobi Fratrem, in *Epistola ad Amicum, Hanouerae a. 1710. 8.* quam *altera Epistola* eius-

*) Inter haec *Notae* exstant *in Persium*, de quibus, caeterisque illius Auctoris scriptis, ex Codice Budensi adcuratius recudendis, cogitasse ipsum Augustum, Ducem, ac proinde cum Ge. Remo, Consiliario Norico, communicasse consilia, patet ex SCHELHORNII *Amoenit. litterar. Tomo III. p. 251. sq.* Mox prodierunt etiam dicta Opera, Remi studio, *Francofurti a. 1621. in 12;* sed rarius hodie occurrunt. Cf. BVRCKHARD. *l. c. P. I. p. 99. sq.*

eiusdem argumenti ſequuta mox eſt *ibid. a. 1711.* *) Sed clariſſime docetur in laudata *Hiſtoria Bibliothecae Auguſtae, P. I. p. 172.* Abrahamum a Wicquefort, qui Lutetiae tum commorabatur, annumque Auguſti ſtipendium percipiebat, Volumina iſta, olim Lomeniana, iuſſu ſumtibusque optimi Principis, deſcribenda curaſſe, antequam, relegato Cardinali, omnes Codices manu exarati ex eius Bibliotheca in Regiam tranſierint. Hinc recte negatur quidem, haec ipſa Volumina, quae viginti et quatuor mille Imperialibus Auguſto ſtetiſſe legimus in *Annal. Acad. Iuliae Semeſtri IV. p. 162.* ex publica Mazarinianae Bibliothecae auctione fuiſſe redemta; (nihil enim, pio conſilio, inde coemere Auguſtus voluit, quod admiratus tantopere eſt Mazarinus, vt magnam eximiorum Operum, Pariſiis in typographia Regia excuſorum, copiam, grati animi declarandi cauſſa, a. 1659. Duci generoſo donauerit,) neque tamen dubitandum amplius eſt, quin illorum exemplar ex memorata Bibliotheca profluxerit, quamquam permultos etiam Tomos ipſi Regii, variorumque illuſtrium virorum, theſauri librarii Wicquefortio ſuppeditarunt. Ad alia Bibliothecae Auguſtae MSta quod attinet, non minus praedicari debent *Xenophontis* et *Luciani* Codices membranacei, elegantes admodum, olimque ex Caroli I. Mantuani Ducis Bibliotheca, poſt captam a. 1630. a Caeſareis militibus vrbem, erepti; *Etymologicum magnum*, idque Graecum, in *Catalogo Bibl. Gudianae p. 539.* Photio Patriarchae attributum, de quo Opere, duo ſpiſſa volumina in folio minori exhibente, vid. *Supplem. ad Acta Erud. Lat. Tomo VI. p. 253. ſq.* et FABRICII *Bibl. Graeca Vol. X. p. 23; Ciceronis de inuentione Rhetorica libri II.* Codex perantiquus; *Valerius Maximus*, bonae

*) De aliis ſcriptis huc pertinentibus, iisque polemicis, conſulatur IOH. HENR. BVRCKHARDI *Bibliotheca P. I. p. 156.*

nae notae, quingentorum circiter annorum; *Fragmentum Lucretii*, nongentorum circiter annorum; *Persii Satyrae*, Codex non quidem ex optimis, eximius tamen, quum non nulla hic recte legantur, quae ipsi Casaubono negotium facessiuerint; *Suetonius*, *Sextus Rufus* et alia quaedam, Codex quinque saeculorum aetatem forte excedens, qui ad criticas operas posset esse vsui insigni; Septem *Ciceronis Epistolarum ad diuersos* exemplaria; *Terentii Comoediae*; *Iustini Historiarum libri*, MStum iure magni faciendum, quum Epitomen quoque Operis et Praefationem Iustini contineat, quae raro solet reperiri; *Quintiliani*, *Tibulli*, *Virgilii*, *Sallustii*, *Lucani*, pluriumque Scriptorum veterum monumenta, partim in membrana, partim in charta exarata. *Euangeliorum* rarissimus vetustissimusque *Codex*, Syriaca lingua, nec non charactere, quem Estrangelicum vocant, ante annos octingentos conscriptus, et Augusto ab Athanasio Kirchero dono datus; *Codex Noui Testamenti Graecus* saeculo circiter X. membranis inscriptus, de quo data opera egit IAC. FRID. HEVSINGERVS in breui Dissertatione *Guelpherb. 1752. 4*; *Codices varii Talmudici*; alius *Brachmanicus* in foliis palmarum, de quo vid. TENTZELIVS in *den monathlich. Vnterred. a. 1692. p. 990.*; non nulli *Collectaneorum Tomi*, qui ad continuationem *Centuriatorum Magdeburgensium* faciunt; *Herm. Hamelmanni Opera historica*, quae, Antonii Vlrici, gloriosae memoriae Principis, permissu, *Lemgouiae a. 1711. in 4.* edita fuerunt; *Ioh. Trithemii Steganographia*, Auctoris Autographum, ex Bauaria tandem Bibliothecae Augustae illatum; aliquot libri *Annalium de rebus Boiorum*, ipsa Ioh. Auentini manu scripti; *Codex* formae augustae elegantissimis exornatus picturis, in *quo varii Equites ex ludis Germanorum equestribus*, *Torneamenta vulgo dictis*, *delineati sunt*; *Codex Bibliorum*, quae vitro sunt vestita et compacta; *Liber, qui aperiri omni-*

omnibus poteſt partibus; (vt refertur in *Annal. Acad. Iuliae Semeſt. IV. p. 164. Corpus Iuris ciuilis*, Lugduni a. 1590. Volum. II. in f. excuſum, adiectis notis ipſa Dion. Gothofredi manu, eaque elegantiſſima, quod Opus Ludouicus XIV. Galliae Rex, interprete, quem Dreſdae habuit, Reſidente quodam, grandi pecuniae ſumma redimere iterato voluit a priori poſſeſſore, Gottlob de Werther, Equite doctiſſimo, vt teſtatur idem apud Celeb. BVRCKHARDVM *Hiſt. Biblioth. Aug. P. III. pag. 273*; permultae *Epiſtolae eruditorum autographae*, ad illuſtrandam Reformationis hiſtoriam praecipue pertinentes, et alia plura, quibus recenſendis immorari non licet. Iam enim, ante ſaeculum fere integrum, numeratos eſſe bis mille circiter Codices Graecos, Latinos, Ebraicos, Arabicos, aliarumque linguarum, et quidem optimae notae omnes, complures adhuc typis non impreſſos: deprehendi vero in illo Manuſcriptorum ordine ſimul incomparabilem theſaurum, et in Germania quidem nusquam antehac viſum, prope ſeptingentorum, magnam partem ſpiſſorum omnique pagina pleniſſimorum, primae magnitudinis voluminum de arcanis negotiis ac rebus praecipuis Germaniae vniuerſae, Galliae, aliarumque Rerum publicarum Europae, CONRINGIVS adfirmat *apud Maderum pag. 225*. Quae Bibliothecae ornamenta, quantopere accreuerint poſt Auguſti e vita diſceſſum, vel ex ſolo Gudianorum Codicum Indice haud obſcure perſpicitur. Idem vir doctus *l. c. p. 215.* librorum excuſorum numerum iniit. Teſtatur ſcilicet bona fide, reperiri in Auguſta librorum ſeparatim ſubſiſtentium centena ſedecim millia,* volumina autem, in quibus

 plures

*) Non ſatis recte hunc numerum intellexit IOH. HVBNERVS; ſcripſit enim in *den kurtzen Fragen aus der politiſch. Hiſtoria, Parte VI. p. 299. edit. a. 1703.* de Bibliotheca Auguſta: *welche nunmehro ſchon ſechzehn mahl hundert tauſend Bücher begreifet.* Dicendum potius erat: *Hundert und ſechzehen tauſend.*

plures libri coniuncti exstent, vicesies octies mille. Nunc longe aliter calculi essent subducendi, quum ex eo tempore, vsque ad nostram hanc aetatem, non pauca quantiuis pretii Opera singulis annis accesserint. Inter haec pariter ac priora ingens occurrit rarissimorum collectio, eorum etiam, quae saeculo XV. prodierunt. Totius Bibliothecae Catalogus nondum diuulgatus est, nec sperandus facile talis; solus enim MStorum Index aliquot requireret maioris formae volumina, si omnia diligenter adcurateque describi deberent. Cf. BVRCKHARDI *Praefatio, Tomo I. Hist. Bibl. Aug.* praefixa, *pag. 11. in fine.* Posset tamen eorundem haberi delectus, ita quidem, vt Goetzii exemplo, a quo Bibliothecae Regiae Dresdensis Memorabilia accepimus, Augustae etiam Bibliothecae praestantiora Cimelia communicarentur cum eruditis, et vbique obseruationes historico-criticae adiungerentur. Cf. quae monet SPIZELIVS in *Diss. praeliminari de Biblioth. pag. 175. Accessionis I. Schmidianae ad Collectionem Maderianam.* Interim id notatu dignissimum est omnino, laboriosissimum Conditorem tria Catalogi Volumina in charta, formam ordinariam excedente, sua conscripsisse manu, quae hodie inter MStos Bibliothecae Codices, sempiternae memoriae caussa, adseruantur, summaque omnes admiratione adficiunt. Bibliothecarium Augustus non habuit, sed ipse dispofuit et curauit libros, imo, quod mireris, titulis quoque dorsa eorum insigniuit. Rudolphus autem Augustus primum id muneris detulit Dauidi Hanisio, Holmia, vbi Regis Suecici Ecclesiastes aulicus, diuersarumque Bibliothecarum Holmiensium Inspector fuerat, a. 1666. Guelpherbytum arcessito. Eum a. 1682. sequutus est Michael Ritthalerus, Hungarus, per complures annos religionis caussa exsul. Successerunt a. 1685. Casp. Adam. Stengerus; a. 1690. Godofr. Guil. Leibnitius; a. 1716.

Laur.

Laur. Hertelius, qui iam inde ab a. 1705. Leibnitio ſaepius abſente partes eiusdem geſſerat; annoque tandem 1738. Iacobus Burckhardus, Gymnaſii antea Hildburghuſani Profeſſor, vir hiſtoriae litterariae peritiſſimus, qui vero menſe Auguſto a. 1752. diem obiit ſupremum. Hiſtoriam Bibliothecae Auguſtae, ab eo praeclare ſcriptam, ſupra commendauimus. Addi huic Operi poteſt IOH. SCHWARTZKOPFFII, Cancellarii, *generalis Sciagraphia Bibliothecae Auguſtae*, edita primum *a. 1649. in 4.* recuſa mox *Londini a. 1650. in 12.* annoque *1660. Guelpherbyti typis Sterniis in 4.* longe auctior reddita ſtudio, vt videtur, SAM. CLOSII, tum in Conſiſtorio Ducali Adſeſſoris, poſt Monaſterio S. Mariae Magdeburgenſi Praepoſiti. Singulae hae editiones rariſſime nunc inueniuntur, ideoque dignum plane fuiſſet Opuſculum, quod Maderus, vt facere initio decreuerat, Collectioni ſuae de Bibliothecis inſeruiſſet, maxime quum legantur in eo non nulla, quae in luculentiſſima caeteroquin Conringii Epiſtola fruſtra quaeſiueris. De variis huius Epiſtolae editionibus dictum iam eſt *Capite II. §. 2.* quo Lectores noſtros remittimus. *Septem* potiſſimum *Admiranda* Bibliothecae Auguſtae enarrat Auctor, 1.) quod originem debeat Principi, qui et collegerit eam, et optimo ordine diſpoſuerit, 2.) quod vnus ille Princeps, nemine praeeunte, non inceperit modo Auguſtam ſuam, ſed ad magnitudinem quoque tam ſtupendam produxerit, 3.) quod ſuis omnia ſumtibus ex Germania, Gallia, Italia, Hiſpania, Britannia et Belgio comparauerit, 4.) quod Bibliotheca immenſa librorum inſtructa ſit multitudine, et tamen 5.) praeſtantiſſimorum gaudeat ſelectu, 6.) quod adcurata eorundem diſpoſitio, et 7.) egregia loci, ſiue domicilii, conditio maximum illi decus conciliet. Ad diſpoſitionem quod attinet, tota Bibliotheca ab ipſo auguſto Conditore in viginti partes generales, ſecundum diſciplinas,

plinas, diuiſa eſt, nimirum in *Theologica, Iuridica, Hiſtorica, Bellica, Politica, Oeconomica, Ethica, Medica, Geographica, Aſtronomica, Muſica, Phyſica, Geometrica, Arithmetica, Poetica, Logica, Rhetorica, Grammatica, Miſcellanea, ſeu Quodlibetaria*, ac denique *Manuſcripta.* Placuit autem hoc ſaeculo, vt tres nouae accederent claſſes, quae in exterioribus ſuperioris contignationis armariis ſeparatim conſpiciuntur, et *Hiſtoriam litterariam, Hiſtoriam antiquam*, ad quam *Numiſmatica* etiam relata ſunt, itemque *Hiſtoriam eccleſiaſticam* exhibent. Nuperrime de illuſtri hac Bibliotheca varia vulgata ſunt in VFFENBACHII *merckwürdig. Reiſen, Parte I. pag. 308. ſq.*

§. XI.

Halberſtadii non paucae exſtant Bibliothecae publicae. Tales ſunt

I.) Bibliotheca *Eccleſiae Cathedralis*, quam ſupra fidem ſumtuoſam, prope ipſum Templum, inſtituerat primum Haimo, Epiſcopus tertius, et anno quidem octingenteſimo quadrageſimo ſecundo. Sed ea a. 1180. funeſto incendio, a furioſo Henrici Leonis milite excitato, penitus conflagrauit. Cf. PAVL. ANTONII *Diſſ. de vita et doctrina Haimonis, Epiſcopi Halberſtad. Halae Magd. 1700. in 4. pag. 8.* et cum primis V. C. CHRISTIANI GOTHOFR. DERLINGII *Commentarius de Haimone, Epiſc. Halberſtad. Helmſtadii a. 1747. 4. p. 29. et 30.* Mox igitur de noua Bibliotheca condenda cogitatum eſt, quae ſaeculo XV. permagna librorum, in principiis inuentae typographiae editorum, copia adoleuit. Acceſſerunt poſtea multi, iique praeſtantiſſimi libri, a Iulio, Duce Brunſuicenſi ac Luneburgenſi, eiusque Filio, Henrico Iulio, Epiſcopo Halberſtadienſi, donati, quorum perſequuti ve-

ſtigia ſunt Tobias Pauermeiſterus a Kochſtedt, Henric. von der Lühe, Euſtachius et Erneſtus a Boythel, Chriſtoph. a Dorſtad, pariterque Hermann. Neuwaldus, Diaconus Eccleſiae Cathedralis. Horum enim virorum libri, cum iuridici et hiſtorici, tum theologici, hic adſeruantur, legati ſine dubio ab iisdem. Complures aliorum donationes praetermittimus ſilentio, idque obſeruamus tantum, inter maiora incrementa omnino locum vindicare ſibi partim egregios libros, inde ab a. 1620. vsque ad annum 1631. congeſtos a Sodalibus Ordinis Ieſu, qui tunc temporis Eccleſiam Cathedralem poſſidebant, partim integram librariam mercem, ex bibliopolae cuiusdam obaerati taberna deportatam in Bibliothecam. Praefecti eidem hoc ſaeculo fuerunt Rittnerus, Eccleſiae ſacerdos, Petr. Adolph. Boyſen, Rector tum Scholae Adiunctus, et Georg. Venzky, vir clariſſimus, iam Scholae Prenzlauienſis Moderator, qui omnem lapidem mouit, vt ille theſaurus, antea abſconditus, communis vtilitatis gratia, certis diebus recluderetur. Sed poſt eius diſceſſum antiqua denuo introducta conſuetudo eſt, neque multum curatur Bibliotheca a Capitularibus, eo quippe modo haud adſpirantibus ad nominis immortalitatem.

II.) Bibliotheca *Eccleſiae, B. Mariae Virgini conſecratae*, numero quidem Cathedrali inferior, at variis tamen magni momenti Operibus, et vetuſtis et recentioribus, MStisque Codicibus quibusdam, inſtructa. Iam vnusquisque Canonicorum, quamprimum emolumenta percipit, libro eandem auget, ſeptuaginta minimum Imperialibus aequiparando.

 III.) Bi-

III.) Bibliotheca *in Templo S. Martini*, quae originem habet a libraria ſupellectile Heroldi, Paſtoris, ſaeculo ſuperiori teſtamento relicta. Multi in ea libri excuſi, extremae antiquitatis, occurrunt.

IV.) Bibliotheca *illuſtriſſimi Regiminis*, quae ſatis ampla eſt, et quouis adhuc anno librorum optimorum copia ex certis reditibus, ideo conſtitutis, locupletatur. Praefuit illi a. 1743. conſultiſſimus Lucanus, Regi Boruſſorum ab aulae conſiliis, qui an et hoc ipſo, quo ſcribimus, tempore, illa ſuſtineat munia, ignoramus.

V.) Bibliotheca *Reformatorum* haud ita pridem condita, ex quo colligi poteſt facile, nondum eam litterariis abundare ſubſidiis. Habet interim rariora non nulla, quae, prae multis aliis Bibliothecis, hoc in genere dant ei praerogatiuam.

VI.) Bibliotheca *Franciſcanorum*, ſeu *Diſcalceatorum*, egregio librorum adparatu ornata, cum recentiorum, tum eorum, qui primo poſt inuentam typographiam ſaeculo prodierunt.

Nec *Monaſteria S. Dominici* atque *S. Iohannis* ſuis deſtituuntur Bibliothecis. Vid. de his omnibus, deque priuatis quibusdam, clariſſimi viri, GEORG. VENZKY, *Nachricht von den Halberſtadiſchen Bibliotheken*, in *der Hamburg. vermiſchten Bibliothec, Tomo I. pag. 266. ſq.*

Halae Magdeburgicae quatuor Bibliothecae publicae notari merentur.

Prima eademque antiquiſſima eſt, quae ad *Templum Marianum* pertinet, quandoquidem Sebaſtianus Boëtius, Praeſul Sacrorum Halenſium, Paſtorque ad hanc Aedem primarius, adiuuantibus ſumtusque ſuppeditantibus iis, qui Eccleſiae adminiſtrabant reditus, a. 1560. Bibliothe-

cam

cam in loco quodam edito ſuper Templi ſacrarium adornare coepit, vetuſtorum librorum ſupellectili, ex Monaſteriorum variorum Bibliothecis congeſtae, ſingulis annis addens quos vel ad preces ipſius aliorum contulerat liberalitas, vel ex bonis Eccleſiae ipſe coemerat. Parem, ſi non maiorem, in augenda Bibliotheca illa operam collocauit Iohannes Olearius, quartus Halae Lutheranae Antiſtes. Maxime autem acceſſio memoranda eſt per Bibliothecam Diſtelmeierianam facta; haec enim, ter mille ac trecentis inſtructa voluminibus, a Lamberti Diſtelmeieri, Cancellarii quondam Brandenburgici, genero, Ioh. Caſim. Comite de Lynar, a. 1615. ducenis et quatuor millibus Florenorum Miſnicorum comparata fuit. Eadem ratione illati ſunt Bibliothecae libri ii omnes, quos Chriſtian. Guil. Stiſſerus, Medicus et Phyſicus in patria ordinarius, a. 1651. vitam cum morte commutans reliquerat. Laudatur etiam pietas Ioh. Mülleri, Eccleſiae Adiuncti, qui quum a. 1682. peſte oppreſſus prolem nullam haberet, non nihil bonorum ſuorum legauit, vt eorum ex reditibus libri emerentur quotannis, publicaeque Bibliothecae insererentur. Maiora adhuc praeſtitit, et magnificum memoriae ſuae monumentum erexit Ioach. Oelhafius, Scabinatus Halenſis Adſeſſor doctiſſimus. Is nimirum, quod liberis erat deſtitutus, Bibliothecam ſuam, elegantiſſimis et rarioribus, Italica praeſertim Gallicaque lingua conſcriptis, Operibus refertiſſimam, et mille ſexcenta amplius volumina continentem, per donationem inter viuos Eccleſiae Marianae addixit. Quum igitur pius ſenex a. 1690. diem obiiſſet ſupremum, ſtatim haec eius Bibliotheca in Marianam immigrauit; ſepa-

ratim tamen, ex donatoris voluntate, collocata eſt. Sperarant eiusdem curatores aliud incrementum e libraria ſupellectile Ioh. Ge. Simonis, Profeſſoris et ICti Halenſis, a. 1696. morte exſtincti; ſed interceſſit Ordo ICtorum, qui tandem, poſt longam cum Eccleſia Mariana litem, eo rem perduxit, vt Bibliotheca Simoniana Academicae attribueretur. Vid. IOH. PETRI a LVDEWIG *Praefatio*, *Tomo II. Conſilior. ICtor. Halenſium*, *Halae 1734. in f.* praemiſſa, *§. 59. p. 58.* Reſarcire vero damnum exinde factum ſtuduerunt primum Andr. Ockelius, Conſul Halenſium, qui a. 1718. ſine liberis decedens, integram ſuam Bibliothecam teſtamento legauit, deinde Fridericus Hoffmannus, Medicus ille celeberrimus, quippe qui ante duo, et quod excedit, luſtra quatuor Codices manu ſcriptos, et, praeter libros ab ipſo editos, quadringenta triginta quinque volumina, typis impreſſa, Bibliothecae Marianae largitus eſt, docente id IVSTI ISRAEL. BEYERI *Indice librorum*, *quos Fridericus Hoffmannus Bibliothecae Marianae donauit. ibid. a. 1740. in 4.* Tacemus aliorum liberalitatem, e. g. Frid. Hohndorffii, Conſiliarii in Regimine et Conſiſtorio Magdeburgico, reique ſalariae apud Halenſes Iudicis, et Ioh. Andr. Ockelii, in Scabinatu Regio Adſeſſoris, ciuitatisque Conſulis meritiſſimi. Ab hoc enim Codicem Theodoſianum, cum Iac. Gothofredi commentariis Lugd. a. 1665. editum: ab illo contra integrum Diarium Europaeum Bibliotheca Mariana accepit. Inter MSta, quorum non ita magnus eſt numerus, et quae, vna cum Diplomatibus, ad res Halenſes atque Magdeburgicas praecipue ſpectant, praeſtantiora ſunt *Pentateuchon Moſaicum*, Ebraice in membranis maioribus, inter ſe

combi-

combinatis exaratum, ita, vt longitudo ad ſexaginta et ſex vlnas Halenſes procedat; *Alcoranus Turcarum* eleganter ſcriptus, in expugnatione olim Albae Graecae a Centurione quodam Brandenburgico ereptus hoſtibus, poſteaque Bibliothecae Marianae donatus; *Terentii Codex* membranaceus in 4; Non nulli *Sinenſium Codices*; *Folia* item *arborum de Cacao*, in quibus Indi ferreo ſtilo litteras inſculpſerunt. Librorum typis impreſſorum, quorum iam a. 1710. decem circiter millia numerati ſunt, rariſſimus eſt et vetuſtiſſimus, qui inſcribitur *Sermones aurei de Sanctis, Fratris Leonardi de Vtino, Sacrae Theologiae Doctoris, Ordinis Praedicatorum.* Adiectus eſt annus 1446. de quo tamen plures adhuc fluctuant animo, ipſe BAELIVS etiam in *Dict. hiſt. crit.* voce *Vtino.* Noſtri iam non eſt inſtituti, rei huius veritatem exquirere adcuratius. Vid. interim Chriſtiani Muſophili (i. e. IOH. CAROLI BEQVINGNOLLE) *Diſſ. de Nundinatione munerum publicorum, bonis litteris exitiabili, Lipſ. 1747. 4. p. 50. ſq.* vbi Epiſtolarum, quae huc pertinent, Triga occurrit. Ex verborum connexione intelligendus eſſe videtur annus, quo librum confecit Leonardus. Iam Bibliotheca laudata in aedificio lapideo, quod contra Templum Marianum eſt, adſeruatur, circa a. 1610. eo tranſlata. Patet hora prima pomeridiana diebus Martic ac Veneris, eique hodie praefectus eſt conſultiſſimus vir, Ioh. Ge. Franckius, Scabinus Regius. Caeterum quae ex CHRISTIANO HEROLDO *de orig. et increm. vrbium p. 50.* MARTIN. ZEILERVS *de X. circulis Imperii p. 1058. edit. Norimb.* et ex eo STRVVIVS nouiſſime adduxit, TENTZELIVSque repetiit in *der Curieuſen Bibliothec, Repoſit. I. p. 453.* ſcilicet, quod Wallenſteinius,

nius, Dux Fridlandiae, huius Bibliothecae potiorem partem in bello tricennali asportauerit, illamque mago suo, Binnouio, donauerit, ea de Bibliotheca Mariana vix poterunt intelligi, tum quia libri omnes, quos Catalogus Distelmeierianus indicat, adhuc supersunt, tum quia Bibliotheca haec nunquam est Episcopalis vocata, cuius tamen CHRISTIANVS LEHMANNVS meminit im *historisch. Schauplatz der natürlich. Merckwürdigk. in dem Meisnischen Ertzgebürge, Lips. 1699. 4. p. 746.* vbi haec: *Dieser* (Binnouius) *hatte bey dem Alberto Grafen von Wallenstein grosse Gunst und Gnade, weil er ihm viel Dinge prognosticiret, vnd von ihm die Liberey des Bischoffs zu Halle bekommen, welche er aber, seinem Vorgeben nach, dem Gerauischen Herrn umb eine gültene Kette, vnd etliche 100. Ducaten verstochen.*

Altera Halensium Bibliotheca *Academica* est, de qua adornanda haud multo post ipsius Vniuersitatis Fridericianae natales serio Professores cogitarunt, larga manu suas conferentes symbolas. Id etiam agebatur in aula Berolinensi, vt insignis Conr. Sam. Schurtzfleischii, Professoris Vitembergensis, Bibliotheca, concesso possessori per totam vitam vsu eius, ad Halensem Academicam perueniret; sed obstitit consiliis fortuna, prout memorat a LVDEWIG *l. c. §. 57. p. 55.* Postea Senatus Gedanensis haud leuem librorum copiam transmisit, cuius liberalitatem verba haec loquuntur, in fronte singulorum librorum obuia: *Bibliothecae Academiae Fridericianae hunc librum donauit illustris Senatus Gedanensis, a. 1696.* His adiuncti fuerunt a. 1698. omnes ii libri, qui bis terue in Bibliotheca Electorali Berolinensi exstabant: partim quoque dimidium Bibliothecae,

quam

quam Academiae teſtamento reliquerat integram Ludouicus, Princeps Würtembergicus, a. 1698. Iſenaci viuorum numero ereptus, *) partim, vt paullo ſupra diximus, Ioh. Georg. Simonis libraria acceſſit ſupellex, Hiſpanorum in primis ICtorum plena. Maximum tamen incrementum ornamentumque debetur munificentiae illuſtriſſimi Academiae Curatoris, Dan. Ludolphi L. B. de Danckelmann, qui Bibliothecam ſuam inſtructiſſimam et ſplendidiſſimam eidem legauit. Illa in ſingulari repoſita conclaui, vna cum picta poſſeſſoris ſuper fores imagine, conſpicitur. Ad haec certa pecuniae ſumma in priuilegiis ac ſtatutis Academiae definita eſt, vt ſingulis annis librorum, quorum iam vndecim circiter millia volumina praeſto ſunt, augeſcere adparatus queat. Inter Codices manu exaratos notari merentur *Pentateuchus Ebraicus* trecentorum foliorum membranaceorum in forma maiori, cum punctis et accentibus itemque Maſora; *Biblia Latina S. Hieronymi integra* in f. membranis elegantiſſime inſcripta; Codex antiquus membranaceus, continens *Lexicon reale Biblico-eccleſiaſticum; Coranus Arabice,* cum Metaphraſi interlineari Turcica, in charta dentata in f. ſcriptus ac perrarus, quem donauit vir reuerendus, Chr. Bened. Michaelis, Bibliothecarius; Volumen, magna ex parte autographum, *litterarum Ioh. Sigiſmundi*, Electoris, et *Ioh. Georgii*, nec non *Georgii Guilielmi*, Marchionum Brandenburgicorum, *Principum* item *Anhaltinorum,* aliorumque, caet. Patet Bibliotheca diebus Iouis, Veneris ac

*) Suam eſſe Principis huius Bibliothecam contendit Academia Tubingenſis, ipſi quippe iam antea donatam. Inde res venit ad pactionem, ita quidem, vt alteram portionem tolleret haec, alteram Halenſis Fridericiana retineret.

ac Saturni hora pomeridiana prima vsque ad secundam.

Accedamus ad Bibliothecam tertiam, quam *Orphanotropheum*, praeter Museum, nummis variis, rebusque naturalibus et arte factis, locupletissimum, habet in suburbio, Glaucha adpellato. Prima eius fundamenta accepta refert liberalitati Friderici Bercklingii, Holsati, Ioh. Frid. Rouppii, antea verbi diuini praeconis in Alsatia, tandem Facultati Theologicae Halensi Adiuncti, et Iusti Lüdersii, Antistitis generalis Halberstadiensis. Vtriusque huius viri obitus incidit in annum 1708. Praecipue vero Lüdersii supellex libraria, satis numerosa, ita amplificauit Orphanotrophei Bibliothecam, vt mox nouum, idque spatiosius, ad recipiendam hanc accessionem conclaue adornandum esset. Quum vero a. 1719. et a. 1721. egregiae Bibliothecae, a Carolo Hildebrando L. B. de Canstein, nec non ab Andr. Achille, Philosophiae Magistro, legatae, librorum numerum longe maiorem reddidissent, de separato domicilio cogitandum fuit, quod cura Aug. Herm. Franckii coeptum, et post eius mortem a. 1728. consummatum est. In eo igitur adseruantur hodie amplius octodecim voluminum millia, quae augeri quotannis solent. Non pauca in tanta collectione reperiuntur magni pretii Opera. Talia sunt e. g. *Bibliotheca maxima Patrum*; *Acta Sanctorum*; *Harduini Concilia*; *Vghelli Italia sacra*, ex editione secunda; *Tractatus Tractatuum vniuersi iuris*; *Corpus Historiae Byzantinae*; *Gronouii Thesaurus Antiquit. Graecarum*, caetera. Nec MSta desunt, quorum praestantiora putantur *Anonymi Vita S. Annonis*, Archiepiscopi Coloniensis et *Euangelium Nicodemi*, vterque liber in membranis; *Autographa Lutheri*, *Melanch-*

Melanchthonis, *Aurifabri*, *Pomerani et aliorum*; *Alcoranus Arabicus*, nitide ſcriptus; Varia item *Syriaca*, *Turcica*, *Arabica*, *Armenica*, *Ruſſica*. Omnes ad hanc Bibliothecam aditum habent diebus Martis ac Iouis hora poſt meridiem prima.

Denique memoranda eſt Bibliotheca in *Gymnaſio illuſtri Reformatorum*, quae ab exiguis profecta initiis inſigniter creuit librariis diuitiis Samuel. Andreae, Theologi Marburgenſis, et Ioh. Erneſti Andreae, in aula Berolinenſi Sacerdotis, patris ac filii. Huius poſt obitum laudata Bibliotheca aequiſſimis conditionibus a. 1734. addicta eſt Gymnaſio. Sunt in eadem cum primis Patres eccleſiae veteris magno numero, multique libri theologici, hiſtorici ac philologici, hodie rariores.

Inter priuatas Halenſium Bibliothecas celeberrimae olim fuerunt *Gundlingiana* et *Ludewigiana*, de quarum Catalogis ſupra *Cap. I. §. 23.* eſt actum: iam *Baumgarteniana*, rarioribus libris ornatiſſima, mirifice laudatur. Vid GE. FRID. NEVMANNI *Epiſt. de Biblioth. Halenſi*, *Halae Magd. 1710. in 4.* et illuſtris a DREYHAVPT *Beſchreib. des Saal-Crayſes P. II. cap. 6. p. 217. ſq.*

Hamburgum, ille Germaniae oculus, tribus Bibliothecis publicis gaudet, nimirum

a) Bibliotheca *Senatoria*, ad S. Iohannis aedem, a. 1650. Gymnaſio illuſtri addita. Illa a. 1529. cum ipſa ſacrorum emendatione coepit, ac poſtea, dicto Gymnaſio a. 1613. ſolemniter conſecrato, ad communem Studioſorum vſum aperta eſt, auctore praecipuo Sebaſt. a Bergen, Conſule Rei publicae, qui et ſuam librorum ſupellectilem a. 1623. eidem teſtamento reliquit. Huius exemplum ſequuti ſunt viri doctiſſimi Fridericus Lindenbrogius, Eccleſiae Cathedralis Canonicus, a. 1648. Paul. Marqu. Slegelius, Medicinae

dicinae Doctor ac Phyſicus vrbis, a. 1653; Ioh. Adolph. Taſſius, Mathem. Profeſſor, a. 1654; Ioach. Iungius, Prof. Phyſices ac Logices, a. 1657; Thomas Sellius, Choro Muſico Praefectus a. 1663; Henr. Langenbeck, patria Hamburgenſis, Ioh. Friderici, Ducis Brunſuic. ac Luneburgenſis Conſiliarius intimus et Cancellarius, a. 1669; et Vincent. Placcius, Philoſophiae moralis et Eloqu. Profeſſor a. 1699. quorum Bibliothecis ita creuit publica, vt iam voluminum typis impreſſorum quindecim millia complectatur, manu autem ſcripta plus quadringenta, nuper a celeberrimo Wolfio in ordinem redacta, inter quae ſchedae plurimae Lindenbrogii, Slegelii, Taſſii, Iungii, Schelhammeri et Placcii occurrunt, vt ipſe nos Wolfius docuit humaniſſimis litteris, menſe Maio a. 1750. perſcriptis. Sola Bibliotheca Langenbeckiana, hiſtoricis praecipue monumentis referta, octo minimum Imperialium aeſtimata eſt millibus, quam cognatus poſſeſſoris, Henr. Meurerus, Conſul, quum vltra viginti annorum ſpatium ſibi ſeruaret, et, ne deeſſet rei velamentum, apti loci, in quo ex voluntate teſtatoris ſeparatim illa reponeretur, defectum interſereret, tandem, Senatus ampliſſimi decreto coactus, a. 1691. exhibuit. *Verſuch einer żuverlaesſigen Nachricht von dem kirchlichen und politiſchen Zuſtande der Stadt Hamburg, ibid. a. 1731. ſq. in 8. Parte III. p. 968.* Hoc noſtro ſaeculo liberalitatem omnium longiſſime ſuperauit Ioh. Chriſtoph Wolfius, Paſtor quondam ad D. Catharinae Templum, qui vir doctrina ſcriptisque clariſſimus a. 1739. integram Bibliothecam ſuam, viginti et quinque circiter voluminum millia explentem, vrbi Hamburgenſi legauit. Inſignem haec MStorum et librorum rariſſimorum,

morum, Ebraicorum cum primis, copiam, ex Bibliothecis Vngeriana, Hinckelmanniana, Vffenbachiana caet. comparatam, ob oculos ponit, qua de re conf. *Leipz. gel. Zeit. a. 1722. p. 87.* MONTFAVCONII *Biblioth. MStor. T. II. p. 1166. sq.* ac *Thesaurus epistolic. La Crozianus Tomo II. p. 172. p. 240. et p. 246.* Iure superbit etiam stupendo adparatu *Epistolarum ab eruditis exaratarum*, quarum quadraginta, et quod excedit, millia in promtu sunt. Primum illae collectorem habuerunt Vffenbachium, cuius ex scriniis ad Wolfium peruenerunt, vt profitetur ipse in *Thes. epist. La Croziano l. c. p. 266. Apparatum illum*, ait, *aere non modico meum feci ab heredibus Vffenbachianis, septuaginta fere in f. et sexaginta in quarta forma voluminibus constantem, et epistolas maximam partem αὐτογράφους praestantissimorum virorum, qui inde a renatis doctrina puriore et litteris ad nostram vsque aetatem eruditionis laude claruerunt. Eminet inter has commercium litterarium, quod Boeclero, Berneggero, Bongarsio, Boineburgio caet. cum viris doctis intercessit. Dici non potest, quem fructum, quamue voluptatem ex illo euoluendo vel ceperim, vel capiam.* Quibus mox subiungit sequentia verba: *Iam operam do, vt supellectilem hanc, quoad possim, augeam, et tam felici mihi esse iam licuit, vt sex volumina reliquis illis addiderim, praeter octo sat spissa illarum epistolarum, quas ipse ego a viris doctis accepi, inter quas tuae illae* (scripsit haec ad La Crozium) *et numero et pondere agmen ducunt. Quoties agmen hoc musicum adspicio, toties versari mihi videor in Parnasso non ficto, quem praestantissimi musagetae et ornant et muniunt. Doleo, desiderare me illum epistolarum apparatum, quas Vffenbachius, ὁ μακαρίτης, vel dedit ad alios, vel ab aliis accepit. Illum scilicet*

vir optimus clar. Schelhornio donauit, ea lege, vt ad vitam suam luculentius describendam eo vteretur, quod se facturum Schelhornius ipse per litteras mihi testatus est. Plura de hisce cimeliis legi possunt in *Conspectu supellectilis epistolicae et litterariae, manu exaratae, quae exstat apud Ioh. Christoph. Wolfium, obseruationibus variis distincto. Hamb. a. 1736. in 8.* Add. de incrementis illius adparatus *Thes. epist. La Crozianus l. c. pag. 272.* Tantam igitur librorum multitudinem quum non caperet locus antiquus, vbi publica seruabatur Bibliotheca, nouum, idque pulcherrimum, ante hos decem annos, remotis feliciter, quas plebs a Musis auersa attulerat, difficultatibus, auspiciis magnifici Senatus exstrui coeptum est aedificium, ad optatum perductum finem, dedicatumque solemni ritu, mense Martio a. 1751. Vid. viri clarissimi, PAVLI SCHAFFSHAVSEN, Eloquentiae Professoris, *Orat. panegyrica, recitata in solemni dedicatione aedificii Gymnasio atque Bibliothecae publicae Hamburgensi a fundamentis restituti, Hamb. 1751. in f.* His Bibliothecae publicae thesauris V. C. Io. Christianus Wolfius, Ioh. Christophori frater, adiecit a. 1749. MStorum, magnam partem nobiliorum, mille circiter ac ducenta volumina, ex Vffenbachii supellectile reliqua, eiusque ab heredibus vilissimo pretio, mille nimirum Imperialibus, redemta, quorum *Catalogus*, lectu dignus omnino, *Frf. ad Moen. a. 1747. in 8.* prodiit. Accesserunt a. 1750. alia quaedam ex Loescheriana Bibliotheca, vna cum quatuor fere Epistolarum millibus, ipsa variorum eruditorum manu scriptarum. Ad minora Bibliothecae Senatoriae incrementa referri debent nouem ac viginti MSti Codices, a Luca Holstenio superiori aetate legati; Centum et quinquaginta

ginta circiter libri, a Bernh. Raupachio, ad D. Nicolai Templum Sacerdote, liberaliter donati, quibus vir beatus ad componendam hiſtoriam Auſtriae eccleſiaſticam vſus fuerat; *Decretum* item *Gratiani*, *Codex*que *Iuſtinianeus*, quae volumina, litteris initialibus pictis ac deauratis, figurisque variis exornata, et ſplendidiſſime compacta, ex Bibliotheca Nicolai Stampeel, Conſulis meritiſſimi, ab heredibus eius, memoriae cauſſa, a. 1750. illata publicae ſunt. Vtrumque Opus *Moguntiae* impreſſum eſt membranis, et illud quidem *a. 1472.* hoc *a. 1475. in forma maiori.* Bibliothecarios recenſet FABRICIVS in *Memor. Hamb. Vol. II. p. 1119.* Hi fuerunt Georg. Schumacherus, Ioh. Blomius, αὐτόχειρ, Franciſcus Hoppe, Dauid Schelhamerus, ac Petrus Surlandus, quo a. 1748. mortuo haec prouincia viro doctiſſimo, Ioh. Chriſtiano Wolfio, delata eſt, ſimulque conſtitutum a Senatu ampliſſimo, vt in poſterum quidam ex Gymnaſii Profeſſoribus huius Bibliothecae ſemper curam agat. Laudatus Wolfius, qui nunc, vna cum doctiſſimo Schaffshauſenio, in conficiendis librorum Indicibus ſtrenue eſt occupatus, eam ſingulis annis ita locupletare ſtudet, vt, ſi antiquam cum Wolfiana coniunxeris, quinquaginta fere librorum excuſorum, manu autem ſcriptorum tria quatuorue millia hoc tempore poſſint numerari. Nec deſunt rariora naturae et artis, numiſmatum item adparatus. MICH. KIRSTENIVS edidit *Memoriam Bibliothecae Hamburgenſis a. 1650. ſtructae, Hamb. 1651. in f.* et *in 4.* recuſam deinceps in FABRICII *Memor. Hamburg. Vol. II. p. 1097. ſq.* Opuſculum illud, praeter inſcriptionem metrico-proſaicam, poema de facie, ſtructura et picturis illius Bibliothecae heroicum com-

plectitur. Male a PHIL. LABBEO in *Bibliotheca Biblioth. p. 125. edit. Lipſ.* Auctoris nomen, quod adiectum eſt, omitti, PLACCIVS iam monuit *de Anonymis et Pſeudon. cap. X. p. 77.* Longe tamen ineptius iſte Kirſtenii labor a MART. LIPENIO in *Biblioth. Philoſoph. p. 195.* Iacobo Rebenlino tribuitur, Senatus Hamburgenſis typographo, e cuius ſaltim officina prodiit. Sic etiam RVDOLPH. CAPELLVS *Lectionibus* ſuis *bibliothecariis* praemiſit ſcriptum Germanicum hoc titulo: *treugemeinte Erinnerung eine öffentliche Bibliothec anzurichten, zu erhalten und zu verbeſſern*, quod ad hanc Bibliotheam facit, et nunc recuſum exſtat apud FABRICIVM *l. c. pag. 113. ſq.* Add. IOH. MOLLERI *Iſagoge ad Hiſtor. Cherſoneſi Cimbricae P. IV. cap. X. p. 620.* et CONRAD. IVLII SVRLAND *Orat. de felici conditione illorum, qui in Gymnaſio Hamburg. ſtudiis operantur, ob librorum et Bibliothecarum in hac vrbe copiam*, quae inſerta eſt FABRICII *Iubilaeo primo Gymnaſii Hamburg. pag. 27. ſq.* Vterque enim Auctor Bibliothecae Senatoriae hiſtoriam concinne expoſuit.

β) Bibliotheca *Eccleſiae Cathedralis.* Primum Anſcharius, Archiepiſcopus Hamburgenſis, Bibliothecam omni librorum genere inſtructiſſimam, quam ipſe Ludouicus Pius, Imperator, eidem donauerat, intra clauſtra Monaſterii Cathedralis ſaeculo IX. condidit, quae vero, capta a. 845. a Normannis vrbe, vna cum ipſo Templo Cathedrali et alia omni ſupellectile, fuit exuſta. Vid. ALBERT. CRANTZIVS in *Saxonia lib. II. cap. 27.* et LAMBECII *Orig. Hamb. lib. I. p. 6. edit. Fabricianae in f.* Alia deinde Bibliotheca inſtituta eſt a Canonicis. ANDREAS CHRISTIAN. ESCHENBACH in *Epiſt. ad Ge. Matth. Koenigium*, quam SCHELHORNIVS *Amoenit. litter. Tomo V.*

 p. 194.

p. 194. exhibet, MSta quaedam membranacea, ibidem obuia, commemorat, et quidem duo *Iuuenalis*; duo *Virgilii*; duo *Metamorphoseos Ouidianae*; quatuor *Lucani* Codices; *Glossas ineditas in Lucanum*; *Ouidii libros Tristium et Fastorum*; *Scholia ad Ouidii Tristia*; item *Augustini Manuale*. Plura de hac Bibliotheca adiici iam nequeunt. Is enim, cui credita est eiusdem custodia, multis se adfici putauit incommodis difficultatibusque, si, quae decies rogatus fuerat, vel tribus verbis in chartam coniiceret.

γ) Bibliotheca *Templi Petrini*, in Sacrario collocata, quae libris non abundat quidem, at Codices tamen varios habet, membranis chartaeque inscriptos. Fuse recenset eosdem, vna cum obseruationibus litterariis et historicis, NICOL. STAPHORST in *Historia Ecclesiae Hamburg. diplomatica*, *Part. I. vol. 3. p. 138. sq.*

Priuatarum Bibliothecarum magnus etiam apud Hamburgenses numerus est. Prae caeteris egregiae sunt reuerendi *Schlosseri*, et, quas ipse olim vidi, consultissimi *Hintschii*, I. V. Doctoris, clarissimorumque Professorum, *Richeii* et *Reimari* Bibliothecae. *Schlosseriana* libris theologicis, *Hintschiana* iuridicis, *Richeiana* historicis ac litterariis, nitidissime compactis, *Reimariana* vero philosophicis ac philologicis itemque Orientalis litteraturae est refertissima.

De Bibliotheca Regia et Electorali *Hanouerana*, quae, aliquoties transportata, nunc inde ab a. 1719. in aedibus recens exstructis, vbi simul Tabularium custoditur, reposita exstat, schedas fide dignas, beneficio illustris Scheidii, accepimus, ex quibus potiora iam in medium sunt proferenda. Originem debet celeberrima haec Bibliotheca gloriosae memoriae multaeque eruditionis Principi, Iohanni Friderico,

Duci Brunſuicenſi ac Luneburgenſi, qui ante ſeptendecim circiter luſtra primum Herrenhuſae coepit libros colligere. Aucto ſenſim adparatu locus eidem in arce Hanouerana datus eſt, vbi a. 1678. Martini Fogelii, Profeſſoris Hamburgenſis, Bibliotheca, cum MStis, tum excuſis libris, et iis quidem in Hiſtoria ac Philoſophia naturali rariſſimis, admodum inſtructa, ſuaſuque Leibnitii duobus Imperialium redemta millibus, acceſſit. Temporibus Erneſti Auguſti, primi Principis Electoris, idem Leibnitius in itinere, per Italiam ſuſcepto, egregios acquiſiuit libros, maxime ex Emerici Bigotii et Godofredi Hermanti, eruditiſſimi Galli, Bibliothecis. Poſtea a. 1696. Weſtenholzii, Conſiliarii aulici, ſupellex libraria, iuridicorum Operum copia inſignis; ipſius Leibnitii, a. 1716. mortui, Bibliotheca priuata, rariorum cum primis Opuſculorum, quae Galli *pieçes volantes* dicunt, collectione, plurimisque Diſſertationum ſelectarum voluminibus conſpicua; anno 1729. Gerardi Wolteri Molani, Abbatis Loccumenſis, Bibliotheca, ſcriptis numiſmaticis abundans, cuius Catalogus *Hanouerae a. 1729. in 8.* prodiit, ſeptem millibus Imperialium comparata; et eodem tempore Erneſti Auguſti, Ducis Luneburgenſis, et Epiſcopi Oſnabrugenſis, integra Bibliotheca illata Regiae fuit. Neque parum incrementi attulerunt ei variae Bibliothecarum auctiones, ſcilicet Kielmanseggianae, Maſtrichtianae, Mallinkrotianae, Hattorfianae, Hahnianae, Hugonianae, Gundlingianae, Backmeiſterianae, Breithauptianae, Vffenbachianae, Plothonianae, Lautenſackianae, Boehmerianae, Rantzouianae, Lyſerianae, Hoffmannianae Vitembergenſis, Meibomianae, Treuerianae, Burckhardianae; Ludewigianae, Grammianae, aliorumque, quas nominare nihil attinet. Patet igitur luculenter, quantum curae, quantumque aeris, in amplificandam et exornandam hanc Bibliothecam fuerit impenſum.

Duci

penſum. Maioribus etiam creſcere in dies auctibus poteſt, quum ordinarii, quos Rex Auguſtiſſimus quotannis ei deſtinauit, reditus ſexcentorum Imperialium ſummam faciant. Praecipua eiusdem pars ad Hiſtoriam et Ius publicum ſpectat, cui Antiquitatum ac rei litterariae theſaurus haud vulgaris ſuccedit; iamque Eccardi aetate, de quo mox plura, adeoque ante coemtam ſupellectilem Molanianam, triginta amplius millia voluminum in promtu fuerunt. Vid. *Leipz. gel. Zeitung. a. 1718. p. 100.* Inter MSta notari omnino debent *Martialis Epigrammata*, qui Codex elegantiſſime exaratus, auroque et minio illuminatus, olim in Bibliotheca Budenſi adſeruatus eſt; *Etymologica linguae noſtrae veteris*, quantiuis certe pretii, quae antea poſſedit Diedericus a Stade, Archiuarius Ducatus Bremenſis, cuius hic *vita* legatur, a IOH. HENR. SEELENIO edita, *cap. IV*; *Duodecim libri Sinenſes*, in charta bombycina ſcripti; *Complures Codices Arabici*, partim auro ornati; *Miſſale pretioſiſſimum*, et arte mirifica confectum; *Sedecim volumina in f.* quibus Herm. von der Hardt continuauit *hiſtoriam Reformationis litterariam*, abs ſe aliquando diuulgatam, teſte IOECHERO in *Lexico Eruditor. T. II. p. 1364*; *Bogiſlai Philippi Chemnitii Tomus III. de bello Suecico*, adhuc ineditus, et ante aliquot annos a Grubero in Septemtrione repertus, vt ipſe indicat in *Commercii epiſtolici Leibnitiani Prodromo, Hanou. a. 1745. in 8. mai.* excuſo, *p. 19.* Inſignis praeterea librorum, ſub incunabula typographiae editorum, aliorumque rariſſimorum, congeries adeſt. Ex illis monſtrantur praecipue *Speculum humanae ſaluationis*, de quo infra *Tomo II. cap. vltimo* dicemus; Libellus de *Tentationibus morientium* in fol. minori, ligneis inſculptus tabulis, qui nuper demum ex alia priuata tranſiit in Regiam, iisdemque, quibus dictum Speculum ſeſe commendat, antiquitatis ſignis excellit; *Officia Ciceronis* membranae per Ioh. Fuſt a. 1465.

 in 4.

in 4. impreſſa; *Phiſonomia Regia*, liber Martisburgi a. 1473 luci expoſitus, at cognitus pauciſſimis; aliaque bene multa, oculis attentis omnino digna. Cf. IOH. LVDOLPHI BVNEMANNI *Notit. Scriptor. artem typograph. illuſtrant. Hanou. a. 1740. in 4. pag. 40.* vbi haec: *Ex Bibliotheca Mallinkrotiana varia rariſſima monumenta a Celeb. Ioh. Ge. ab Eccard, in auctione praeſente, comparata in Bibliothecam Regiam Hanoueranam illata probe memini.* Bibliothecarius primus fuit Tobias Fleiſcherus, Baruthinus, qui tandem, a Danorum Rege Camerae Secretarius conſtitutus, Hafniam commigrauit. Eum ſequutus eſt Leibnitius, cui Bibliotheca non parum adſcribere ornamenti debet. Poſt ſummi huius viri mortem praefectus eidem eſt Ioh. Georg. Eccardus, ob merita in Hiſtoriam Germanicam, Habſpurgicam ſpeciatim, ab Imperatore Carolo VI. nobilitate donatus, de quo quum varia, certe non omnibus cognita, memoret vir reuerendus, IOH. CHRISTOPH. HARENBERG, in *Hiſtor. Eccleſ. Gandershem. diplomatica p. 1060.* operae facturi pretium ſumus, ſi ea hic loci, ipſius Auctoris verbis, expoſuerimus. *Incidebat*, inquit, (Eccardus) *ad vltimum in inuidiam ac taedia Conſiliariorum Electoralium Hanoueranorum, ſua ipſius imprudentia et culpa. Nam ſimul ac ſe remiſerat, nec cauſſa ſuberat, quare animi laborem perferret, vinoſus, et infimis hominibus familiarior reperiebatur. Vxor ipſius, a natura Bucephali abhorrens, modum voluptatibus vitaeque ſumtuoſae non norat ponere. Inde vir optimus, in querelas effuſus, continuo acceſſiones ſtipendii annui circumſpiciebat. Bis in gratiam creditorum Bibliothecam et ſupellectilem mutauit. Tandem carmine gratulatorio Regem ſuum Auguſtiſſimum ad Kalendas Ianuarii exhilarare voluit, in quo, vt ſuis rebus lautius conſuleret, Conſiliariorum Electoralium videbatur haud perplexe notaſſe mores. Hinc illae lacrimae. Quum Londino nec ſpes, nec reſponſum, redirent, et*

concur-

concursus creditorum instarent, e Bibliotheca publica ipse nonnullos libros, amicis numismata nonnulla et cimelia fossilia, ac se ipse (a. 1724.) *Corbeiam subduxit, ac nomen dedit religioni papali. Salutata Corbeia, discessit Coloniam ad Rhenum, vbi permissu Consulum Collectanea diplomatica Gelenii euoluit. Fama tantae mutationis Pontificem Romanum, Caesarem inuictissimum, Electorem Moguntinum et Palatinum, Abbatem Fuldensem. Episcopum Passauiensem, et Nobilitatem Mediolanensem monuit, vt certatim ipsi Attalicas conditiones profugo et exsuli offerrent. Perplacuerunt promissa Episcopi Herbipolitani, apud quem munus suscepit Consiliarii aulici, ac Bibliothecarii Academici aulicique. Successor Episcopi nouas addidit honores Consiliarii intimi ac Historiographi.* (Cf. *Acta Francon. erudita et curiosa, Collect. I. p. 61.*) *Ex detecta fraude in lapides figuratos, ad Wirceburgum inuentos, a Beringero vel admissa, vel dissimulata, denuo in inuidiam prolapsus. Accesserunt aliae rationes familiarum summarum, et vxoris luxuria. Cogitauit igitur denuo de vertendo solo, quum Schannatum scripto diplomatico exercuisset, et in eo esset, vt Tomis duobus Commentar. de rebus Francicis plenam praefigeret praefationem. Fatigauit ea de caussa amicos Hanoueranos, vt in gratiam Ministerii Regalis intimi redire liceret. At inter haec consilia sepultus est somno, per septem fere dies protracto. Quum tandem euigilasset, ad pauculos fautores dedit litteras, resolutisque omnibus membris ad recitationem Symboli Athanasiani obiit.* Hactenus Harembergius. Mors autem viri doctissimi accidit a. 1730. Vid. *die Leipz. gel. Zeitung. a. dicti, p. 917.* De illius defectione a sacris nostris notatu etiam digna leguntur *en Bibliotheque German. T. IX. p. 194. sq.* Add. COLERI *Anthologia, Tomo I. p. 21. sq.* Eccardi successor constitutus est Sim. Frid. Hahnius, antea, vt ille, Historiarum in Acad. Iulia Professor, qui tamen, annum agens aetatis tricesimum septimum, immatura

 morte

morte occubuit a. 1729. *Vitam eius* adcurate expoſuit Frater, IOH. FRID. CHRISTOPH HAHNIVS, editque *Magdeburgi a. 1730. in 4.* Diuulgauit Bibliothecarius ille *Conſpectum*, iam rarius obuium, *Bibliothecae Regiae Hanoueranae, in ordinem iuſtum redactae, Hanou. 1727. f.* nouamque Catalogi adornandi methodum inuenit, de qua vid. *die Leipz. gel. Zeit. a. 1730. p. 447.* Vacuum Hahnii locum occupauit Ioh. Dan. Gruberus, ex Academia Giſſenſi ad hanc prouinciam adminiſtrandam euocatus, primumque ab aulae, poſt ab intimis iuſtitiae conſiliis. Eo autem menſe Martio a. 1748. viuis erepto, laudatus ſupra Scheidius, Iurium olim in Academia Georgia Auguſta Profeſſor, deinceps Regiae Danorum Maieſtati a conſiliis iuſtitiae, et in Academia Hafnienſi Anteceſſor celeberrimus, Bibliothecae Hanoueranae Regiae praefectus eſt, addita ipſi Conſiliarii aulici dignitate; qui vt diu fungatur munere grauiſſimo, reique litterariae egregriis ingenii monumentis prodeſſe pergat, exoptamus. Cf. ad hoc argumentum IOH. ERN. HAVSMANNI *Commentatio*, in qua *de Biblothecis Hanoueranis publicis, earumque vberiori notitia, conſilium apertum, Hanou. a. 1724.* Eiusdemque *Notitia de Bibliothecis Hanoueranis publicis, qua de earum ortu, incrementis et reliquis notatu dignis, nonnulla breuiter ſtrictimque exponuntur, ibid. 1725. 4.* In hoc poſteriori ſcripto *p. 5. ſq.* de Bibliothecis *Aegidianis*, antiqua et noua; *p. 19. ſq.* de Bibliotheca *ad S. Crucis Templum*, in quo octoginta duo MSta, hiſtorica potiſſimum et genealogica, a Bartholdo Homeiſtero, Conſule olim Ciuitatis, relicta; et *p. 24. ſq.* de Bibliotheca *S. Iohannis*, coepta a. 1710. auſpiciis Dauid. Ruperti Erythropel, Protoeccleſiaſtae aulici, fuſius ab Auctore diſſeritur.

§. XII.

§. XII.

De antiqua *Heidelbergensis Academiae* Bibliotheca, deinceps cum Electorali coniuncta, inque bello tricennali dissipata, iam supra copiose actum est *Cap. II. §. 19.* Hic loci de noua dicendum, cuius meminit HOTTINGERVS in *Bibliothecario quadripart. p. 23. Habet*, ait, *Academia Bibliothecam iam non contemnendam, ex Pareana, Freheriana, veteri item, instauratam: nouisque non ita pridem Serenissimi Electoris* (intelligit Carolum Ludouicum) *liberalitate ditatam, quin et ipse Princeps, Elector, vt litterarum Maecenas est liberalissimus, ita eam augendae rei litterariae impendit curam, vt, quod numero Bibliothecae iam eius deesse videatur, selectus facile compenset. Habet Bibliotheca Academica MSta adhuc quaedam Latina, quorum nonnulla citauimus in Collegio nostro Sapientiae.* Ita quidem Hottingerus. His adiungere licebit GE. CHRIST. IOANNIS in *Miscellis Histor. Palatinae p. 258.* de Iohanne Guilielmo, Electore verba, quae haec sunt: *Qua itidem gratia beneuolentiaque academiae Heidelbergensis res bello afflictas respexerit, ac ad pristinam celebritatem euehere contenderit, vel exinde patet, quod non modo scriptis professus litteris sit, cimelii instar se eam aestimare, quo nullum melius praestantiusque habeat: verum etiam eidem bonorum patrimonialium fructum, quo laetioribus quoque temporibus nonnihil caruerat, plene percipiendum reddiderit, veterisque priuilegii, quo ab oneribus plebeio hominum ordini incumbentibus penitus exempta est, benignissima consuluerit confirmatione; quin illustri prorsus exemplo a. 1703. magni Polyhistoris, Ioh. Ge. Graeuii, bibliothecam, magnifico impendio comparatam, eidem attribuerit. Quo legi meretur Allocutio submississima ad eundem, cum illam academiae addixisset, facta a Ioh. Laur. Crollio, eiusdem ante ferale incendium, tum vero Marburgensis Professore Theologo, et Marburgi Cattorum typis Ioh. Iodoci Kürsneri anno dicto exscripta in f. Catalogus*

logus Bibliothecae Graeuianae *Vltraiecti a. 1703. in 8.* excuſus eſt, cuius ex lectione cognoſci poteſt, quibus nunc libris Heidelbergenſis Bibliotheca praecipue inſtructa ſit.

Monaſterium olim, poſtea Gymnaſium *Heilsbronnenſe*, apud Francos, plus quam ſexcentis Codicibus manu exaratis ſuperbit. Eadem fere Bibliotheca haec cum Coenobio, ab Ottone, Henrici primum IV, Imperatoris, Cancellario, tum Epiſcopo Bambergenſi, a. 1132. in praedio apud Heilsbronne diuae Mariae virgini conſecrato, habere initia videtur, quandoquidem primi ſtatim Abbates de libris colligendis quouis modo ſolliciti fuerunt, quod ex Inſcriptionibus, plurimis Codicibus praefixis, haud difficulter intelligitur. Senſim poſtea ſenſimque creuit adparatus, ſub finem maximi ſaeculi XVI. quo tempore Georg. Marius, ſiue Mayerus, Medicus, cuius et conſilio Coenobium a. 1682. in Gymnaſii illuſtris formam mutatum eſt, eximia praeſtantiſſimorum Auctorum, inter quos medici eminent, copia Bibliothecam liberaliter ditiorem reddidit. Quo excitatus exemplo Georg. Lindnerus, Norimbergenſis, non multo poſt eandem libris hiſtoricis, philoſophicis ac philologicis admodum auxit. In bello tricennali, ſecuritatis cauſſa, a. 1631. Onoldum eſt transportata, ſed ne ſic quidem plane incorrupta videtur manſiſſe. Nec fides a mutuo ſumentibus libros ſemper fuit ſeruata. Exacto viginti annorum ſpatio priſtino domicilio reſtituta per integrum prope ſaeculum nullis ornata fuit acceſſionibus. Dedit interim operam Ioh. Frid. Krebſius, Rector primum, deinde Sacerdos et Profeſſor Lycei diu meritiſſimus, cui Bibliothecae cura commiſſa fuerat, ne detrimentum caperet vllum. Idem Hiſtoriam Monaſterii et librorum Catalogum promiſerat; ſed praeſtitit demum hoc ipſum IOH. LVDOVIC. HOCKERVS, Eccleſiaſtes ac Theologiae Profeſſor, a quo accepimus *den*

Hail-

Hailbronnischen Antiquitaeten-Schatz, Norimb. et Onoldi a. 1731. in f. cuius *Pars altera Catalogum* exhibet *Bibliothecae Heilsbronnensis* cum Historia eiusdem, *Praefationi a §. XI.* inserta. Ad methodum tamen quod attinet, ordinemque, quo in hoc ipso Catalogo vsus est Auctor, varia monent, simulque innumerabiles fere typographi errores notant *Acta Eruditor. Latina a. 1732. p. 54. sq.* Quorum censuram quum aegre ferret Hockerus, tueri labores suos ac defendere studuit in *Actis Franconiae eruditis et curios. Collect. XXIV. p. 1001. sq.* Quocunque se res modo habeat, id saltim negandum haud est, varia de Codicum forma, aetate, scriptoribusque ab Auctore in medium proferri, quae vsui esse passim in historia litteraria queant. Inter MSta nobiliora referendi sunt *Martinus Polonus de vitis Imperatorum ac Pontificum* in f. minori, quem Codice Mastrichtiano, cuius supra *§. IV. huius Capitis* mentio iniecta, antiquiorem pronuntiat Hockerus; *Lucanus de bello ciuili* in f. luteique coloris membrana, quae vetustissima est; *Terentius*, *Iuuenalis*, *Salustius*, et *Horatius* in 4. minori, omnes aliquot saeculorum prae se ferentes aetatem; *Quatuor Euangelia*, Latine in f. maximo, Codex Carolingorum tempora attingens; tria *Iustinianearum Institutionum* exemplaria, maximae, mediae et minoris formae membranis inscripta caet. Cf. GERMANI AVG. ELLRODII *Memorabilia Bibliothecae Heilsbronnensis*, aliquot Commentationibus descripta *Baruthi a. 1740. sq. in 4.* quae in paucorum tamen manus peruenerunt. Caeterum quod *supra §. VII. in fine* ex celeberrimi GOTTSCHEDII *Progr.* quodam attulimus, omnis nempe generis libros Heilsbronna Bibliothecae Erlangensi Academicae fuisse illatos, id quomodo sit intelligendum, nos ignorare fatemur. Forte ii tantum libri, qui bis Heilsbronnae reperti fuerunt, in Erlangensem transiere Bibliothecam, vel tales, quibus ea caruit adhuc; de tota enim

libraria ſupellectile, ex Heilsbronnenſi Gymnaſio nuper deportata, nec audiuimus verbum, nec legimus, iamque nobis tempore excluſis rem apud ipſos Erlangenſes curatius explorare non licet. Interim ex Oratione Hockeri, indicata in *den Leipz. gel. Zeitung. a. 1737. p. 687.* qua Gymnaſium Heilsbronnenſe cum illuſtri Collegio Onoldino, iuſſu Principis, eſſe coniunctum docetur, id colligi facile poſſet, Bibliothecam quoque priſtinum ſuum domicilium reliquiſſe.

Academia *Helmſtadienſis* duabus fruitur Bibliothecis publicis, quarum prior, in Iulei maioris conclaui Orientali locata, inſigni ac rarae munificentiae Friderici Vlrici, Ducis Brunſuicenſis ac Luneburgenſis, debetur. Is enim Bibliothecam, quam auus ipſius, Iulius, Academiae Conditor, inchoauerat, et pater, Henricus Iulius, pro excelſo ſuo, et regio prorſus in bonas litteras, animo libris auxerat pretioſiſſimis, Bibliotheca maxime, in qua plurimi antiqui Codices manu ſcripti erant, Matthiae Flacii Illyrici, Polyhiſtoris celeberrimi, Iuliae Vniuerſitati ad communem eruditorum vſum conceſſit primo, deinceps haud multo poſt, anno nimirum 1618., intercedente Cornelio Martino, Philoſophiae Profeſſore, et Principi ſuo cariſſimo, poſſidendam in perpetuum donauit. Mox noua aduenerunt incrementa. Georgius enim Eberlinus, ICtus primarius, morti vicinus, vniuerſam ſuam, eamque luculentam ſane, Bibliothecam Academicae legauit, nullibi libros ſuos, haud exigua coemtos pecunia, rectius fore perſuaſus, quam in oculis manibusque ſtudioſorum, praeſertim quum ſobolem nullam, caelebs quippe, relinqueret. Auguſtus quoque Iunior, Bibliothecae Guelpherbytanae auctor, Helmſtadienſem variis magni momenti Operibus locupletauit, vt Bibliis Graecis, Latinis, Hiſpanicis, Hungaricis, Germanicis, vetuſtate ſua mirabilibus, Tractatu Tractatuum, duodetriginta maioris

ioris formae Voluminibus conſpicuo, libris Baſilicorum, Gallicarum, Hungaricarum, Normannicarum rerum Scriptoribus multis, aliisque monumentis illuſtrium ingeniorum. Vid celeb. BVRCKHARDI *Hiſt. Bibl. Aug. P. I. p. 187.* et *P. III. p. 242.* Nec tacendum eſt, a. 1645. libros Nicolai Andr. Granii, Sueci natione, Phyſices quondam in Academia Iulia Profeſſoris, ac biennio poſt Iohannis Caſelii MSta, Sora Danorum recepta, quo forſan per Chriſtoph. Heidmanum deuenerant, Bibliothecae Helmſtadienſi attributa fuiſſe a Senatu Academico. IDEM *cit. Parte III. p. 244. in princ.* Rariſſimos Codices, qui in ea adſeruantur, recenſet MEIBOMIVS *Additionum ad Vogleri Introductionem p. 161.* Tales ſunt vetuſtiſſimus *Hiſtoricus Paderbornenſis*, qui Annales Caroli M. verſibus compoſuit, et a REINERO REINECCIO, cuius ſententia Poeta ille in toto alias terrarum orbe non exſtat, primum editus eſt *Helmſtadii a. 1594. in 4; Leonis III. Pontificis Epiſtolae ad Carolum M.* ipſi Romae incognitae, quas ex membranis antiquiſſimis primus luci expoſuit HERM. CONRINGIVS *ibid. 1647. in 4; Reginonis*, Abbatis Prumienſis, *Tract. de diſciplina eccleſiaſtica*, cura IOACH. HILDEBRANDI *ibid. 1659. in 4.* primum excuſus; *Geruaſii Tilberienſis Fragmentum quoddam; Alberti Stadenſis Annales cum continuatione, ab a. 1264. ad a. 1324.* quam ex membranis Bibliothecae Iuliae protraxit notisque illuſtrauit ANDR. HOIERVS *Hafniae 1720. in 4; Tria volumina Pentateuchi*, in membranis Ebraeorum litteris deſcripta, quorum vnum ſaltim multa pecunia, ſi poteſtas ipſis facta eſſet, redimere paratos olim fuiſſe quosdam e gente Iudaica, inſerta Operi ſchedula indicium facit; *) *Aliquot Chryſoſtomi Homiliae Graecae*, litte-

*) SCHELHORNIVS *Amoen. litt. Tomo X. pag. 273.* ex Thurmii Itinere litterario manu ſcripto refert, Pentateuchum hunc, pro

litteris grandioribus, sine vlla vocum et periodorum distinctione, sine vllis accentibus et spiritibus, exaratae, de quibus vid. CONRINGIVS *de Bibl. Aug. p. 211. apud Maderum*, TENTZELIVS in *den monathl. Vnterred. a. 1692. p. 992.* qui Codici huic mille annorum aetatem tribuit, et Andr. Christian. Eschenbachius in SCHELHORNII *Amoenit. litterar. Tomo V. p. 192.* Cf. *Thesaurus epistol. La Crozianus Tomo I. p. 164.* quo loco PAVL. ERNEST. IABLONSKI haec etiam de Bibliotheca Helmstadiensi memorat: *Ibidem Volumen Graecum vidi, quod varias antiquorum Isocratis aliorumque Epistolas, Dialogos etiam Aeschinis Socratici et inedita nonnulla complectitur. Prae caeteris vero notabilis est insignis Codex vetustissimus, Liturgias quasdam complectens, in quo antiquissimae notae musicae, singulari prorsus modo depictae, comparent.* De fragmento *Glossarii Graeco-Latini*, corticibus arboris inscripti, *de tabulis cereis*, de libro perantiquo *Melitonis Episcopi de virtutibus Apostolorum*, deque *Iohannis Bodini Colloquio, Heptaplomeres dicto*, quod rarum MStum Iulius Hackeberg, Consiliarius Guelpherbytanus, a. 1683. donauit, vid. TENTZELIVS *l. c. p. 992. sq.* Catalogum Codicum MStorum superiori saeculo confecit Christoph. Schraderus, Eloqu. Prof. et Bibliothecarius, qui exstat in Bibliotheca Guelpherbytana. REIMMANNVS quoque exemplar possedit, vt indicat ipse in *der Einleitung in die histor. litterariam Parte I. p. 426.* addens, certis ex caussis dictum Catalogum haud prodiisse. Praeterea ornamentum Bibliothecae summum conciliant imagines Regum, Principum, et celeberrimorum in hac Academia Professorum, item duo

pro quo Iudaeus sex Imperialium soluere voluerit millia, ante natum Christum exaratum dici, eumque Magdeburgo Helmstadium esse translatum. Paullo clarius rem explicat SAVBERTVS apud TENTZELIVM in *den monathlich. Vnterred. a. 1692. p. 983.*

duo ampliſſimi et ſpecioſiſſimi Globi, quorum in altero coelum ipſum, et aſtrorum ſitus figurasque varias; in altero terras, maria, fluuios, inſulas, montes, et id genus alias naturae partes diuerſas, ſaepeque admirandas, quaſi coram intueri licet. Qui duo Globi non magnitudine tantum eximia, et ſpecie, qua non temere forſitan aliis iſto in genere inferiores ſunt, ſed eo etiam admiratione digni videntur, quod non, vt plerique, aeneis tabulis inciſi, deindeque chartis impreſſi, ſed labore incredibili, quod nemo non facile coniiciat, calamo ſunt et manu deſcripti. Itaque non mirum, ſi magna pecunia ab Heroe magnificentiſſimo, Henrico Iulio, Pragae emti, illuſtrique ſuae Bibliothecae ornamento ſempiterno futuri, in aulam ſunt miſſi. Ita loquitur CHRISTOPH. HEIDMANVS in *Orat. de Bibliotheca Iulia*, *Helmſt. a. 1622. in 4.* edita, poſt a SCHMIDIO *Nouae Acceſſ. ad Maderum de Bibliothecis p. 229. ſq.* inſerta. Add. *Hiſtoria Feſti ſaecularis Acad. Iuliae*, *ibidem 1678. in f. p. 7.* ac generatim de hac Bibliotheca ZACH. CONR. ab VFFENBACH *merckwürdige Reiſen, Parte I. pag. 221. ſq.* Altera Bibliotheca Academiae Iuliae *noua*, vel *Rudolphea,* vulgo dicitur, et in ampliſſima Collegii area ſub loco, quo Senatus Academicus haberi ſolet, repoſita eſt. Eam Rudolphus Auguſtus, Dux Brunſuicenſis ac Luneburgenſis, in vſus priuatos comparatam, partimque Brunſuigae in palatio ſuo, partim Hedwigsburgi, adſeruatam, Academiae, intercedente Herm. von der Hardt, a. 1702. clementiſſime donauit. Creuerat ac diuerſis ſedibus in eam proceſſerat molem egregia iſthaec ſupellex, vt ſpatium illi capiendae deeſſet: non ceſſura tandem copioſiſſimis Germaniae Bibliothecis, nec ipſi Auguſtae Guelpherbytanae, niſi Princeps benigniſſimus ingentem eius partem per varia ſacra Collegia largiſſime diſtribuiſſet. Sic Brunſuicenſium Eccleſiaſtarum Synedrium, Riddageſhu-

ſanum ſimiliter Collegium, haud modicos librorum aceruos ab eodem accepit. Maior tamen et praeſtantior portio ad Helmſtadienſes deportata Muſas eſt, quae merito, propter theſaurum tam excellentem, laetitia exſultant. Complectitur enim ille omnis fere doctrinae Opera ſelectiſſima, quorum etiam permulta ſua ſe raritate ac pretio commendant. Nec MStorum hic loci deſideratur collectio. Horum in numero ſunt plurima *Politicorum ac ICtorum clariſſimorum Volumina de publicis Imperii Germanici rebus; Chronica de rebus ciuilibus et eccleſiaſticis, relationesque hiſtoricae* cum figuris et imaginibus penicillo exaratis, coloribusque ſcite ornatis; *Quinquaginta prope Volumina et Faſciculi Autographorum*, quae *Iac. Boehmium*, *Valentin. Weigelium ac Sodales* auctores habent, et ab Hinkelmanno, Medico ac Chymico Dreſdenſi, Boehmii quondam hoſpite, collecta fuerunt; *Lutheri*, *Melanchthonis* et *Bugenhagii*, aliorumque iſtius aeui Theologorum, et clarorum virorum, *Autographa*, quae ordine chronologico recenſuit HERM. von der HARDT, Rudolphi Auguſti gratia valens, in *Tomis III.* qui inſcribuntur *Autographa Lutheri, aliorumque celebrium virorum, ab a. 1517. vsque ad a. 1546. Reformationis aetatem et hiſtoriam egregie illuſtrantia.* Tomus I. et II. *Brunſuigae a. 1690. et 1691.* III. vero *Helmſt. a. 1693. in 8.* prodiit. Olim adfuerunt quoque *quatuordecim Epiſtolarum Volumina*, quarum partem maximam Auguſtus, Princeps doctiſſimus, ſaepe a nobis laudatus, manu ſua perſcripſit ad Ioh. Valent. Andreae. Illae vero nunc Guelpherbyti ſeruantur. Prae caeteris libris excuſis eminent *Biblia Lutheri* editionis Vitembergenſis, a. 1542. a Ioh. Lufft adornatae, in quo exemplari, rogatu Georgii, Anhaltini Principis, Canonici Martisburgenſis, Temploque Cathedrali Magdeburgenſi Praepoſiti, Saxonici Theologi et Reformationis adiutores, Lutherus quippe,

quippe, Bugenhagius, Iuſtus Ionas, Caſp. Cruciger, et Philip. Melanchthon, breue fidei ſymbolum, ſua quisque manu, inſcripſerunt. His ipſe Georgius ſuam itidem adiecit confeſſionem. Externum Bibliothecae ſplendorem imagines elegantiſſimae Lutheri et Melanchthonis, pictae a Luca Cranachio, illo Germaniae Apelle, pluresque ſummorum Principum et Magnatum icones, aeri inciſae, mirum in modum amplificant. Vid. de his omnibus von der HARDT in *Memorabilibus Rudolpheae nouae Biblioth. Helmſtadienſis*, *Helmſt. a. 1702.* editis *in fol.* recuſisque in *Schmidiana Acceſſ. noua ad Mader. de Biblioth. p. 273. ſq.* Add. eiusdem *Orat. de nouis Acad. Iuliae dotibus*, *ibid. eod. in 4.* vbi *p. 17.* haec leguntur: *Noua dote, centum quotannis Imperialium Academia haec Iulia pro Bibliotheca* (veteri illa Frid. Vlrici) *augenda feliciſſime nuper eſt beata.* Quod beneficium per triginta fere annos ex aulis Hanouerana et Guelpherbytana manauit. Cf. etiam RVD. ANT. FABRICII *Diſſert. de Tranſpoſit. Bibliothecar. memorab. p. 54. ſq.* et ab VFFENBACH *l. c. p. 201. ſq.* Inter alia Cimelia Bibliothecae Rudolpheae referri debet *annulus Lutheri doctoralis et pronubus*, vterque aureus, ex theſauro Electorali Dreſdenſi ad Sereniſſimum Ducem, Rudolph. Auguſtum, perlatus, et poſtea dictae Bibliothecae conſecratus. Deſcripſit hos annulos ſingulari opella *Helmſt. a. 1709.* HERM. von der HARDT.

Herbipoli, quae Franconiae vrbs Epiſcopi ſedes eſt, primum occurrit Bibliotheca *Eccleſiae Cathedralis*, a Iulio, Epiſcopo, adornata forſitan, quem quippe tres Bibliothecas, copia et delectu inſignes, ſibi ſuisque inſtruxiſſe, ex Ant. Sandero refert IACOBI a ST. CAROLO in *Traité des Biblioth. p. 203.* Praecipuam quidem librorum partem in funeſto illo, quod Germaniam per triginta annorum ſpatium adflixit, bello ſibi vindicarunt Sueci; reſtant tamen non pauci adhuc

huc Codices manu ſcripti, quorum vetuſtiſſimi ſunt *Codex Euangeliorum*, in principio ac fine mutilus; *Apoſtolorum Canones; Codex Epiſtolarum S. Pauli; Diuerſi Sermones et Homiliae incerti Auctoris; Sententiolae Sanctorum Patrum*, qui Codex excerpta ex Hieronymo, Auguſtino, Gregorio, Cypriano, cum excerptis aliis, et adnotationibus ex Canonibus Apoſtolorum atque Conciliis comprehendit; *Synodus Nicaena ſecunda, tempore Caroli M. celebrata*, ab ea, quae edita eſt, aliquantum diuerſa; *Conſtitutiones pro Monialibus, perſcriptae in ſacro Conuentu Aquisgrani a. 816; Martyrologium Bedae; Homiliae Caeſarii, Epiſcopi Arelatenſis*; de quibus Codicibus omnibus v. *Chronicon Gotwicenſe Tomo I. pag. 34. ſq.* Praecipue vero memorabilis eſt *Codex Theodoſianus*, quo recte ſe iactat Germania noſtra. Exaratus eſt in forma quadrata litteris ſemiuncialibus, nulla vocum obſeruata diſtinctione, ipſis quidem Iuſtiniani temporibus, adeoque Digeſta Florentina aetate ſuperat. Tuetur hancce ſententiam V. C. IOH. DAN. RITTERVS et in *Praef. Tomo I. Codicis Theodoſiani* praemiſſa fuſius diſſerit de Cimelio hoc Herbipolitano. Primum illud in eruditorum peruenit notitiam a. 1717. quo forte contigit Chriſtoph. Franciſco L. B. ab Hutten, tunc Eccleſiae Cathedralis Decano, poſt Epiſcopo, vt aliquot librorum editorum centurias, centumque ac ſeptuaginta Codices ſcriptos, inter quos Theodoſianus etiam fuit, ſub tecto Templi reperiret, vbi theſaurus iſte ante bellum ruſticum ac Suecicum fuiſſe abſconditus videtur. Cf. *die Götting. gelehrt. Zeit. a. 1747. pag. 875.* Bibliothecae Cathedrali ſubiungimus *Academicam*, cuius origo non ſine rationibus Iulio itidem Epiſcopo attribuenda. Quum enim ille Academiam priorem, exſtinctam plane, a. 1582. inſtaurarit, credi facile poteſt, maximum ſtudiorum adminiculum, Bibliothecam, haud abs eo fuiſſe praetermiſſam. Hoc

ſaeculo

ſaeculo inclaruit illa ipſa potiſſimum, propterea, quod Iohannes Philippus II. Epiſcopus circa a. 1716. eandem locupletauit praeſtantiſſimis Bibliothecis Fauſtiana et Fabriciana, multisque libris antiquis, pretioſisque Operibus, partim in Noſocomio Dettelbacenſi adſeruatis, partim ex ipſa, quam priuatos ad vſus collegerat, ſupellectile deſumtis. Cf. *die Leipz. gel. Zeitung. a. 1717. p. 557. et 558.* Ab hac ſeparatam eſſe ſuſpicamur Bibliothecam, *Collegio Societatis Ieſu* dicatam, quam laudatus ſupra Iulius, pro inſigni in bonas litteras Patresque illos amore, probabiliter adiecit, (et ſic tertiam inter eas, quarum Sanderus meminit, haberemus Bibliothecam) quamque deinceps Franciſcus, Bambergenſ. et Herbipolit. Epiſcopus, a. 1642. morte oppreſſus, renouare quouis modo ſtuduit. Eo conſilio donauit Patribus quatuor fere librorum millia, quorum plerique a Suecis bello tricennali rapti, iisque a Caeſaris milite iterum erepti, et aere huius Praeſulis redemti fuerunt. Quod in perpetuam tantae munificentiae memoriam notatum eſt breui inſcriptione, typis impreſſa, quae in folio ſingulari, vnicuique Volumini adglutinato, conſpicitur, teſte BVRCKHARDO *Hiſtor. Bibl. Auguſtae, P. I. p. 242.* vbi et quatuor eiusmodi Volumina indicat, ignoto ipſi fato Bibliothecae Ducali Guelpherbytanae illata.

Publica *Hildeſienſis* Ciuitatis Bibliotheca ducentis abhinc annis condita eſt, eiusque fundamentum poſuit ſupellex Iuſti Iſermanni, ſiue Hermanni, primi Superintendentis, libraria, quam Aerario ſacro praefecti a Templo S. Andreae comparauerant. Poſtea vero deſiderati exinde ſunt libri complures. Superiori ſaeculo acceſſit Ioh. Ge. Lomeieri, Rectoris Scholae, Bibliotheca philologica, cum Monachorum ſcriptis, quae in S. Martini Templo exſtabant. Nec ſine laude nominari debent Paul. Henning. Gercke-

Gerckenius, Cancellariae Cameraeque Schaumburgo-Lippienſis Director, et Ioachimus Lauenſteinius, Sacerdos Hildeſienſis; vterque enim libros ſuos publicis vſibus legauit. Sequentibus temporibus multa alia nobiliſſimorum ingeniorum monumenta coemta fuerunt, quae omnia ne perpetuo incluſa carcere iacerent, Bibliotheca haec ante aliquot annos, iuſſu ampliſſimi Senatus, aperta eſt, idque adhuc quauis hebdomada bis fieri ſolet. Vid. KOHLII *Hamburgiſcher Briefwechſel der Gelehrten, Parte XI. p. 162. ſq.* Haud ita pridem duas alias Bibliothecas Hildeſienſes cognouimus ex VFFENBACHII *merckwürd. Reiſen, P. I. p. 394. ſq.* alteram *Patrum e Societate Ieſu*, quae tamen a. 1709. mille tantum Volumina, nec ea praeclara admodum, complectebatur: alteram *Eccleſiae Cathedralis*, tunc quatuor circiter Voluminum millibus illuſtrem, ac Patrum eccleſiaſticorum Operibus, Lexicographis, nec non permultis Sacri Codicis editionibus, in variis linguis, praecipue refertam. Quidam a Reuſchenberg, ſaeculi huius initio, plurimos et optimos libros, itemque Dominus a Plettenberg trecentos fere hiſtoricos teſtamento reliquit. MSta hic fruſtra quaeruntur, praeter Acta Pacis Oſnabrugenſis.

§. XIII.

Ienenſis Academiae Bibliotheca MStorum pariter et librorum excuſorum numero ac delectu ita excellit, vt ſuo quodam iure deſcriptionem paullo copioſiorem a nobis expoſcat. Coepit iſta Vitembergae, ſaeculo XVI. ineunte, beneficio Friderici Sapientis, et a. 1514., adeoque duodecim annis poſt conditam Academiam, publica facta, Muſisque illius ciuitatis conſecrata eſt ab hoc ipſo Electore, qui etiam ad comparandos libros rariores, et optimae farinae, conſilio Conradi Mutiani, cum primis autem cura Georgii Spala-

Spalatini vtebatur. Iohannes Conſtans, Frater et ſucceſſor Friderici, multis haud dubie libris, ad religionis negotium ſpectantibus, auxit Bibliothecam adhuc mediocrem: eius contra Filius, Ioh. Fridericus, Magnanimi elogio a poſteritate inſignitus, incrementa longe maiora parauit eidem, Bibliothecarii ſuperioris munus ſuſtinente Spalatino, ſacrorum tunc Altenburgenſium Antiſtite. Is etiam a. 1539. Venetias mittebatur, vt varii generis libros, Ebraicos maxime et Graecos, nulla habita ſumtuum ratione coemeret. HORTLEDERVS *de cauſſis belli Germanici, Tomo I. lib. 4. cap. 23. p. 1480. edit. ſecundae.* Quantam ille locupletandae Bibliothecae curam impenderit, teſtatur CHRISTIAN. SCHLEGELIVS in *Hiſtoria vitae Spalatini, §. XXXI. pag. 181.* Integrae quoque, praeter alias acceſſiones, Monaſteriorum Bibliothecae in eandem tranſiiſſe videntur, ne de legato librorum, iuridicorum praecipue, dicamus, quod Thammo Loeſſerus, Canonicus Miſenenſis, iam a. 1504. conſtituerat. Quum deinceps infelix ille Elector, Ioh. Fridericus, a. 1547. ad Mühlbergam captus, Vitembergam Carolo V. victori dedere cogeretur, impetrauit ab Imperatore, vt librarius iſte theſaurus, Vitembergae collectus, filiis, tamquam patrimonium, maneret, atque alio transferretur. Placuit Iena, in locum amiſſae Academiae Vitembergenſis ab Electore captiuo Muſis deſtinata; quapropter libri a. 1548. eo deuecti, et aliquamdiu in doliis adſeruati, Gymnaſii primum vſibus conceſſi ſunt, donec noua haec Academia a. 1558. ſolemniter inaugurraretur, circa quod tempus Bibliotheca ſimul omnibus aperta fuit. Vid. IOH. FRIDERICI, aui noſtri materni, *Diſſ.* praeſide Caſp. Sagittario *Ienae* defenſa a. 1678. *de vita Ioh. Friderici, Electoris Saxonici, §. XXIII.* Hoc igitur fundamentum Bibliothecae Ienenſis eſt, quae deinde munificentia Principum, atque priuatorum quorundam liberalitate,

ita excreuit, vt Academicis reliquis palmam praeripere videatur. Filii enim Ioh. Friderici Magnanimi, Ioh. Fridericus II, Ioh. Guilielmus, et Ioh. Fridericus III. opera illi admodum pretioſa intulerunt, Ioh. etiam Guilielmus quinquaginta quotannis Imperiales ei augendae attribuit, deſtinata octingentorum Imperialium ſorte. Addiderunt ſereniſſimi Academiae Nutritores, qui tunc temporis regnabant, a. 1676. Ioh. Andr. BoſiiBibliothecam,libris excuſis manuque ſcriptis inſtructiſſimam,et bis milleImperialibus comparatam ab ipſis, vti ex Caſp. Sagittarii litteris docet ampliſſimus BVRCKHARDVS in *Hiſtor. Biblioth. Auguſtae, P. III. p. 283.* Inter priuatos autem homines, de Ienenſi Bibliotheca bene meritos, aeternam ſibi laudem pepererunt Dominicus Arumaeus, Ordinis iuridici Praeſes, et Caſpar. Sagittarius, Hiſtoriarum Profeſſor longe celeberrimus. Ille ſcilicet a. 1637. ſupellectilem ſuam, libris maxime iuridicis, quibusdam et ciuilis hiſtoricique argumenti, pro ſtudiorum iſtius aeui ratione, conſtantem, et quatuor Florenorum Miſnicorum millibus aeſtimatam: hic a. 1694. non ſolum Bibliothecam priuatam, libris ad Hiſtoriam Germaniae totius, et Saxonicam ſpeciatim, pertinentibus, ac MStis theologicis, philologicis, hiſtoricis, egregie completam, ſed Numophylacium etiam copioſum, a Ioh. Andr. Boſio conquiſitum, et abs ſe auctum ſubinde, cum ſponte ſua, tum grauiſſimorum virorum, religioſiſſimique praeſertim ICti, cohortationibus confirmatus, Academicae Bibliothecae legauit. Quorum duumuirorum exemplum, ſuaſu illuſtris Buderi, ſequutus eſt Paul. Chriſtian. Bircknerus, ad recipiendum in Thuringia portorium a Sereniſſimis Saxoniae Erneſtinae Ducibus quondam conſtitutus, cuius adparatum, libris iuridicis hiſtoricisque praeſtantioribus, Anglicis potiſſimum et Gallicis, partim raris ac prohibitis ſplendidiſſimum, Bibliotheca Ienenſis anno 1742. obtinuit.

Cf.

Cf. laudati BVDERI libellus, iucundus lectu, *de Bibliothecis legatis p. 676. sq.* in *Opuſculis eiusdem, Ien. 1745. 8. mai.* Praeter haec acceſſit exquiſitiſſima Ioh. Andr. Dantzii, Theologi ac Philologi ſummi, Bibliotheca, quam ipſam Academiam tribus Imperialium millibus, ex variis reditibus collectis, a. 1728. poſt mortem poſſeſſoris redemiſſe, inter omnes conſtat. Quantus hic ſcriptorum Graecorum, quantus librorum Rabbinicorum ac Talmudicorum theſaurus! Neque excuſorum tantum copia, praeſtantia et ſelectu Bibliotheca Dantziana conſpicua eſt, ſed MStorum quoque Rabbinicorum, Arabicorum, Perſicorum, Turcicorum, bonam partem, tamquam ſingularia ornamenta, complectitur. Inter haec R. *Dauid Kimchi*, *Michlol* et *Sepher Schoraſchim*, vtrumque Opus ipſius Kimchii, vt creditur, manu exaratum, et Alcorani exemplar, exſtant. In primis vero eminent Codices duo Karaeorum rariſſimi, alter inſcriptus *Sepher Hamizuoth*, Theologiae Karaiticae ſyſtema exhibens; alter *Kether Thorah*, Commentarium litteralem in Pentateuchum continens, de quibus copioſius agunt IOH. GODOFR. SCHVPARTVS in *Diſſ. hiſtor. philolog. de Secta Karaeorum Cap. III. p. 63. ſq.* IOH. CHRISTOPH. WOLFIVS in *Bibliotheca Ebraea*, *Tomo I. p. 115.* et IOH. CHRISTOPH. DORNIVS *Biblioth. theol. criticae lib. III. cap. 6. §. 1. p. 409. ſq.* Ex caeteris Codicibus Bibliothecae Ienenſis manu ſcriptis, quorum varios, nec tamen ſelectos probe, TENTZELIVS memorauit in *den monathl. Vnterred. a. 1692. p. 870. ſq*, ſpeciminis loco nobiliores iam in medium proferemus. Iure autem primas ſibi vindicant *Liber Euangeliorum membranaceus* in f. litteris Longobardicis forſan circa finem ſaeculi VI. vel initium VII. exaratus; *Biblia Ebraica in membrana* formae regalis, adcurate et nitidiſſime ſcripta litteris maioribus, ſeu quadratis, punctis, vocalibus et accentibus additis, ſubiectaque ſingularum

paginarum fini Maſora, quod vero volumen, inſigne alias antiquitatis monumentum, non integrum eſt, ſed cum libro ſaltim Ioſuae incipit; *Bini Codices membranacei*, ſtupendo pictoris artificio in plerisque foliis exornati, quorum alter *aliquot Euangelia*, alter *aliquot Epiſtalas feſtiuales* ob oculos ponit: primus Codex in exteriori ligaturae parte Seruatoris noſtri imaginem, ſatis antiquam, habet, ad deſcriptionem Lentuli, Proconſulis quondam Romani, alterius Codicis ligatura figuris ex argento fuſis et inauratis nitet, quas, vna cum dicta Chriſti effigie Leo X. Friderico ſapienti dono miſiſſe dicitur; *Bohuſlai Antithesis Chriſti et Antichriſti*, quo in Codice, auro eleganter diſtincto et variegatis picto coloribus, chartaeque inſcripto tribus abhinc ſaeculis, Pontificiorum corruptelae et vitia per figuras varias, e regione ſibi oppoſitas, argute eluduntur, vt oſtendit STRVVIVS *Obſeruat. ſelect. Halenſium Tomo IV. obſeru. 10. p. 179. ſq.* cui add. IOH. CHISTOPH. MYLIVS in notis *ad vitam Ioh. Huſſi*, per SEYFRIDVM olim conſcriptam, recuſamque *Ien. 1743. in 4. pag. 43. ſq*; *Decretum Gratiani et quinque Decretalium libri*, duo Codices in membrana formae auguſtae cum Gloſſa; *Inſtitutiones Iuris ciuilis* itidem in membrana et cum Gloſſa; *Speculum Saxonicum* cum Gloſſis Germanicis, Codex membranaceus, litteris maioribus nitide exaratus; *Auicennae*, Medici Arabici, *Opera*, Latine verſa, et in membrana formae maioris elegantiſſime ſcripta; *Livre de proprietés des choſes, translaté de Latin en François du commandement Charles le V. Roi de France, par Jean Corbechon, l'an de grace 1372.* in f. regali, qui Codex membranaceus, et pretioſiſſimus omnium, (plaeraeque enim litterae initiales auro optimi generis ſunt obductae, caeteris rubro caeruloque colore artificioſe ac ſingulari ſtudio pictis,) cum aliis non paucis Gallicis per Sibyllam, Ioh. Friderici I. coniugem, ex Ducum Cliuenſium Bibliotheca

theca tranſlatus ſine dubio eſt in Vitembergenſem olim, nunc Ienenſem; *Biblia Gallica* ingentis molis formaeque auguſtae, duobus voluminibus in membrana, cum Gloſſis, quae textum ſacrum illuſtrant, nec non multis egregiis figuris, quae hiſtorias biblicas repraeſentant, innumerisque litteris initialibus inauratis et maxima arte pictis; *Bini Codices Phonaſcorum, (der Meiſter-Saenger)* et prior quidem membranaceus in forma maxime regia; *Petri de Vineis Epiſtolae ad Fridericum II. Imp.* bis, vno exemplari in charta, altero in membranis ſcripto; Bini itidem Codices membranacei, *Conradi Vrſpergenſis Chronicon* exhibentes, de quibus differit STRVVIVS *Obſeru. ſelect. Halenſ. Tomo I. obſeru. 20. p. 315. ſq;* *Baptiſtae Guarini* ad nobilem adoleſcentem, Maffeum Gambaram, *de ordine docendi ac ſtudendi libellus*, ab eodem *Ienae a. 1704. in 8.* diuulgatus, qui pars olim fuit Bibliothecae Budenſis, indicantibus id Regis Coruini inſignibus, elegantiſſime pictis; *Martini Poloni Chronicon; Thomae Campanellae Atheiſmus triumphatus*, Auctoris, vt creditur, autographum, de quo idem STRVVIVS egit *Actor. litterariorum Faſc. ſecundo; Sophoclis Aiax et Electra*, cum Scholiis Graecis adhuc non excuſis; *Varia Chronica res Germaniae illuſtrantia; MSta Lutheri, Melanchthonis, Spalatini et coaeuorum.* Praeter ea reperiuntur in Bibliotheca Ienenſi *Biblia veteris Teſtamenti Germanica* a. 1539. luci expoſita, quae in omnibus paginis Lutheri noſtri emendationes, manu eius adiectas, continent; *Biblia Germanica* in membranis a. 1540. edita, et Lucae Cranachii penicillo pulcherrime ornata, quibus olim vſus eſt Ioh. Frid. I. Elector Saxoniae; *Duo Bibliorum Latinorum*, ex vulgata verſione, *Volumina* in folio, quae intra annos 1440. et 1450. litteris miſſalibus excuſa videntur; ac *Durandi Rationale diuinorum officiorum*, Moguntiae per Ioh. Fuſt a. 1459. eadem forma impreſſum membranis. Nec ſine

ſine voluptate adſpiciuntur *ducentae* circiter *imagines Ducum quorundam Saxoniae*, atque *Profeſſorum*, qui et ſuperioribus temporibus, et hac noſtra aetate, Academiam Salanam ſuis meritis nobilitarunt. Atque haec de Bibliotheca iſta, haud vulgari profecto, quae diebus Mercurii ac Saturni poſt meridiem patet, annisque ſingulis nouo diuerſorum librorum cumulo amplificari ſolet. Situm eius et praefectos breuiter memorauit ADRIAN. BEIERVS in *Architecto Ienenſi cap. IV.* Inter hos inclaruerunt praeſenti, quo viuimus, ſaeculo Struuius, libri huius auctor; Barthol. Chriſtian Richardus; Chriſtian. Gottlieb Buderus, iam illuſtris ICtus et Hiſtoricus; Gottlieb Stollius; cuius poſt obitum prouinciam hanc nactus eſt, hodieque adminiſtrat, Ioh. Chriſtoph. Mylius, Ordini Philoſophorum Adiunctus. Accepimus ab eodem *Bibliothecae Academicae Ienenſis Memorabilia*, *Ien. 1746. in 8.* Sed Pars tantum prima proſtat: alteram adhuc exſpectamus. Non ſpernendus certe viri clariſſimi labor, quamquam, quod pace eius dictum ſit, varia de eo moneri poſſent. Confer. ſimul CASPAR. SAGITTARII *Oratio de Bibliotheca Ienenſi*, in SCHMIDII *Acceſſione prima ad Maderum de Biblioth. p. 298. ſq.* B. G. STRVVII *Hiſtoria et Memorabilia Bibliothecae Ienenſis*, in *altera Acceſſione ad Maderum p. 281. ſq.* itemque Anonymus *in der ausführlichen Nachricht von dem gegenwärtigen Zuſtande der Vniuerſitaet Iena. Ienae 1751. in 4. Cap. X.* Inter Bibliothecas priuatas celeberrimae ſunt *Walchiana* et *Buderiana*, quas poſſeſſores eruditiſſimi non ſine magnis ſumtibus iam pridem adornarunt.

Ingolſtadienſis Academiae Bibliothecam MStis Ebraicis, Chaldaicis, Arabicis, Graecis et Latinis celeberrimam dicit LVDOV. IOCOBI à S. CAROLO en *Traité des plus belles Biblioth. p. 188.* ſtatim ſubiungens, Catalogum edidiſſe CHRISTOPH. FERS, quod plures etiam adfirmant ſcriptores. CONRINGIVS ſane *de Bibl.*

Aug.

Aug. p. 162. ap. Maderum praecedentis, inquit, *saeculi Christiani anno nonagisimo nono Christ. Ferg Ingolstadii publicauit Catalogum perpetuum, vt appellat, et alphabeticum omnium librorum bibliothecae Ingolstadiensis, secundum quatuor facultates in viginti quinque classes tributum.* Eundem editionis annum indicat HOTTINGERVS in *Bibl. quadrip. p. 19.* et REIMMANNVS in *Biblioth. acroamatica*, seu *recensione Cod. MSt. in Bibliotheca Caesarea Vindob. exstantium, p. 5. Praefationis*, vbi et auctor ille Ferus dicitur. Add. *Lexicon Erudit. Menckenio-Ioecherianum, Tomo II. p. 566.* LABBEVS contra in *Biblioth. Bibliothecar. p. m. 34. edit. tertiae Rothomagensis* librum Ingolstadii a. 1600. apud Willerum, aut praecedenti 1599. apud Andream in f. prodiisse monet. BAILLETVS in *Jugemens des Savans, T. II. P. I p. 222. edit. Amst. minoris* solius anni 1600. meminit, et HEVMANNVS in *Biblioth. Academica, Conringii Antiqu. Acad. subiecta, p. 99.* anni 1605. Ex vno duos facit libros LOMEIERVS *de Biblioth. cap. X. p. 205.* in *altera Accesf. Schmidiana ad Maderum.* In hoc variorum eruditorum, qui nec de auctoris nomine inter se concordes sunt, dissidio, ipsius libri inspiciendi occasionem optauimus; at ne in locupletissimis quidem Bibliothecis, e. g. Guelpherbytana, eundem licuit inuenire. Ex quo id colligere non dubitamus, vel rarissimum esse, vel, quod propius vero, nunquam lucem vidisse Catalogum hunc Bibliothecae Ingolstadiensis.

Isenaci quatuor occurrere Bibliothecas publicas, Christianus Iunckerus refert. Primum locum *Ducali* tribuit, libris historicis potissimum, politicis et mathematicis, instructam, atque inter hos manu scriptis quibusdam recentioribus, etiam Orientalibus. Illa vero, post mortem vltimi Ducis, Guilielmi Henrici, testamenti tabulis Coniugi serenissimae relicta, et, vt fama fuit, ante aliquot annos distracta est. Alteram

ram Bibliothecam, in Templo S. Georgii repoſitam, reuerendum *Miniſterium* habet, quae praecipue libros theologicos, atque MSta quaedam, ad Hiſtoriam ciuitatis Iſenacenſis eccleſiaſticam facientia, complectitur. Initia eidem a. 1596. dedit Sebaſt. Kyhmaeus, Diaconus; poſt variis creuit donationibus. Tertia pertinet ad *Gymnaſium*, de qua CHRISTIAN. FRANC. PAVLLINI *Annal. Iſenacenſ.* (in eius *Syntagm. rer. et Antiqu. Germ.) p. 216.* ita ſcribit: *Anno 1586. M. Valent. Weinrichius primum inſtituit Bibliothecam ſcholaſticam.* Quod bonum opus liberalitas aliorum promouit egregie et auxit, cum primis a. 1589. legatum Paul. Wachsmundi, Conſulis, et Chriſtoph. Wineri, cuius fata paucis memorat *Lexic. Erud. Ioecherianum.* Eius potiſſimum ſtudio Bibliotheca haec ſuam quaſi formam habitumque accepit, tum ad meliorem ſenſim conditionem perducta eſt. Catalogum librorum inſeruit Iunckerus opuſculo ſtatim nominando. Rariora paſſim occurrunt; integra tamen Bibliotheca tunc temporis nondum ſex voluminum centurias expleuit. Quartam poſſidet *Seminarium theologicum*, anno demum 1704. munificentia Ioh. Guilielmi, Ducis Saxoniae, conditam, ideoque librorum adhuc numero caeteris inferiorem. Vid. laudati IVNCKERI *Hiſtoriſche Nachricht von der öffentl. Biblioth. des Fürſtlichen Gymnaſii zu Eiſenach, nebſt einem beſondern Diſcours von einigen in den Chur- und Fürſtl. Sächſ. Landen befindlichen Bibliothequen, Eiſenach 1709. in 4.* de quo Opuſculo, nunc haud obuio frequenter, legi poſſunt *Acta Erud. Lat. a. 1710. p. 355. ſq.* itemque *der Neue Bücher-Saal, Tomo I. p. 613. ſq.*

De Bibliotheca *Kilonienſis* Academiae illuſtris MOSHEMIVS in *Theſauro epiſtolico La Croziano, Tomo I. p. 272.* ita ſcribit: *Falleris, quod inſignem heic loci bibliothecam eſſe putas. Eſt hic quidam librorum adparatus, ſed is, qui praeter ſcholaſticos, codicesque quos-*

dam

dam monachales, nil, quod dignum commemoratu ſit, complectitur. Exſtat de illa SEBAST. KORTHOLTI *Progr. Kilon. a. 1705. in 4.* editum, ex quo diſcimus, primam, quae Bordsholmi deliteſcebat, librariam ſupellectilem a. 1665. tranſlatam Kilonium eſſe, quum Academia Chriſtiani Alberti, Holſatiae Ducis, auſpiciis conſtitueretur. Quae inter volumina notiſſimum illud *Catholicon*, Mogunt. a. 1460. excuſum, praeter libros quosdam manu ſcriptos, repertum eſt. Eodem anno acceſſit Bibliotheca, quae in D. Nicolai Templo antea adſeruabatur, ſequentique hunc adparatum, aere clementer oblato, anno etiam 1667. mathematicorum praecipue ac hiſtoricorum librorum, ab Hanſo, Anteceſſore in Epiſcopatu, non ſine magnis vndique ſumtibus collectorum, copia Auguſtus Fridericus locupletauit, Cimbrorum Dux, et Epiſcopus Lubecenſis. Ex Gottorpienſi ſimul Bibliotheca ea Kilonienſi volumina, quae bis aderant, illata fuerunt. A. 1674. centum, quadraginta et octo libros medicos donauit eidem Matthias Clauſen, Chriſtiani Alberti, Ducis, Archiater. Numeroſior eſt et maioris pretii Bibliotheca iuridica, a Frid. Andr. Cramero liberaliter adiuncta, ne de incrementis pluribus, maxime inſtrumentis mathematicis, dicamus. A. *1709. ibid. in 4.* aliud nominati Auctoris *Programma de Bibliotheca Kilonienſi, inſigni ſupellectilis librariae acceſſione aucta*, prodiit, quod meas tamen in manus nondum peruenit. Id adfirmare omnino licet, multum hanc ipſam Bibliothecam Kortholti, Bibliothecarii, ſtudio debere.

§. XIV.

Laubanenſis Ciuitatis Bibliotheca publica, in Luſatia ſuperiori, a. 1569. condita eſt, auctore Sigiſmundo Sueuo, Sacerdote ibidem, ſenſimque Senatus et aliorum liberalitate libris compluribus, partim raris, accre-

accreuit. Nouiſſime optime de illa promeriti ſunt, praeter honeſtiſſimam feminam, Ottiliam Hoffmanniam, illuſtris Schroeterus, Cancellarius, Godofr. Boettnerus, Gymnaſii Rector, Koulaſius, Medicus ac Phyſicus Malmogiae in Scania, Schaeferus, Conſulis quondam Laubanenſis, filius, Daniel Trillerus, in patria cauſſarum patronus, qui a. 1734. librariam ſuam ſupellectilem, eamque admodum ſelectam, Bibliothecae publicae donauit, et Ioh. Chriſtoph. Kirchbachius, Conſul, ante aliquot annos viuis ereptus, a quo eadem cum libros non nullos, tum praecipue nummorum, rerumque naturalium et arte factarum, adparatum inſignem obtinuit. Manu ſcriptorum nihil fere adeſt, ſi *Athenagorae Apologiam*, *Opuſculum de ſtatura Caroli M.* eleganter in membrana exaratum, *notas*que *aliquas in Auctores antiquos*, exceperis. Vid. *Arbeiten einer vereinigten Geſellſchaft in der Ober-Lauſitz* caet. *Lipſ. et Laubanae a. 1749. in 8. P. I. p. 3. ſq.*

Lignitii non contemnendus librorum numerus exſtat in *Templo* parochiali, *D. Petri ac Pauli* nomine inſignito. Maximam Bibliothecae ſuae partem legauit olim Criſpinus Ritterus, Notarius Caeſareus, cui ex liberalitate Thieliſchii, mercatoris, varia Opera praeſtantiſſima acceſſerunt. Inter rariora eius Bibliothecae libri permulti, ſub typographiae initium excuſi, referuntur: praecipuum autem cimelium eſt *Vita S. Hedwigs*, Codex autographus, quem deſcripſit GODOFR. RHONIVS in *Epiſt. I. de quibusdam ineditis Hiſtor. Sileſiacae Scriptor. num. 1. art. 3.* Singularem quoque Bibliothecam habet *Academia equeſtris*. Ea pertinuit quondam ad S. Iohannis Templum, et, poſt Vratislauienſes, reliquis Sileſiacis multum praeſtitit iuridicorum cum primis Operum copia; deinceps in arcem tranſlata a. 1709. a Ioſepho Imperatore huic Nobilium Collegio conſecrata fuit, addito reditu ſexaginta Imperialium, quouis anno in libros nouos ac

rariſ-

rariſſimos impendendorum. IOH. CHRIST. KVNDMANNI *Acad. et Scholae German. cum Bibliothecis in nummis, p. 378. ſq.* et *p. 241.*

Lipſia, illuſtre Muſarum domicilium, duas ampliſſimas monſtrat Bibliothecas publicas, quarum altera ad *Academiam*, altera ad *Senatum* ſpectat. Minoris longe momenti eſt, quam *Templum Thomanum* habet. Contemplabimur

I.) *Academicam*, vulgo Paulinam, ad quam diebus Mercurii et Saturni ante meridiem nemini honeſto aditus eſt intercluſus. Dominicanorum olim patrimonium haec fuit, eiusque origines ad ſaeculum XIII. referuntur. Tempore illo, quo ſacra a Luthero emendata ſunt, Mauritii, Electoris, precibus Caſp. Borneri permoti, munificentia, ex Coenobiis Miſnicis, Pegauienſi cum primis, Pirnenſi atque Cellenſi incrementa haud leuia cepit. Tum acceſſit libraria ſupellex Mart. Steinmetzii, Medicinae Licentiati ac Mathematum Profeſſoris, teſtamenti tabulis a. 1584. relicta, et circa a. 1662. Ioh. Hülſemanni, Theologi ſummi, Bibliotheca eximia, mille ſexcentis et quinquaginta Florenis Miſnicis ab Academico Senatu, inſtigante potiſſimum Ioh. Adamo Schertzero, coemta, nec non, paucis poſt Hülſemanni obitum annis, bona Codicum copia, ipſa Dan. Heinrici, clariſſimi quoque apud Lipſienſes Theologi, manu exaratorum, quibus pleraque ſacrarum litterarum volumina iuſtis illuſtrantur commentariis, et ſanctioris doctrinae capita, in ſyſtemata redacta, explicantur. Adduxit etiam Ioach. Fellerus ſuauiſſimis efflagitationibus ampliſſimum Philoſophorum Ordinem et vtriusque Principum Collegii Socios, vt a. 1680. exquiſitam cum manu ſcriptorum, tum impreſſorum librorum ſupellectilem, quam magno

 ſtudio

ſtudio, impenſisque haud exiguis comparatam adſeruabant, Bibliothecae Paulinae, ſaluo tamen dominii iure, inferrent. Anno circiter 1716. iuſto eadem pretio acquiſiuit inſignem collectionem centum et ſexaginta quinque librorum, qui controuerſias, Pontificios inter et Caluinianos in Gallia agitatas, complectuntur, et a Godofredo quondam Oleario mira diligentia congeſti fuerant. Praeterea illuſtris vir, Iac. Bornius, Bibliothecae luculentam ſortem legauit, a filio eius, Ioh. Franciſco, poſt mortem parentis, quae in annum 1709. incidit, promtiſſime numeratam. Idem fecit Mich. Henr. Gribnerus, Iuridici Ordinis Praeſes, Borniique et Luderi Menckenii ſucceſſor digniſſimus, cuius ex teſtamento Paulina in auctione Bibliothecae, quam inſtructiſſimam reliquerat, librorum partem, mille Imperialium pretium aequantem, a. 1734. ſibi plus licitando vindicauit. Alia incrementa, quae a Muſarum fautoribus e. g. ſereniſſimo Duce Brunſuicenſi, Ferdinando Alberto, illuſtriſſimo Comite, Erneſto Chriſt. a Manteuffel, Friderico Bened. Carpzouio, Carolo Guil. Gaertnero, Menckeniis patre, filio ac nepote, variis profecta temporibus ſunt, hic loci recenſere non licet. Conſulant, qui plurima copioſiori expoſita ſermone legere cupiunt, reuerendi viri, CHRISTIANI GOTTLIEB IOECHERI, politiſſimam *de Biblioth. Acad. Lipſ. Paulina Orationem*, cum IOACH. FELLERI *Oratione* eiusdem argumenti, quae iam *a. 1676.* prodierat, nunc obſeruationibus paſſim illuſtrata fuit, editam *Lipſ. a. 1744. in 4.* Fuſe recenſetur Opuſculum in *den zuverläſſigen Nachrichten Parte LIII. p. 364. ſq.* Hoc tamen addendum adhuc, poſt Orationem Ioecherianam, typis impreſſam, nouis acceſſionibus

nibus ornatam esse Bibliothecam Paulinam. Primum enim, IOECHERO teste *im Gelehrten-Lexico Tomo IV. pag. 1797.*, Augustin. Frid. Waltherus, Medicinae Prof. primarius, a. 1746. testamento constituit, Gribneri haud dubie exemplo, vt ex libraria eius supellectile Opera quaedam, pretio quingentis Imperialibus paria, publico illi doctrinae Armamentario addicerentur. Deinde Rex potentissimus, Frid. Augustus, magnam voluminum copiam ex Ducali Weissenfelsensi Bibliotheca clementissime donauit. Tum Carol. Christianus a Tettau, summus rei metallicae Praefectus, omnes legauit, quos plures per annos multis collegerat sumtibus, libros metallicos, vt partim in *den Leipz. gelehrt. Zeit. a. 1748. p. 223.* partim in laudati IOECHERI *Elogio Caroli Christ. a Tettau, Lips. 1751. in 4.* memoratur. Postremo Frid. Mentzii, Professoris Physices, benignitate, testamento confirmata, ex Bibliotheca eius MStorum non nihil in Paulinam transiit nouissime. *Leipz. gel. Zeit. a. 1750. p. 792.* Muneri etiam transmisit, quodcunque librorum suis exire scriniis passus est eminentissimus Cardinalis, Angelus Maria Quirini. Inter antiqua typographicae artis monumenta, quorum adparatus eximius in Paulina Bibliotheca occurrit, rarissimum praedicatur volumen, a. 1477. in forma maxima diuulgatum, et Maittairio aliisque, qui supplementa ad eiusdem Opus pararunt, ignotum plane, exhibens *binos Poetas Germanicos, Wolframum ab Eschenbach* et *Albertum Halberstadiensem.* Docte hoc volumen descripsit V. C. IOH. CHRISTOPH. GOTTSCHEDIVS in *Progr. de rarioribus nonnullis Biblioth. Paulinae Codicibus, Lips. 1746. in 4. pag. 13. sq.* MStorum Catalogum concinnauit olim FELLERVS, primumque, cum

 orat.

orat. ſupra adducta, *ibid. a.1676. in 4.* poſt auctiorem et emendatiorem *a. 1686. in 12*, praemiſſa Caſp. Borneri laudatione, publicam in lucem protulit, ex qua editione altera Excerpta inſeruit MONTFAVCONIVS *Bibliothecae MStorum T. I. p. 594. ſq.* Sed nec omnes Codices indicauit Fellerus, nec ſcitu neceſſaria dixit de iis, quorum titulos notauit; ideoque celeberrimus Ioecherus nouum, eumque commodiorem et pleniorem, Manuſcriptorum iſtorum Indicem pollicitus eſt, ad quem laborem feliciter perficiendum propitias illi Muſas precamur. Nos interim, ne intactam hanc relinquamus chordam, ex IAC. TOLLII *Epiſt. itin. III. p. 64.* praecipuos, quos ipſe vidit et admiratus eſt, Codices nominabimus. Fuerunt inter hos *Homerus cum exegeſi et ſcholiis Ioh. Tzetzae Graecis ineditis*,*) ſed propter notarum ſeu litterarum compendium lectu perdifficilis; *Hermogenes; Aphthonius; Syneſii Epiſtolae; Ioſephus de bello Iudaico Graece; Porphyrius de abſtinentia animalium Graece; Geneſii Hiſtoria Byzantina inedita*, a Leone Armeno, vsque ad exceſſum Baſilii Macedonis, Codex Graecus membranaceus; (qui nunc, laudati Menckenii beneficio, nouae editioni Venetae Scriptorum Byzantinorum acceſſit, ornatior proditurus tamen, ſi exſpectare voluiſſet Typographus Praefationem bonae frugis pleniſſimam, Cf. *Vita Menckenii*, ab illuſtri Filio *Diſſertationibus* eius *Academicis* praefixa, *pag. 47.*) *Theodori Studitae Teſtamentum Graece; Eiusdem Catecheſes ad*

*) Scholiaſtes ille, e veteri membrana Bibliothecae Paulinae Lipſienſis adcurate deſcriptus, et prelo paratus vna cum Indice Scriptorum, ab eodem adhibitorum, fuit olim in praeſtantiſſima Ioh. Burch. Menckenii Bibliotheca, docente id *Catalogo eiusdem p. 816. edit. ſecundae.*

ad discipulos; Naucratii de Studitae morte Epistola ad fideles, Graece; Macarii cuiusdam de excessu animarum narratiuncula, Graece, quos quidem tres postremos Codices se descripsisse partim, partim describendos dictasse ea mente, vt ederet, subiungit Tollius. Alios quosdam notauit ibidem Struuius, scilicet *Iuonis Codicem* membranaceum, cui Andreas Riuinus hoc inscripsit Distichon:

Vltima non laus est, Pandectas si quis Hetruscas
Viderit: haud minor est, si quis Iuonis Opus;

Valerium Maximum et *Manilium*, vtrumque Auctorem in membranis, et hunc quidem peranti-quum, cuius FABRICIVS *Bibl. Lat. Vol. I. p. 295. §. 3.* meminit; *Ammonii Alexandrini Monotessaron,* siue Harmoniam quatuor Euangelistarum, iussu Ludouici Pii exaratam; *Varios rerum Germanicarum Scriptores; Rhythmos veteres;**) *Acta Concilii Constantiensis*, quae laudat HERM. von der HARDT in *Prolegomenis, Tomo I. Concilii Constant.* praemissis, *p. 15.* Elegantissimus quoque ab eodem Struuio dicitur *Codex Epistolarum*, a. 1689. a Sam. Pufendorffio Bibliothecae Paulinae donatus, qui aliquot centum Epistolas autographas**) Heinsii, Scaligeri, Schotti, Casauboni, Freheri, aliorumque virorum doctissimorum ad Meursium exara-

 tas,

*) Cum primis huc pertinet Volumen quoddam Germanicum, exeunte saec. XIV. exaratum, tituloque *des Renners* notum, quod adcuratius depinxit amplissimus GOTTSCHED. *l. c. in princ.* De auctore vero Operis, Hugone Trienberga, siue a Trimberg, natione Franco, singulari *Diss.* egit SAM. GVIL. OETTERVS *Erlangae 1747.* Add. VOGTII *Catal. libror. rarior. p. 575. edit. nouiss.*

**) MAGNVS CELSIVS in *Hist. Bibl. Reg. Stockholmens. p. 165.* aliter sentit, easque Pufendorffium ex Autographo Biblioth. Stockholmensis descripsisse docet.

tas, continet, dignas omnino, quae edantur, quum rei litterariae multum praebere lucis possint. Constitutum apud se id habuit olim vir summus, Carol. Otto Rechenbergius, ICtorum Lipsiensium princeps: sed morte nuper sublatus non videtur perfecisse notas historicas, quibus totum illustrare volumen inceperat. Cf. IOH. VALENT. SCHRAMMII *Dissert. de vita et scriptis Ioh. Meursii*, *Lips. 1715. p. 24.* Interim Excerpta ex hisce Epistolis leguntur in *Noua librorum rariorum Collectione*, *Hal. Magd. 1709. in 8. Fasc. III. p. 548. sq.* vbi tamen *p. 550.* monetur, inter decem et plures Epistolas vix vnam esse, quae a rerum commendari dignitate queat. Bibliothecarii fuerunt viri doctissimi, partimque laudati iam a nobis, Casp. Bornerus, sacrarum litterarum Professor; Ioh. Friderici, Graecae Latinaeque linguae et Historiarum Professor; Henr. Hoepfnerus, primum Logices, post Theologiae Professor; Ioh. Ittigius, Professor Philos. naturalis; Ioach. Fellerus, Poeseos Professor; Christoph. Pfautzius, Mathem. Professor; Christian. Frid. Boernerus, Theol. Professor, qui adhuc Lipsiam ornat, et, quod Bornerus inchoauerat, Fellerus poliuerat, feliciter absoluit, externam quoque Bibliothecae formam reddens longe splendidiorem. Boernero successit Ge. Frid. Richterus, Moral. et Polit. Professor, Richtero Ioecherus, Theologiae Doctor et Academiae Historicus, quem huius libri editor praeceptorem veneratur, Res publica litteraria in deliciis habet. Hactenus de Bibliotheca illa illustri, quae et variarum imaginum elegantia oculos mirifice oblectat. Ita enim IOECHERVS in *notis ad Felleri Orat. cit. p. 15. in anteriori*, inquit, *bibliothecae parte, quae quondam antiqua diceba-*

dicebatur, dispositae hodie conspiciuntur effigies bene multorum theologiae et ebraeae linguae, iuris itidem, medicinae et philosophiae professorum Lipsiensium. Posticum vero bibliothecae atrium aliquot serenissimorum Patriae patrum, S. R. I. Septemuirorum, eorum, qui mortales esse rectores et philosophici ordinis decanos suo exemplo docuerant, aliorumque doctrina, meritis dignitatibusque eminentissimorum virorum, quorum virtus post funera viuit viuetque, elegantissimis imaginibus superbit.

Pergendum nunc

II.) ad amplissimi *Senatus* Bibliothecam, quae coepit a. 1677. ex legato Hulderici Grossii, et a GODOFR. CHRISTIANO GOETZIO, Praetore quondam ac Bibliothecario, singulari *Programmate*, quo publicum Bibliothecae vsum indixit, *Lips. a. 1711. in 4.* studiose descripta est. Qui libellus si cui desit, is praecipua eiusdem capita cognoscere potest ex Diario Lipsiensi, *der Neue Bücher-Saal der gelehrten Welt* dicto, *Tomo I. P. 12. p. 914. sq.* Audiamus ipsa GOETZII verba *p. 9.*, quae haec sunt de origine Bibliothecae, nunc locupletissimae: *Habuimus antea Deo sacratas aedes non inelegentes, scholas haud incelebres, nosodochia capacissima, armamentarium satis instructum, totam vrbem aedificiis splendidissimis exornatam, ciuitatem opulentam, legibusque saluberrimis temperatam, Academiam florentissimam; solam Bibliothecam publicam, quae supplementi instar accederet, non habuimus. Omnis librorum apparatus intra paucorum priuatos parietes latebat, vel publicis vsibus minime patebat. Calamitosissimi belli molestiae, indeque superstites complures aliae difficultates, ne Amplissimus Ordo tale quid praeclari auderet, impedimento erant. Opportune tandem, sed insperato, hisce superuenit vir maioris virtutis, quam famae, Hul-*

dericus Grossius, caussis in foro tractandis addictus, a quo nil minus forte exspectasses, quam vt huius modi consilium, et patriae, et vniuerso eruditorum coetui adeo salutare, iniret. Attamen is animo secum reputans, quantum decus adhuc patria desideraret, et quam expeditam sibi ad assequendam immortalitatem viam strueret, si, cum caelebs esset, nec propinquos haberet vllos, facultates suas publicis commodis sacras efficeret; sub ipsum vitae suae exitum prudentissimum Senatum, testamento rite condito, haeredem omnium bonorum constituit, ea saltem lege, vt bibliothecam suam inde augere, auctamque ciuium suorum vsibus dicare vellet. Quae pia et summis laudibus extollenda religiosissimi testatoris voluntas, cum displicere haud posset Patribus, ad promouendum vrbis honorem sponte sua pronis, haereditatem non modo adiuerunt, sed Bibliothecam quoque relictam, vt pretiosissimum cimelium, et fouere, et amplificare, omnibus modis, et in pulcherrimum hunc statum deducere solicitissime curarunt. Haec igitur Bibliotheca Grossiana translata primum in Curiam, deinceps autem, quum locus ibi esset angustior, alius ei supra ciuitatis Armamentarium constitutus est, vbi etiam adhuc seruatur in superiori aedium parte; mox vero nouum occupabit domicilium, iam a. 1741. coeptum, quod aliquando magnifici palatii formam habebit. Adparatui Grossiano Senatus adiecit mox Ioh. Schefferi, Iudicio Praeturae rusticae ab actis, librariam supellectilem, et magna illa volumina, Bibliothecam Patrum, Conciliorumque Collectionem. Emta quoque ex facultatibus Grossii Ant. Güntheri Boeschenii, Senatoris et Syndici, Bibliotheca, libris iuridicis, historicis ac philologicis instructissima. Post variorum liberalitate incrementa accesserunt. Senatus itidem cura ex taber-

tabernis librariis, publicisque auctionibus libri praestantissimi comparati sunt, ita quidem, vt quum initio bis mille tantum volumina adfuerint, iam a. 1711. ad quatuordecim millia excreuerit Bibliotheca, qua in re multum ipsi Goetzio tribuendum est speciatim. Hinc VRBAN. GODOFR. SIBERVS in *Dedicatione, Vitae S. Spyridionis* praemissa, sic eum adloquitur: *Tu, excellentissime Praetor, dum ex Hispania, Italia, Gallia, quas adiisti, ipsaque Graecia libros et Codices elicis, inque communem vsum perfers et benignissime communicas, vsumque illorum et opes eruditionis contentas digito monstras, Principibus aliquando summis ad Tuum illud oris decus, et illam palaestram Tuam confluentibus, eo rem litterariam deduxisti, vt iucundissimum illud de promouendis litteris cum Academia certamen in communem orbis vtilitatem vergat.* caet. Quantopere autem post hos quadraginta annos, et ex eo tempore, quo Goetzius librorum iniit numerum, auctae sint litterariae illae diuitiae, haud difficulter animaduertent omnes, quibus nouissime adpropinquare licuit ad tot cultissimorum ingeniorum monumenta. *) Id enim semper egit vir illustris, cui suprema adhuc Bibliothecae demandata est cura, Ioh. Iac. Mascouius, vt, quamcunque doctrinae partem intuearis, nihil Operum scriptorumue rariorum, pretiosorum, et quorum maximus sit vsus, fere desideretur. Quae si ex legato Grossiano coemta fuerint, aureis id litteris, omnium voluminum ligaturae impressis, indicari solet, quo testatior sit huius

*) Anno 1733. triginta voluminum millia numerata fuisse perhibet CAROL. STEPH. IORDAN *dans l'Histoire d'un voyage litteraire p. 11.* vbi haec: - - *on la compte de trente mille volumes, elle est très bien choisie, point de fatras, tous les bons livres nouveaux y entrent.*

beneficii memoria. Neque vero librorum excusorum delectus tantummodo, ſed praeclara etiam Codicum manu ſcriptorum copia iſthanc Bibliothecam commendat. *Tot tantisque incrementis*, inquit GOETZIVS *l. c. p. 20. pulcherrima enata eſt MStorum congeries, quingentis iam et amplius voluminibus luxurians; quorum indicem, ſi Deus vitam conceſſerit, breui daturi ſumus.* Haec ex ſcriniis Theodorici de Buckensdorff, ſiue Burgksdorff, Lipſienſium ICtorum Praeſidis ordinarii, Iac. Bornii, ſupra laudati, Ioh. Chriſtoph. Wagenſeilii, Andr. Acoluthi, Auguſti Pfeifferi, Lubecenſium ſacrorum Praeſulis, Zachar. Conr. ab Vffenbach, et aliorum profecta, maximaque ex parte praeſenti comparata pecunia ſunt. Wagenſeiliana, Acoluthiana atque Pfeifferiana in litteratura praecipue orientali eminent. Nos, GOETZIO duce, non nullos iſtorum Codicum ſubiiciemus. In membranis reperiuntur: *Chryſoſtomi Homiliae in Geneſin*, a Cap. XIV. vsque ad Cap. XXXIX. vndecimo circiter ſaeculo exaratae; *Auguſtini Opera quaedam, et Eugepii*, Abbatis Africani, *Excerptorum liber e S. Auguſtini ſcriptis; Menologia duo*, ſatis antiqua, vitas aliquot Sanctorum exhibentia; *Titi Liuii libri quadraginta*; *Ouidii*, *Virgilii*, *Horatii*, *Lucani*, *Silii Italici*, *Pomponii Melae* et *Strabonis Opera; Gloſſae Latinae in Martianum Capellam*; Celeberrimum illud *Chronicon Schwartzahenſe*, ſeu Schwartzheimenſe, hiſtoriam rerum a Proca, Albanorum Rege, vsque ad a. Chriſti 1126. in orbe geſtarum exponens; *Petri de Vineis Epiſtolarum libri VI.* quarum pars in charta ſcripta; *Codex biblicus*, qui Pentateuchi, Ioſuae, Iudicum, Ruth, Samuelis et Regum libros, ex verſione Germanica antiquiſſima, complectitur; *Chronicon Hiſpaniae Regum*,

gum, a Veremundo III. vsque ad Alphonſum X. pertextum; et, qui familiam ducit, praeſtantiſſimus Codex, quantumque conſtat, in toto terrarum orbe vnicus, *Conſtantini Porphyrogenneti de Cerimoniis aulae Byzantinae libros II.* Graece compoſitos continens. Pertinuit is olim, quod veri ſimillimum, ad Bibliothecam Budenſem, tandem in Vffenbachianam, et ex hac in Senatoriam Lipſienſem tranſiit, vbi tantum cimelium eruditis inuidere noluit illuſtris Maſcouius; ideoque ſtimulauit virum Graecae linguae et humaniorum litterarum egregie peritum, Ioh. Henr. Leichium, vt Operis longe rariſſimi editionem ſuſciperet. Paruit ille ſtatim conſilio vtiliſſimo, at, vix excuſis quinquaginta quatuorque plagulis, in optimo aetatis flore viuis ereptus totum negotium conficiendum reliquit V. C. IOH. IAC. REISKIO, cuius induſtria *Tomus I.* cum Latina interpretatione, et Praefatione Editoris lectu digna, prodiit ſplendidiſſime *Lipſ. a. 1751. in f.* Tomus II. Leichii etiam Reiſkiique obſeruationibus criticis et hiſtoricis inſtructus propediem ſequetur. Cf. *die zuverlaeſſigen Nachrichten P. CXLII. p. 597. ſq.* Inter Opera chartae inſcripta monſtrantur: *Athanaſii expoſitio in Pſalmos*, ex Codice Bibliothecae Auguſtanae ipſa Eliae Ehingeri manu exarata; *Lactantius; Pompeius Feſtus* et *M. Terentius Varro de lingua Latina; Columella de re ruſtica;* Poema Germanicum, titulo *der Renner* inſignitum, exemplar ſaeculi XV. quo tamen antiquius, vt ſupra dictum, ſeruat Bibliotheca Paulina Academica; Multa volumina *Iuris Prouincialis, Feudalis et Municipalis Saxonici,* cum Gloſſis ſuis ſaec. XV. conſcripta; *Varia Diplomata et Inſtrumenta Pontificum, Imperatorum, Epiſcoporum, Principumque ſaecularium,* quorum non nulla

nulla ſeptingentorum annorum aetatem prae ſe ferunt. Plura nolumus attingere, pleni bonae ſpei, futurum quendam in tanto eruditorum Lipſienſium numero, qui mox adcuratiorem omnium horum MStorum Indicem, a Goetzio iam promiſſum, additis de cuiusque aetate ac praeſtantia notis litterariis, publicae luci exponat. Librorum typis impreſſorum, quibus abundat Bibliotheca Senatoria, rariſſimus, et quantiuis hodie pretii, ille eſt, qui *Miſſale Mozarabicum* vulgo dicitur, iuſſuque Cardinalis Ximenis *Toleti a. 1500. in f.* prodiit. Cf. de eo VOGTIVS in *Catal. libr. rar. p. 470. edit. nouiſſ.* et IORDAN *l. c. p. 11. in fine*, qui et paullo poſt ſe vidiſſe ibidem refert *Authenticum illud Caroli V. Imperatoris*, datum die ſexto Martii 1521. quo Lutherus noſter inuitatur Wormatiam. Nec deſunt alia illuſtrium Bibliothecarum ornamenta v. g. celeberrimorum pictorum labores eximii; rerum naturalium et artificialium adparatus haud vulgaris; Mumia Aegyptiaca, quam munus omnibus raritatis numeris abſolutiſſimum vocat GOETZIVS *l. c. pag. 37.* quamque fuſius deſcripſit FRID. THEOPH. KETTNERVS in *Diſſ.* quadam *Lipſ. a. 1703. in 8.* ſecundo, et quidem auctius, edita; Globi mirabiles; gemmae atque antiqua vaſa; et maxime Numophylacium exquiſitiſſimum, de quo legatur omnino GOETZIVS *l. c. p. 33. ſq.* Natum illud ex nummis ab Henr. Meiero, Sacerdote Lipſienſi, et Chriſtoph. Dan. Findekellero, collectis, ac deinceps quauis occaſione oblata adauctum eſt. Rariores quosdem, eosque perantiquos, nummos, ibidem obuios, recenſet IOH. GE. WACHTERI *Archaeologia nummaria, Lipſ. 1740. in 4.* quo libro eleganti ſatis comprobauit doctiſſimus Auctor, quam diligenter theſauros hosce

excuſ-

excusserit, vt in ordinem eos ac seriem redigeret, ipsi aliquando concreditos. Quumque non ignoremus, in re nummaria veteri, quasi in fundo suo, dominari eundem, *Capite VII. p. 49.* iure optimo scribere potuit: *Hoc Museum, vt est copia et selectu numismatum instructissimum, ita posteris documentum dabit eximii istius fauoris, quo praesens Senatus elegantiores litteras complectitur. Hodie curam eius habet V. C. D. Ioh. Iac. Mascouius, Consiliarius Aulicus et Ciuitatis Praetor,* (nunc Proconsul,) *cuius non vltima laus est, quod eius Musei non solum custos sit humanissimus, sed etiam interpres doctissimus.* Cf. de hac Bibliotheca, quae Mercurii ac Saturni diebus, ab hora secunda vsque ad quintam post meridiem patet, TENTZELIVS in *den monathlichen Vnterred. a. 1698. p. 933. sq.* TOLLIVS in *Epist. itinerar. p. 64. et 65.* itemque ANTON. WEITZII *Notitia breuis de Bibliotheca Senatoria Lips. eiusque Memorabilibus,* qui libellus sermone vernaculo, sine die et consule, in 8. diuulgatus est. Quod denique

III.) ad Bibliothecam *Templi Thomani* attinet, illa iam circa a. 1560. aliquam librorum vtilissimorum copiam complexa est, praecipue autem Georgii Wirthii, Medicinae Doctoris, liberalitate, et Henrici Hœpfneri, in Academ. Lipsiensi Professoris Theologiae, legato creuit, qui, quum liberos relinqueret nullos, Bibliothecam suam Thomanae consecrauit, ob tumultus bellicos Hamburgum missam, at post mortem eius an. 1642. sumtibus, ex Aerario ecclesiastico petitis, ad Lipsienses reportatam. Nicolaus etiam Selneccerus, Templi Pastor primarius, ac Dioeceseos Lipsiensis Superintendens, an. 1580. Professores, Ciuitatis Senatum, ciuesque nobiliores precibus amicis excitauit, vt benefica manu vel pecu-

pecuniae non nihil, vel libros, Bibliothecae isti donarent. Quorum exemplum laude dignissimum plures deinceps viri honestissimi sequuti sunt, ita, vt quotannis ex reditibus sortis collectae, amplissimique Senatus collationibus, noua doctrinae subsidia comparari queant. Locus, Bibliothecae capiendae destinatus, anno 1699. praefecturam Templi Thomani gerente tunc Adriano Stegero, sublatis mensis scriniisque parum apte collocatis, amplior redditus, ac libris, iusto magis ordine disponendis, congruum adsignatum est spatium. Inter MSta, quae exstant ibidem, *Ecclesiarum Saxonicarum Confessionem autographam*, ea mente compositam, vt in Concilio Tridentino exhiberetur, et *Mich. Stifelii Explicationem Apocalypseos Iohanneae*, manu eius exaratam duobus voluminibus, memorat HENR. PIPPINGIVS in *Arcanis Bibl. Thomanae Lips. sacris*, quo vsi hic libello sumus. Prodiit *Lips. an. 1703. in 8.* paullo post recusus in *Accesss. altera Schmidiana ad Maderum de Bibliothecis pag. 293. seq.* De Bibliotheca *Templi Nicolaitani*, cuius origo ad an. 1597. refertur, v. CHRISTOPH. ERNESTI SICVL *Beylage zu des Leipz. Jahr-Buchs dritten Probe, Lips. 1717. in 12. pag. 53.* Bibliothecis priuatis etiam, iisque non vulgaribus, Lipsia excellit mirifice. Praetermissis, quae hoc saeculo diuenditae sunt, ad *Boernerianam* tantum, *Menckenianam*, *Kappianam* et *Joecherianam* prouocamus. Has enim non sine maxima voluptate perlustrabunt hodie rei librariae amatores. *Boernerianam*, quam praeter manu scriptas Graece *Epistolas Paulinas*, multorum saeculorum Codicem, Aldinarum, aliarumque rariorum editionum copia instructam esse nouimus, laudat IORDAN *loc. cit. pag. 17.* *Kappianae* idem meminit, nunc longe

longe ditioris, *pag. 10.* De *Menckeniana* ipſe poſſeſſor illuſtris, FRID. OTTO MENCKENIVS, in *Miſcellan. Lipſ. nouis*, cura eius editis, *Vol. VI. P. 1. p. 117.* poſtquam de paterna Bibliotheca, in veris olim Lipſiae ornamentis habita, eleganter, vt ſolet, diſſeruerat, ſequentia ſubiungit: *Cum patrem aeque ac auum vniuerſae hiſtoriae, ſacrae et profanae, ciuilis et litterariae, patriae et externae, inſignis quidam amor, ſiue a natura inſitus, ſiue a munere publico inflammatus, teneret, eſſetque haec praecipua eorum cura, vt quicunque demum huc referri poſſe viderentur, librorum omnium iucunda ipſis frui poſſeſſione liceret: quo in genere, ampliſſimo, ni fallor, et quotidianis augeri incrementis ſolito, ſatis omnes ſciunt, quantum exhauriri nummorum poſſit; ego, alienior ab illis ſtudiis, vnde parum mihi in vmbratili hac vita exſpectari vtilitatis poſſet, nec eorum mihi ratus exemplum imitandum, a quibus ad pompam tantum, non ad vſum, auguſtiſſima Muſarum quaſi templa exaedificantur, de eo tantum genere librorum mihi comparando laboraui, quo aegerrime carere elegantiorum litterarum, hoc eſt, Graeci et Latini ſermonis, antiquitatum, rei criticae et numiſmaticae, eloquentiae et poetices, illius denique hiſtoriae, quae ſcientiarum artiumque nobis fata tradit, ſtudioſi ſolent. Hos mihi ipſe in litterato hoc negotio cancellos circumdedi, extra quos ſi egrederer nunquam, ita futurum certiſſime ſperabam, vt plena ſatis, ſatisque inſtructa, gaudere mihi aliquando, et quidni gloriari? Bibliotheca liceret. Nec me poſtea haec ſpes deſtituit, id ipſum, vt ſolemus fere, acri quodam et contento ſtudio agentem, et, quantum in his etiam rebus continua quaerendi exercitatio et conſuetudo valeat, vſu ipſo edoctum. Nam, ſi mihi venia haec detur, vt poſſim de meis rebus ea, quae ſunt vera, nec magnam*

adeo laudis, aut gloriae, materiam habent, profiteri, ea me in colligendis his, quae pertinent ad artem meam, fateor fortuna vſum, vt iam meus hic librorum, quos ex omni paene Europa a tot inde annis congregaui, apparatus cum Bibliothecis etiam longe ſplendidiſſimis, ſi non copia, cuius ego rationem nunquam habui, at delectu et praeſtantia, certare poſſit. Nam, vt nihil dicam de Graecis et Latinis Auctoribus, quorum, ſi e re publica id foret, numeroſiſſimae a me copiae in aciem educi poſſent, nihil de omnis generis antiquitatum ſcriptoribus, quos, ſi modeſtiſſime dicendum, paucis fortaſſe ciuium meorum tanto numero conſociatos licuit videre, nihil de illa hiſtoriarum parte, quae in exponendis hominum doctorum vitis, et ſcientiarum artiumque fatis, verſatur: quo in genere diuitem potius, quam egenum, me iudicabit, ſi quis multum hic praeſtare meas opes paternis cognouerit; vel ſolos numorum veterum interpretes, liberali a me hoſpitio inuitatos, ita ſe mihi praebuiſſe ad accipiendum illud faciles recordor, vt vere affirmare poſſim, illorum vix vnum et alterum ad hunc diem mihi fruſtra veſtigatos. Sed non eſt inſtituti mei, de Bibliotheca mea (Bibliothecularn dicerem, ſi ita cum veteri Latio liceret,) glorioſius, quam fortaſſe inuidorum aliqui vellent, praedicare. Illius quae ſit ratio, et quae mihi aeque ac aliis inde aliquando commoda ſint exſpectanda, hos, qui in re tali curioſiores eſſe ſolent, alio et loco, et tempore, docebo. Id vnum ignorare nunc Lectores nolo, doctos vndecunque et ſelectos libros conquirentem incidiſſe me in multos, rarius nunc quidem obuios, quippe ſub ipſis artis typographicae natalibus excuſos, atque adeo, ſi re nulla alia, ſaltim venerabili antiquitate, commendatiſſimos.

Loccu-

Loccumensis Abbatiae, in Principatu Calenbergico, Bibliotheca egregiis olim conspicua MStis fuit. Sed plurima in tristissimo bello tricennali perierunt. Noua interim ornamenta proficiscentur in eandem a venerabilis viri, Georgii Ebelii, Abbatis hodierni, supellectile, numero librorum et praestantia commendabili, quam suo dicasse Monasterio scribit Clarissimus BARINGIVS in *der Hannöverischen Kirchen- vnd Schulen-Historie, Hanouerae 1748. in 8. pag. 271.*

Lubecae quodlibet olim Templum, vna cum Curia, suam habuit Bibliothecam. Sed superiori saeculo Magistratui auctor fuit Georgius Stampelius, Superintendens, vt in ornamentum Ciuitatis, Scholaeque commodum, omnes illos coniungeret libros, vnamque exinde Bibliothecam instrueret. Factum id a. 1620. quo domicilium illi attributum est ad D. Catharinae Templum, prope locum, qui Consistorialis vulgo dicitur. Vid. CASP. HENR. STARCKE in *Histor. ecclesiastica Lubec. Tomo I. p. 41. et p. 610.* Addita mox a. 1627. pars Bibliothecae, ab Alexandro a Luneburg, Consule primario, legatae, quibus litterariis opibus post obitum Ioh. Kirchmanni, Gymnasii Rectoris, ac primi Bibliothecarii, integra eius libraria supellex, philologica praecipue et historica, iure donationis accessit. Nec parum incrementi attulerunt legatae Henr. Seedorfii, ICti, et Conradi a Dorne, Senatoris Lubecensis, Bibliothecae, quae a reliquis libris separatae conspiciuntur. Cf. hoc loco DAVID van der BRVGGE, Bibliothecarius olim, patriaeque Scholae Subrector, in *Aeternitatis Albo, memoriae perennaturae eorum, qui Bibliothecam Lubecensem vel viui, vel mortui, libris, legatis, ornamentis, locupletarunt, illustrarunt, sacro. Lubecae 1678. in 4.* Numerus omnium voluminum hodie nouem millia excedit, inter quae, praeter egregia primi saeculi typographici monumenta, libri iuris publici atque historici familiam

 ducunt.

ducunt. Aliquando tamen longe maiores copias ostendere poterit Bibliotheca Lubecensis, quandoquidem reuerendus Ministerii Senior, Henr. Scharbau, eidem destinauit priuatam suam, in disciplinis theologicis, Philologia sacra, Antiquitatibus et Historia ecclesiastica insigniter instructam. Inter Codices manu exaratos, quorum aliquot Centurias seruat Bibliotheca publica, sed qui Scholasticorum maximam partem nugas complectuntur, *duo Prisciani de octo partibus orationis exemplaria*, saeculo nono, vel decimo minimum, scripta, laudari praecipue debent. Adsunt etiam non nulli Auctores, classici vulgo dicti, recentioris tamen aetatis. Solus *Cicero de Officiis* chartaceus, et in fine mancus, antiquam litterarum formam exhibere videtur. At probabilis est coniectura, id ipsum volumen a Monacho quodam, poenae loco, ex vetusto exemplari depictum fuisse. Agunt de hac Bibliotheca IAC. VON MELLE in libello vernaculo, ex maiori Opere, quod manu scriptum reliquit, composito, cui titulus: *Gründliche Nachricht von der freyen Reichs-Stadt Lübeck, Lubecae a.1742. in 8. p. 282. sq.* et doctissimus vir, IOH. DANIEL OVERBECK, in *Orationibus tribus, ibid. a. 1745. eadem forma* editis, *p. 109. sq.* Quaedam etiam per litteras humaniter mecum communicarunt Clarissimus Gymnasii Conrector, Carol. Henr. Langius, nuper demortuus, et laudatus Overbeckius, adhuc Subrector ac Bibliothecarius, a quo forte plenior Bibliothecae Historia, iam superiori saeculo a Dauide van der Brugge promissa, exspectanda est.

Luneburgensium Senatus suum quoque habet adparatum librarium, cuius primi collectores fuerunt Fratres Minores, seu Monachi Franciscani. His a. 1554. penitus exstinctis, Bibliotheca eorum obuenit amplissimo Magistratui, atque mox publicis eruditorum vsibus concessa est. Ex eo tempore vario-

rum creuit largitionibus, iamque praecones eius saeculo XVI. fuerunt LVCAS LOSSIVS in *Lunaeburga Saxoniae*, *Frf. 1566. 8. pag. 40.* et HERM. HAMELMANNVS in *Historia ecclesiast. Ducat. Luneb. p. 903. Opp. genealogico-historicorum de Westphalia et Saxon. inferiori.* Annuam simul, eius augendae caussa, pecuniae summam ex Aerario ecclesiastico adsignauit Senatus: Caspar autem Sagittarius, Pastor ad S. Iohannis Templum, in ordinanda eadem desudauit mirifice, teste filio, Historico Ienensi, in *Dissert. de Memorabilibus Histor. Luneb. p. 44.* Circa a. 1680. accessisse videntur libri philosophici et philologici, qui olim ad Scholam Iohanneam pertinuerant, ipsaque Bibliotheca ex Mariano Templo, cum, quod locus nimis erat angustus, tum ob sacram hanc aedem reaedificandam, translata fuit in superius Monachorum quondam coenaculum, vbi adhuc adseruatur. Postea a. 1695. Christianus Rikemannus, ad D. Nicolai Templum Sacerdos, Bibliothecam suam, haud male instructam, legauit publicae, annoque 1713. Hieron. a Witzendorf, Patricius Luneburgensis, omnem librorum supellectilem, a maioribus eius congestam, liberaliter adiecit. Nunc singulis annis noua capit incrementa. Quamquam enim ex Aerario ecclesiastico nihil amplius soluitur, aliunde tamen reditum habet non plane mediocrem. Forte etiam, quod optamus, quodque praeterito iam saeculo agitatum est, cum ea propediem coniungitur Bibliotheca Familiae Dasselianae iuridica, satis diu in D. Nicolai Templo delitescens, sed meliori fato dignissima. Hoc tempore librorum typis impressorum decem circiter millia complectitur Bibliotheca Luneburgensis, inter quos varia Opera pretiosa occurrunt, e. g. Bibliotheca Patrum Maxima; Bibliotheca Fratrum Polonorum; Gronouii Graeuiique Thesauri Antiquit. Graec. et Romanarum; Lunigii Archiuum Imperii Germanici; Henninges Theatrum

genealogicum; Goltzii Numiſmatica; Rymeri Acta publica Angliae; Weinmanni Opus Botanicum; Acta Sanctorum, et Scriptores Byzantini, ex Pariſienſi editione, qui tamen non omnes adſunt. Multi praeterea libri, primo inuentae typographiae ſaeculo editi, monſtrari poſſunt, quorum antiquiſſimum eſt, paucisque cognitum, *Bibliorum Latinorum* exemplar, duo volumina in fol. conficiens. Scite de illo diſſeruit clariſſimus TODIVS, reuerendi Miniſterii Candidatus, in *der Berliniſchen Bibliothec, Tomo II. P. 3. p. 410. ſq.* Add. IDEM *eo ipſo Tomo, P. 6. p. 744. ſq.* De Codicibus vero manu exaratis iam CASPAR SAGITTARIVS *l. c.* ita iudicauit: *Bibliotheca iſta non vulgaris eſt, certe egregiis MStis abundat, quorum Catalogus, vt cum erudito orbe communicaretur, dignus eſſet.* Non omnia quidem melioris ſunt farinae, quaedam inueniuntur tamen, quae praeſtantia ſua, et cultu quoque externo, ſpectantium animos voluptate perfundunt. Quantiuis certe pretii Codex eſt *Speculum Iuris Prouincialis et Feudalis Saxonicum*, in forma maiori ſaec. XIV. lingua Germanica membranis pulchre inſcriptum, ornatumque litteris et picturis variis, auro ſplendidiſſime diſtinctis. Alter *eiusdem argumenti Codex*, itidem membranaceus, in f. priore recentior quidem, exaratus eſt enim a. 1442, nec, praeter picturas quasdam in limine obuias, tantam prae ſe fert magnificentiam: interim carus etiam haberi merito debet. Vtriusque exemplaris virtutes diligentius exponet vir illuſtris, CHRIST. VLRIC. GRVPEN. in *Corpore Iuris Saxonici veteris*, quod iam ante aliquot annos ſub prelo fuit apud Gottingenſes. Addimus his: *Decretalium libros cum Gloſſa Iohannis Cardinalis*, Codicem membranaceum duorum Voluminum, nitide ſcriptum; *Innocentii IV. Gloſſas in Decretales*, qui Codex, in membrana perquam eleganter exaratus, litteris fulget initialibus, auro obductis,

variis-

variisque figuris, artificiose satis depictis; *Iohannem de Lignano*, ICtum et Philosophum Bononiensem saec. XIV. clarum, *super Decretales*, Opus chartaceum, nondum editum; *Herm. Korneri Chronicam Nouellam*, Codicem membranaceum, duo formae maximae volumina exhibentem, litteris initialibus vel deauratis, vel pictis, quem ex Bibliotheca Luneburgensi in *Tomo II. Corporis historici medii aeui* peruulgauit IOH. GE. ECCARDVS Cf. celeberrimi von SEELEN *Selecta litteraria p.98. sq. edit. secundae.* Primus Bibliothecae illi, diebus Mercurii et Saturni post meridiem, ex decreto Senatus, aperiendae, praefectus fuit Waltherus, cui successit Ioh. Henr. Büttnerus, atque huic consultissimus Kruckenbergius, iam Curiae redituum a secretis. Semper enim id muneris tenuit quidam Secretariorum. Eorum, quae diximus de Bibliotheca Luneburgensi, partem maximam Ioh. Phil. Manecke, amplissimus Ciuitatis Syndicus, ex Patriae suae Historia, docte conscripta, et in lucem aliquando proferenda, beneuole nobiscum communicauit. (Vid. etiam VFFENBACHII *merckwürd. Reisen, P. I. p.502. sq.*

§. XV.

Magdeburgi Cathedralis Canonicorum Sedes Bibliothecam seruat, quae *Mauritiana* dicitur, atque Operibus typis pariter impressis, manuque exaratis, admodum est referta. Praeter Patrum quorundam Codices aliqua possidet, quae rara. Sunt enim ibidem: *Philobiblon de conseruatione librorum, cum Vincentii Bellouacensis libro gratiae; Mafei Regii*, Laudensis, Datarii Apostolici, *de educatione liberorum, et eorum claris moribus, libri sex; Conradi de Halberstadt tripartitum morale*, iuxta alphabeti seriem; *Iacobi Carthusiensis Tract. de sanctificatione Sabbati, praecipue circa opera molendini; Historia Troiana Guidonis de Columna;*

Chronicon Archiepiscoporum Magdeburgensium; Opusculum aduersus doctrinam cuiusdam Medici in Monte Pessulano, sculpentis in numismate figuram leonis cum certis characteribus, pro curatione renum; Pauli Constantii liber de caussa Bohemica, seu historia Hussitica; *Tractatus de Ite, missa est; Tractatus de modo studendi, vna cum inuectiua Aeneae Syluii in Scholarem vagum et Epistola Thomae de salubri modo studendi; Lucianus,* i. e. *Glossarium vocum difficiliorum; Principia et fines librorum doctorum originalium; Liber de itineribus et mansionibus; Diuersa vocabularia theologica, Ebraica, Graeca, Botanica, Chymica; Liber de re vestiaria, auctore Anton. Hasen; Fabulae Deorum Dearumque gentilium in sensum spiritualem pertractae; Simonis Ianuensis Synonyma, seu Lexicon medicum.* Memorauit haec STRVVIVS, quae nostra non facimus, id addentes tantummodo, plura et meliora hic vidisse Zach. Conr. ab Vffenbach, prout docent *seine merckwürd. Reisen, P. I. p. 162.* vbi multa *Lactantii, Augustini, Hieronymi, Gregor. Magni, Anselmi, Saluiani, Ambrosii, Cypriani, Bernhardi, Boethii, Isidori Hispalensis, Alani, Bedae, Rhabani Mauri, Gersonis, Hussi; Ciceronis* tandem *Epistolae ad diuersos*, ac *Senecae Epistolae* nominantur. Idem librorum excusorum, qui non magni admodum momenti fuerint, numerum ad bina circiter millia anno 1709. processisse, Catalogumque Codicum manu scriptorum, et membranaceorum, et chartaceorum, olim confecisse Ioh. Iulium Struuium, Templi Iohannei Sacerdotem, testatur. Talem adornauit quoque Iac. Frid. Reimmannus. Sed latet ille adhuc non editus, quoniam Auctor paullo post vocatus Hildesiam est. Vid. *Catalogus Bibliothecae Reimmannianae, Tomo II. p. 419.* quo simul indicatur loco, ex DITMARI *Chronico lib. II.* haud inepte colligi forsitan posse, quod Otto M. Imperator prima huius Bibliothecae fundamenta iecerit.

De

De *Senatus Magdeburgensis* Bibliotheca, in Curiae conclaui quodam reposita, Meybringkius, vrbis Sacerdos, non nulla significauit celeberrimo RVDOLPHO ANT. FABRICIO, Professori Helmstadiensi, quae ex *Diss.* eius *de Transpositione Bibliothecarum memorabili*, *p.38. sq.* describere licebit. Sic autem ille: *Quemnam in annum huius Bibliothecae sit referendum initium, et cui illa auctori adscribenda, haud cognitum est atque perspectum. Videtur tamen a tempore sacrorum repurgatorum, quod ante annos ducentos et plures factum, esse arcessendum. Nicolaum quippe Amsdorfium, sacrorum in hac vrbe antistitem, et Casparem Crucigerum, rectorem scholae, librorum copiam hic loci non inuenisse superstitem, inde colligi potest, quod alias spectasset ad monachos, eorumque curae fuisset concredita: at illi ad incitas ita erant redacti, vt vix haberent, quo vitam possent tolerare. Quum igitur apud hos nihil remanserit, veri simile est, duumuiros illos, Proceribus ciuibusque sua conferentibus, librorum penum conficere inchoasse; eamque post triginta annorum spatium maiorem in modum esse auctam, ex Magdeburgensibus conscriptis Centuriis, quod Opus multos requirebat libros, videtur posse coniici. Locus, in quo Bibliotheca haec suum cepit initium, putatur fuisse Coenobium, regulae S. Augustini subiectum, quippe cuius monachi Senatui vrbis illud cesserunt,] vt scholae publicae, Crucigeri opera nuper institutae, inseruire quiuerit vsibus. Namque ibidem Bibliothecae conseruatae sunt reliquiae in excidio Magdeburgico; et quum remisisset pestis, saeculi praecedentis anno octogesimo secundo inde in turrim, rectoris scholae domicilio contiguam, deportatae sunt, et a rectore Cunone custoditae, donec conclauia curiae instauratae anno 1698. hanc librariam collectionem recipere possent tutius custodiendam, augendamque commodius. Optime iam ordinata dispositaque conspicitur in conclaui curiae affabre*

 exstructo,

exſtructo, curam ipſius gerente viro quodam ex ordine ſenatorio.

Meinungae Sereniſſimus Saxoniae Dux, Bernhardus, Erneſti Pii filius, circa ſuperioris ſaeculi finem in comparando theſauro librario ſollicitus fuit; libros igitur ſelectiores, eosdemque rariores, coemit, ita quidem, vt inter minimas non ſit habenda haec Bibliotheca, manu ſcriptis licet Codicibus deſtituatur. Ea iam olim STRVVIVS obſeruauit, quibus adiici a nobis nihil poteſt. Neque dubitandum tamen, quin hac noſtra aetate Bibliotheca illa Ducalis multum fuerit locupletata nouis doctrinae ſubſidiis.

Mellicenſis Monaſterii, in Auſtria inferiori, Bibliothecam, quae ſaeculo circiter X. condita eſt, nuper deſcripſit, Codicesque manu exaratos, non omnes tamen magni momenti, indicauit MARTIN. KROPFFIVS in *Bibliotheca ſua Mellicenſi*, *ſeu Vitis Benedictinorum Mellicenſium*, *Vindobonae a. 1747. in 4. pag. 13. ſq.* Libris ea praeſtantiſſimis inſtructa eſt, et adeſſent quoque rariores Codices, niſi atrox incendium a. 1297. optimos quosque abſumſiſſet. Diuiditur Bibliotheca in *maiorem* et *minorem*. Illa libros editos, quorum plus quam ſedecim ſunt millia: haec manu ſcriptos continet, quae milleſimum et quingenteſimum numerum ſuperant. Habet praeterea Monaſterium egregiam nummorum rerumque naturalium ſupellectilem.

Memmingenſis Rei publicae Bibliotheca haud contemnenda librorum ſaeculo XV. impreſſorum copia abundat, vti adſerit Clariſſimus SCHELHORNIVS, ei praefectus, in *Amoenit. litt. T. II. p. 333.* idque clarius perſpicitur ex amplo illo eiusmodi librorum Catalogo, ab eodem *Miſcellaneis Lipſienſibus Pezoldianis, Tomo XII. p. 66. ſq.* inſerto. Nec deſtitui eam Codicibus manu ſcriptis Ebraicis, Latinis et Germanicis, vir doctiſſimus *l. c. p. 67.* ſignificat.

Mindae

Mindae apud Weſtphalos tres Bibliothecae publicae inueniuntur, ſcilicet 1) Bibliotheca *Cathedralis Eccleſiae*, quae tamen ex aliquot millibus vix centum adhuc ſeruat volumina, quum caetera ſuperiori ſaeculo, negligentia maiorum, interciderint, 2.) Bibliotheca *Monaſterii S. Mauritii et Simeonis*, cui nec MSta deſunt, nec libri ſub initium typographiae excuſi, 3.) noua Bibliotheca *Regiminis Mindenſis*, conſilio perilluſtris Directoris, Petr. Chriſtoph. ab Oſten, fundata, variorumque ſemper adaucta liberalitate. Vid. IOH. LVDOLPHI BÜNEMANNI *Comment. de Bibliothecis Mindenſibus antiquis et nouis, Mindae a. 1719. in 4.*

§. XVI.

De *Moguntinis Biblothecis* OLIVERIVS LEGIPONTIVS *Syntagma* parauit, earum origines, incrementa, fata, cimelia, repraeſentans; ſed illud nondum lucem adſpexit. Vid. IOSEPHI HARTZHEIM *Bibliotheca Colonienſis p. 261.* Idem paucis NIC. SERARIVS egit *rerum Moguntin. lib. I. cap. 35.* quod Opus recuſum eſt in IOANNIS *Scriptor. Mogunt. Tomo I.* vbi hoc argumetum *p. 109.* occurrit. Adiecit doctiſſimus Ioannis obſeruationes varias, quas noſtros in vſus conuertemus: Memorantur autem Bibliothecae ſequentes:

I.) *Collegii Metropolitani* Bibliotheca, cuius iam Ludouici Pii aetate Benedictus Leuita meminit. Saeculo XVI. haud parum ea incrementi cepit Alberti II. Cardinalis et Archiepiſcopi, ſummi litteratorum Maecenatis, beneficio; qui enim ſupererant Codices, magnam partem Halis Saxonicis huc ſunt translati. Tacemus multorum legata. Tempore autem belli tricennalis a Suecis miſere fuit expilata, libris excuſis plerisque ablatis, quos inter et numerari debent Biblia Polyglotta Regia, quae pulcherrime compacta, vmbilicisque argenteis ornata, donauerat Carolus,

Lotharingiae Dux, S. R. E. Cardinalis, et Episcopus Argentoratensis ac Metensis. E Codicibus manu exaratis plures in Bibliothecam Gothanam peruenisse, Cypriani Catalogus docet, quo MSta Bibliothecae huius Ducalis recensentur. Pace recuperata, libros cum typis vulgatos, tum descriptos calamo, quos Sueci reliquerant, a. 1654. certas in classes redegit, et in forulis ordinatim reposuit Fr. Vrbanus, Capucinus. Caeterum optauit Ioannis, vt MStorum Index paullo curatius conficeretur, et in lucem ederetur aliquando, quum plura hic loci reperiantur *Origenis*, *Chrysostomi*, *Hieronymi*, *Augustini*, *Ambrosii*, *Ephraim Syri*, *Prudentii*, *Gregorii M. Rabani*, *Haimonis*, *Bernhardi*, *Gratiani Decretum* nitidissime, litteris aureis, in pergameno, *Clementinae*, *Extrauagantes*, *Digestum vetus*, *infortiatum et nouum* in f. regali, *Auicennae Opera*, *Galeni et Auerrois non nulla*, *vitae Patrum quorundam*, *Historia Pontificum*, *Martini Poloni Chronicon*, *Catalogus Archiepiscoporum Magdeburgensium*, et ex antiquis Auctoribus *Homeri*, *Terentii*, *Sallustii*, *Ciceronis*, *Horatii*, *Senecae*, *Suetonii*, *Claudiani*, *Macrobii*, *Boethii*, caet. Codices. *) Quae viri docti vota impleuit quodammodo perillustris VALER. FERDIN. de GVDENVS, Camerae Imperialis Adsessor, in *Sylloge I. variorum Diplomatariorum*, *Frf. ad M. 1728. 8. mai. p. 337. sq.* vbi *Recensus Codd. antiquorum complurium, tam manu scriptorum, quam impressorum, Moguntiae in reuerendissimi Capituli Metropolitani Bibliotheca latitantium.* Insertae sunt non nunquam obseruationes vtilissimae, e. g. *p. 340.* de Catholico,

a. 1286.

*) Quatuor etiam egregios *Iuris antiqui Saxonici Codices* ex hac Bibliotheca vsurpauit ICtus celeberrimus, Christ. Vlric. Grupenius.

a. 1286. abſoluto, quod Codex ille membranaceus, ob artificium litterarum, initialium cum primis, vtpote auro variegatisque coloribus rutilantium, plane admirabilis, in folio regali ſeſe ſpectandum exhibeat; et *p. 353.* de Gregorii IX. Decretalibus haec notantur: *Codex formae maximae, in membrana ſelecta, litteris aureis et verſicoloribus paſſim exornatus. Scriptura minuta, circumfuſis ab vtroque latere ſingularum paginarum; vti et infra, Notis et Gloſſis copioſiſſimis, minutiſſimisque. Omnia tam ſcite, diſtincte, vniformiter, et ad amuſſim, vt praeter ſtupendam, qua Veteres eminuere, ſcribendi artem, ad eiusmodi perficiendum Opus totam hominis vitam inſumendam diceres. Sed id genus libri in huius Bibliothecae carceribus latent complures, cuius commatis etiam eſt Corpus Iuris Ciuilis, item Speculum Saxonicum Epkonis de Rebko* etc. In *Praefatione Sylloges Gudenianae p. 41. ſq.* monentur non nulla, quae ad huius Bibliothecae hiſtoriam faciunt, ſcilicet litterarias eiusdem opes non ita expilatas fuiſſe a Marte Sueco, vt in ſcriniis tantum reliquae ſint quisquiliae; ſed repleta ea adhuc eſſe non modo quantitate numeroſa librorum ſaeculi primi typographici, verum etiam Codicum MStorum praeſtantiſſimorum magna, imo longe maiori, prae impreſſis iſtis, copia et farragine. Curam huius eximiae, et veneranda ſua antiquitate commendabilis, Bibliothecae a longo tempore demandatam fuiſſe Parocho metropolitano p. t. exſiſtenti, qui tamen non adeo magnam eius habuerint rationem, prout e ſqualida ipſius facie anno adhuc 1722. colligi potuerit, quandoquidem tot raritate ſua inaeſtimabiles Codices, pro dignitate minime locatos, verum humi et in ſubſelliis negligenter diſperſos, puluere quoque et ſordibus obru-

obrutos, non ſine iuſto animi motu ibi iacentes, ac ſub catenis ſuis gementes videre licuerit, locusque ipſe, antequam repurgaretur ac dealbaretur, domicilio noctuarum et veſpertilionum, quam ſedi Muſarum, fuerit ſimilior. Quam tamen indecentiam deformitatemque R. D. Plebanum tunc temporis ferre diutius noluiſſe, ſed de neceſſaria reformatione ſalubre iniiſſe conſilium, et, Capitulo libenter annuente ſumtusque ſuppeditante, nouam Bibliothecae conſtitutionem et ordinationem Capellano ſuo, quod ipſe negotiis grauioribus implicitus fuerit, viro iuueni atque ad tale opus conficiendum apto, delegaſſe, qui etiam id ipſum ad exoptatum finem perducere ſtuduerit. Interim valde eſſe dolendum, et animo concipi vix poſſe, quod excellentiſſima illa Bibliotheca theſaurus ſit abſconditus, hortus occluſus, et fons plane inacceſſus. Haec ſummi GVDENI verba ſunt, qui recenſionem Codicum manu ſcriptorum, primoque ſaeculo typographico impreſſorum, continuauit in *Codice diplomatico, Tomo II. Frf. et Lipſ. a. 1747. 4. p. 564. ſq.*

II.) Bibliotheca in *D. Iacobi Monaſterio,* quae a. 1160. periit, et quum per Abbatem Volpertum, Conradumque, Archiepiſcopum, reſtaurata a. 1186. eſſet, iterum deſtructa fuit a. 1328. Reſtituta tamen, vna cum diſciplina monaſtica, a. 1441. Theodorici, archiepiſcopi, iuſſu. Inter MSta exſtant *Excerpta ex Homiliis Chryſoſtomi,* quae cum BALTH. EZELII *verſione Latina Mogunt. a. 1603. in 4.* primum prodierunt. Caeterum dolet Ioannis, Coenobitis, vel Archimandritae ipſi, ſua aetate non maiori hanc Bibliothecam curae fuiſſe.

III.) Bibliotheca in parte inferiore *Collegii Societatis Ieſu,* quae cum ipſo hocce Collegio originem debet Danieli, Archiepiſcopo Moguntino et Electori,

ctori, saeculo XVI. rebus sacris ciuilibusque praesidenti. Eius enim liberalitate et beneficientia plurimis optimisque libris instructa est, perpetuumque hoc et solemne, dum vixit, tenuit, vt, quemadmodum anno primo coeperat, ducentos in librorum emtionem thaleros, interdum etiam plures, largiretur, quae SERARII sunt verba *lib. V. cap. II. p. 875. ex edit. Ioannis.* Hodie Operum cum vtilitate, tum copia, facile in primis numeranda est, bonisque omnibus patet.

IV.) Bibliotheca *Carthusianorum*, in monte S. Michaelis prope Moguntiam, quae cura studioque Prioris, Michaelis Welcken, haud parum augmenti accepit et ornatus. Locus illi editus, lucidus, salubris, quietus et ab incendiorum periculis tutus: armaria et pegmata recipiendis libris et venusta, et in diuersi generis loculamenta apte diuisa: libri in suas classes pro argumenti conditione rite dispositi: spatium illis tam adeundis, quam tractandis, satis amplum. In manu descriptis, quorum quidem non paucos ex Philosophia praecipue ac Theologia scholastica seruat, Codex est *Bibliorum Latinorum*, in pergameno subtilissimo, litteris minutissimis, quae tamen legi haud difficulter possunt, ineunte saeculo XV. quam elegantissime exaratus.

V.) *Patrum, Ordini Carmelitarum adscriptorum*, Bibliotheca non spernenda, quae hoc saeculo, quum Carmelus, deiecto veteri aedificio, ad augustiorem redactus formam esset, in locum, qui Coenobitis antea pro Refectorio, vt vocant, erat, translata est.

VI.) *Sodalitii Franciscani* Bibliotheca, libris neque vulgaribus, neque paucis, instructa. Coepit a. 1612. beneficio Ioh. Suicardi, Archiepiscopi, quippe qui librariam supellectilem Ioh. Schneid, Parochi

Parochi ad S. Quintinum, ad reuerendiſſimum Anteceſſorem, Ioh. Adamum, deuolutam, eidem donauit. Cf. IOANNIS *Tomo II. rer. Mogunt. p. 857.*

VII.) *Seminarii, D. Bonifacio conſecrati,* Bibliotheca, quae auſpiciis Iohannis ab Heppenheim, dicti de Saal, ſummae aedis Praepoſiti, a. 1672. condita eſt. Is enim librorum ſuorum adparatum, delectu numeroque praeſtantem, huic ipſi Seminario teſtamenti tabulis addixit. His addimus.

VIII.) Bibliothecam *Dalbergianam*, quae publici iuris facta eſt a. 1737. in aedibus Dalbergianis, beneficio illuſtriſſimorum virorum, Franc. Eckenberti et Wolfg. Eberhardi, Camerariorum de Wormatia, Lib. Baronum de Dalberg. Coaluit illa ex variis glorioſorum Maiorum collectionibus, Iohannis praeſertim, Cancellarii quondam Palatini, poſt Epiſcopi Wormatienſis; Wolfgangi, Principis Electoris Moguntini; Iulii Herbipolenſium Epiſcopi, itemque Philippi Chriſtoph. Echter a Meſpelbrun, et a. 1737. vltra ſeptem voluminum millia complexa eſt, in quibus cum manu deſcripti Codices haud pauci, tum editi, iique melioris notae, et parum alibi obuii, reperiuntur. Vid. *Acta Eruditor. Latina a. 1737. p. 541. ſq.*

De Bibliothecis *Coenobii ad S. Albanum* et *Monaſterii Auguſtinianorum*, quarum haec a. 1649. incendio abſumta eſt, illa per bella, variosque caſus, penitus intercidit, iam ſupra dictum eſt *Cap. II. §. 20.*

Quae *Monachii* eſt, Electoris Bauari Bibliotheca, illa quo tempore ſit conſtituta, quemque auctorem habeat, explorare non licuit. Id ſaltim nouimus, eandem in triſtiſſimo bello tricennali ex Palatinae direptione multum fuiſſe locupletatam. Probat haec STRVVIVS in *Corpore Hiſtor. Germanicae p. 2081. num. 93. edit.*

edit. in fol. ex FRID. SPANHEMII *Memoires ſur la vie et la mort de Louiſe Juliane, Electrice Palatine, p. 261.* vbi inter alia memoratur, menſe Decembri a. 1622. diuiſam Bibliothecam Palatinam, partemque Romam, partem Monachium eſſe deuectam. Ex Monachienſis tamen ſpoliis aliae etiam Bibliothecae incrementa ceperunt, quum poſt pugnam Lipſienſem Guſtauus Adolphus, Suecorum Rex, a. 1632. primariam hanc Bauariae vrbem occupaſſet. STRVVIVS *l. c. p. 3014. §. 52.* Mentionem eius Bibliothecae iniicit MART. ZEILLERVS in *Itiner. Germ. Argent. a. 1674. in f.* edito, *P. I. p. 282.* et inter MSta ibidem occurrere ait *Librum precum Caroli Calui*, litteris aureis exaratum; *Nouum Teſtamentum lingua Indica, Armenica et Vandalica*; *Ioh. Iac. Fuggeri Hiſtoriam Auſtriacam,* de qua ſupra *§. VI. huius Capitis* diximus; *Codicem Veteris Teſtamenti* membranaceum figuris ornatum; *Gratiani di Francolino librum medicum, in forma maxima, quinquaginta tribus linguis perſcriptum,* aliaque non nulla. BERN. PEZIVS etiam *Diſſ. iſagog. in Tomo I. Theſ. Anecdotor. nouiſſ. p. 23.* hanc Bibliothecam aliqua ex parte deſcribit. *In loco*, inquit, *ſat amplo, licet forte non nihil incommodo, conſtructa eſt. Librorum plutei perpetua quadam ſerie ac ordine perquam concinno ab ortu ad occaſum excurrunt, vacuo in media area ſpatio, iuſtisque inter pluteos ad inambulandum interuallis. Nec hi parietibus adhaerent, ſed ſuo librorumque, quos ſinu fouent, pondere in medio ſolo fixi conſiſtunt, altitudine iuſtam hominis ſtaturam haud ſuperantes: contra quam in aliis Germaniae Bibliothecis paſſim fieri videmus, in quibus librorum loculamenta et foruli eo attolluntur, vt ad ſupremam ſeriem Bibliothecarii peruenire nequeant, niſi ante in vaſtis ſcalis et gradibus, velut in crucibus et equuleis, aliquamdiu haeſerint.* Latinorum Codicum ad ſeptingentos dinumerauit Pezius, at recentiori magnam partem calamo exaratos. Vetuſtiora maiorisque momenti volumina

dicit

dicit *Epistolas S. Cypriani* membranaceas in f. octingentorum annorum, ac *Dioscoridis de herbarum virtutibus Opus* in 4. itidem in membranis, ante nouem saecula, litteris Longobardicis Latine scriptum. *Catalogus Graecorum Codicum MStorum, qui adseruantur in inclyta serenissimi vtriusque Bauariae Ducis Bibliotheca, Ingolst. a. 1602. in 4.* prodiit,*) et nunc longe rarissimus est. Ex hoc MSta theologica *Sacris Bibliothecarum arcanis retectis p. 145. sq.* inseruit SPIZELIVS; sed lacunosa est admodum haec recensio, et mutila et manca. Quod ex serie numerorum non tantum cognoscitur, quae *p. 180. sq.* multos magnosque habet hiatus, verum etiam Catalogus ipse MStorum, Ingolstadii excusus, a Codice 129. vsque ad finem ita abit ab hoc Spizeliano, vt fere nihil sit, in quo conueniat. Ita REIMMANNVS in *Catal. Bibl. suae, Tomo II. p. 138.* Cf. de his MStis Graecis MONTFAVCON. in *Biblioth. Bibliothecarum MStorum, Tomo I. p. 587. sq.* Nos cum Pezio optamus, vt Bibliothecae tam insignis thesauri omnes a squalore vindicentur et innotescant quamprimum. De Cimeliarchio Electorali CAROL. PATINVS egit in *Relatione historica secunda.*

Monasteriensis Capituli Cathedralis, apud Westphalos, Bibliotheca supellectile Herm. Buschii, libris in Italia praecipue editis splendidissima, saeculo XVI. adaucta est, quam quum cuperet cognatus eius, vir doctus et nobilis, Rotgerus Schmisingius, huius Ecclesiae Decanus, transferri ad vsus publicos, auctorque

*) In *Lexico Eruditorum Ioecheriano, Tomo II. p. 1567. in princ.* Catalogus ille adscribitur Ioh. Ge. Herwarto ab Hohenberg, Cancellario Bauarico, additurque subinde, eum a. 1611. esse diuulgatum. Quod postremum aeque falsum credimus, ac certus est error ille chronologicus, forsitan a typographo commissus, qui in hoc ipso articulo statim obseruatur. Adcuratiori etiam examine digna videntur, quae VOGTIVS in *Catal. libr. rar. p. 180. edit. nouiss.* de Catalogo isthoc memorat.

que eſſet ſuo Capitulo, vt emeretur, ſcripſit ad fratrem Buſchii, Burchardum, Cathedralis Eccleſiae in vrbe Minda Decanum, pretii explorandi cauſſa; verum is in honorem patriae illam Bibliothecam dicto Capitulo liberaliter donauit, vti refert HERM. HAMELMANNVS in *Memoria Herm. Buſchii*, *p. 312. Opp. genealog. hiſtoric.* itemque in ROLLII *Decade I. Memor. Philoſoph. p. 100.*

§. XVII.

Nordhuſae in Templo S. Blaſii Bibliotheca exſtat, numero quidem voluminum tenuis, ob libros tamen plurimos, qui inuentae artis typographicae initio excuſi ſunt, omnino non contemnenda. Antea pars eius ad Monaſterium quoddam extra ciuitatis mœnia pertinuit, poſtea legatis quibusdam auctior eſt reddita, quod ipſum, neſcimus, an et hodie, conſtituto certo reditu, fiat. Probabilis eſt coniectura, fuiſſe olim ſiue in Curia, ſiue in Templo D. Nicolai, Bibliothecam praeſtantiorem; ſed fata eius annales ſilent. Forſitan incendio periit, vel peſtis Martisque temporibus diſſipata eſt. Conſulenda hic IOH. HENRICI KINDERVATERI *Arcana Bibliothecae Blaſianae*, ſiue *Nachricht von der alten raren Bibliothec der Kirchen St. Blaſii zu Nordhauſen*, *Nordhuſae a. 1717. 8.* cui Opuſculo Auctor paſſim adiecit Obſeruationes, breuem librorum, in medium productorum, hiſtoriam continentes.

Apud *Norimbergenſes* eruditorum vſibus inſeruiunt

I.) Bibliotheca *Rei publicae*, quam poſt Imperatoriam Vindobonenſem, Regiam Gallicam, et Auguſtam Guelphicam, quartum occupare locum, peregrinantium auctoritate fretus ſcribit OLDENBVRGERVS in *Theſ. Rerum publ. Tomo IV. p. 1329.* Nos huius iudicii veritatem aliis exquirendam relinquimus: id facile largimur tamen, Biblio-

thecam iſthanc inter celebriores Germaniae noſtrae omnino debere numerari, quamuis antiquitate ſua magis, quam recentiorum librorum copia ſit conſpicua, teſte ampliſſimo GOTTSCHEDIO in *Proluſ. Academica*, *Singularibus Vindobonenſibus praemiſſa*, *pag. 10.* Statim poſt Reformationem Euangelicam Hieron. Baumgartnerus, vir Ordinis Senatorii, de Bibliothecae initiis ſerio coepit cogitare. Eius itaque auſpiciis libri ex Coenobiis translati primum in Muſeum Aegidianum, quod poſteri Auditorium vocarunt, deinde in Praedicatorum, ſeu Dominicanorum, Monaſterium, locum, vbi adhuc ſeruantur, valde idoneum quidem, ſed anguſtiorem. Laudanda patris veſtigia preſſit filius eiusdem nominis, ſuamque Bibliothecam, omni genere librorum refertiſſimam, et ab illo iam collectam, ad publicam Vrbis exornandam reliquit. Succeſſor, Barthol. Poemerus, non ſcholas tantum et eccleſiam, ſed Rei publicae quoque libros curauit, quorum cuſtodem perhibent eo tempore fuiſſe Gerbelium, hominem eruditiſſimum, gaudentem ſaepius, quod medicam Palmae, Doctoris, Bibliothecam publicae illi viderit adiungi, manumque auxiliatricem Iulii Geuderi, ſtudiorum Maecenatis magnifici, in hoc librario negotio ſenſerit. Gerbelio, ita flagitante rerum ſuarum conditione, an. 1604. alio concedente, Bibliothecarii munere functus eſt poeta clariſſimus, Bernhard. Praetorius, qui potiſſimum Senatus decretum impetrauit, vt annui ſumtus ad libros nouos comparandos ex Monaſteriorum Diuae Clarae et Catharinae rationibus deſignarentur, atque hoc modo intra breue temporis ſpatium maximam librorum vim contraxit, quorum pretium ſingulis annis trecentorum Florenorum ſummam exceſſit.

Auctor

Auctor etiam suasorque laudatissimo Magistratui fuit, vt libri Ioh. Schelhameri et Henrici Fabricii, Theologorum, publici iuris vsusque, publica impensa, fierent. Postea studio et auctoritate Georgii Volcameri, Senatoris meritissimi, et Gabrielis Mörderi, ipsiusque, cuius modo mentionem iniecimus, Praetorii Bibliothecae accesserunt. Tempore Füreri, Templorum Scholarumque Norimbergensium Ephori, locus et aedes Bibliothecae amplificatae, Reichioque, Bibliothecario, et aliis viris eruditis adiutoribus libri omnes numerati sunt ac notati, insertis Herelianorum, Philippi Camerarii, et plurium, priuatis. Cf. clar. SCHELHORNII *Vita Phil. Camerarii*, *Norimb. 1740. in 4.* edita, vbi *p. 166.* haec leguntur: *Bibliothecam eum locupletem et exquisitam magno labore et sumtu collegisse, ex epistola Conradi Rittershusii, supra aliquoties laudata, apparet, cuius partem post beatum eius obitum* (mortuus autem est a. 1624. aetatis octogesimo octauo) *in publicam Norimbergensem illatam esse, Ioh. Saubertus testatur, pars vero instructissimam bibliothecam Ebnerianam hodienum ornat.* Dicti etiam Füreri iussu armaria erecta, foruli fabre facti et elegantibus monostichis exornati, ac generatim in pulchriorem omnia formam, ditioremque structuram redacta fuerunt. Manu scriptorum variae doctrinae eximius hic seruatur adparatus. Adsunt e. g. *Codices Bibliorum* plurimi; *Graecorum Liturgia*, tempore Apostolis proximo, vt maiores nostri iudicarunt scripta; *Opera Hieronymi, Augustini, Bernhardi; Eusebius Caesariensis, Iosephus de bello Iudaico et Egesippus; Codex Iuris Ciuilis; Senecae Epistolae; Ciceronis Rhetorica et Officia; Homerus integer, Sophocles, Pindarus, Hesiodus, Aeschylus*, omnes et singuli elegantissime exarati;

Virgilius, *Horatius*, *Ouidius ac Iuuenalis*; *Grammatica Theodori Gazae Graeca*, *eaque autographa*; *Archimedis liber Graecus de Sphaera et Cylindro*; *Euclidis Geometria*, et alia plura, magno item numero *Epiſtolae manu ſcriptae Principum*, *Comitum*, *virorumque celeberrimorum*. Coſmographia Ptolemaei autem, manu Trapezuntii correcta, cuius Saubertus meminit in Orationibus mox adducendis, hodie deſideratur, nullumque eius veſtigium adparet. Aſt membrana illa, in qua ſiue antiquiſſimi Commentatoris, ſiue ipſius Claudii Ptolemaei, manu ductae figurae conſpiciuntur, quamque laudat idem Saubertus, adhuc ſupereſt, ductus licet minuſculi litterarum ſaeculi X. ſcripturae maxime conueniant, vt adeo veteris potius Mathematici, hoc ſaeculo viuentis, et Graece docti, quam Ptolemaei manus eſſe videatur. Occaſionem forte errori dedit, quod aliena manus, reliqua ſcriptura paullo recentior, auerſo Schedae lateri inſcripſit: *Ptol. MStum.* Caeterum huius membranae longitudo ad quinque, latitudo vltra ſex extenditur digitos. Alium vero Norimbergenſis Rei publicae Bibliotheca *Geographiae Ptolemaeanae Codicem membranaceum* poſſidet, qui in forma maiori Latine, et eleganter quidem, exaratus foliis quadraginta ſeptem conſtat, idque dolendum ſaltim, Praefationem et Capitis primi quaedam deeſſe. Vid. GEORGII MART. RAIDELII *Commentatio de Cl. Ptolemaei Geographia*, *eiusque Codicibus tam manu ſcriptis*, *quam typis expreſſis*, *Norimb. a. 1737. in 4. Cap. III. §. 4. p. 23. ſq.* Inter alia rariora Bibliotheca haec Norica habet *Octo volumina choralis*, vt vocant, *Muſicae*, quae *Margaretha Cartheuſerin*, in Diuae Catharinae Coenobio monialis, ſaec. XV. conſcripſit, picturisque

variis

variis illuſtrauit; Caſtigatiſſimam *Iuris Ciuilis editionem, ab Haloandro Norimbergae adornatam*, auroque illo, quo Tomi ſinguli fulgent, digniſſimam;* *Globos, coeleſtem vnum, terreſtres duos*, doctiſſimorum hominum calamo ſcriptos, quorum ſimiles in tota Germania vix reperientur; *Vitrum, quo Lutherus Iuſtum Ionam donauit*, cuiusque, ni fallimur, meminit GE. HENR. GOETZIVS in *Singularibus de reliquiis Lutheri, diuerſis in locis adſeruatis, Lipſ. 1703. 4*; pariterque *Abacum ligneum*, quem ſi leuiter adſpicias, ne tervncio quidem aeſtimaueris, vbi vero acceſſeris propius, auro cariorem dices, ac dolebis forſitan, non in auro argentoue puro, ſed in ligno viliſſimo tam ſubtiliter, tamque eleganti manu, Chronologiam totius Veteris Teſtamenti adcuratiſſimam inſculptam exhiberi. Hiſtoriam huhuius Bibliothecae IOH. SAVBERTVS, ſupra memoratus, *duabus* complexus eſt *Orationibus*, quarum altera *de ſtructoribus eius et curatoribus*, altera *de rarioribus quibusdam et ſcitu dignis*, quae ibidem exſtant, agitur. Adiectus eſt *Catalogus librorum, ſaeculo XV. excuſorum*, quorum pleros-que oſtendit dicta Bibliotheca. Prodiit ille Sauberti libellus *Norimb. a. 1643. in 12.* hodieque parum eſt obuius. Non enim recudendum eum

Mm 3 cura-

*) GE. LAVR. HAVSFRIZ in *Memoria Gregorii Haloandri, Norimb. a. 1736. 8. pag. 57. Caeterum*, inquit, *qui hodie in publica Norimbergenſium bibliotheca conſpiciuntur, libri Haloandrini, iuſſu perilluſtris Senatus ſplendide compacti, atque in ſolemnibus inaugurationis inclutae Academiae Altorfinae a. 1622. adhibiti ſunt; inde etiam ſingulos tomos aut rubeo, aut nigro, aut violaceo ſerico, ex more academico, vbi ſinguli doctorum ordines diuerſo veſtium ceremonialium colore diſtingui ſolent, indutos videmus. Cuſtodiuntur ibidem ſumma cura, neque eſt quisquam aequus rerum cenſor, qui eos auro illo, quo fulgent, digniſſimos non iudicet.*

curauit Frid. Rothſcholzius, vti ſpem fecerunt die *Leipz. gel. Zeit. a.1733. p.12.* Aliam formae quartae editionem ad annum 1678. refert IOH. CHRISTOPH. KRÜSICKE in *Vindemiis litterar. Specim. I. pag. 21.* Sed falſum id eſt ſine dubio, verum contra, et ex hoc eius loco facile perſpiciendum, illum vnicam, qua vtimur, editionem vidiſſe nunquam. Ex Oratione ſecunda, quae praecipue MStos Codices recenſet, plurima *Diſſertationi* ſuae *de Bibliothecis* inſeruit THEOPH. SPIZELIVS. Vid. *Acceſſio I. Schmidiana ad Maderi de Bibliothecis Collectionem, p. 195. ſq.* Quum tamen Saubertus non enodate ſatis Bibliothecae huius, cui praefectus erat, incrementa expoſuerit, nec MStorum aetatem indicarit ac praeſtantiam, non inutilis eſſet opera, ſi quis auctiorem ornatioremque reddere hanc Orationum bigam vellet. Breuiter quoque de Bibliotheca eadem diſſeruit ſuperiori ſaeculo IOH. CHRISTOPH. WAGENSEILIVS in *Comment. de S. R. I. libera Ciuitate Norimberga, Cap. XI. p.78. ſq.* quamquam, ex ſententia THOMAE ITTIGII in *Select. Cap. Hiſtor. eccleſ. Saeculo I. cap. 4. p. 248.* cimelia, quo hoc ſapientiae promtuarium excellit, oculis perluſtrauit parum vigilantibus. At veniam meretur ideo vir doctus, quod ipſe monet, ſe rariorum MStorum Indicem ex Sauberto repetiiſſe. Naturae admiranda, ingenii humani artificia, et Antiquitatis monumenta ſingulari *Oratione*, quae *Norimb. a. 1674. in 4. cum figuris aeneis* excuſa, et nunc inuentu difficilis eſt, de *inclutae Bibliothecae Norimbergenſis Memorabilibus* deſcripſit IOH. IAC. LEIBNITIVS. Plura in promtu non ſunt: haud eſt tamen dubitandum, quin illuſtris Senatus, pro ſuo ſemper in bonas litteras amore, inde a Sauberti temporibus varia librorum praeſtantiſ-

ſtantiſſimorum acceſſione iſti Bibliothecae proſpexerit, quemadmodum id feciſſe legimus Ioh. Mich. Dillherrum, eiusdem in munere ſacro et bibliothecario ſucceſſorem, quippe qui a. 1669. Bibliothecam publicam, quam viuus multis libris et manu ſcriptis rarioribus donauerat, mille Florenis, foenori datis, locupletauit, teſte ZEVMERO, loco paullo infra art. III. proferendo.

II.) Biblioheca *Fenitzeriana* in aede parochiali Laurentiana. Auctorem ea habet Iohannem Fenitzerum, ciuem Norimbergenſem fabrumque cultrorum, qui a. 1615, decem ac quatuor ante obitum annis, quadraginta quinque, et a. 1624. viginti adhuc duosque Florenos, quouis anno in libros theologicos ad vſum Miniſterii eccleſiaſtici impendendos, teſtamento conſtituit. Initium igitur Bibliothecae comparandae ſtatim factum eſt a. 1616. Inter Opera maioris pretii hic loci occurrunt Bibliotheca veterum Patrum maxima; Caniſii Lectiones antiquae; Baronii Annales eccleſiaſtici, eiusdemque Continuatores; d'Achery Collectio veterum aliquot Scriptorum; Biblia polyglotta Briani Waltoni; Biblia Regia Antwerpienſia; Byzantinorum Scriptorum editio Veneta, caet. Catalogum omnium librorum cum fundatoris vita *Norimb. a. 1736. in 4.* plagulis decem edidit IOH. MICH. WEISIVS, Diaconus Laurentianus et Bibliothecarius.

III.) Bibliotheca Collegii *Sebaldini*, a Iohanne Mich. Dillherro, ſupra laudato, a. 1669 teſtamenti tabulis relicta. Audiamus IOH. CASP. ZEVMERVM in *vitis Profeſſorum Ienenſ. Claſſe I. p. 156.* vbi haec: *Numiſmata plurima, quae longo tempore collegerat, aurea, argentea et aerea per teſtamentum collegio Sebaldino donauit, vna cum Bibliotheca ſua, quae cum Iena diſceſſiſſet* (in hac

 enim

enim Academia per decennii ſpatium Doctoris publici ſpartam ornauerat) *centum ac nouem centenarios ponderans, quatuordecim currus impleuerat, ſed per triginta deinceps annos multo locupletior reddita fuerat.*

IV.) Bibliotheca *Ebneriana*, quam Senatus Norimbergenſis ornamentum, Hieron. Guil. Ebnerus ab Eſchenbach, cum fratre illuſtri, Iohanne Carolo, maximis hoc ſaeculo ſumtibus comparauit. Acceſſit ei, hereditatis iure, Chriſtoph. Iacobi Imhofii a Weidenmühl ſupellex inſignis et numeroſiſſima, quae ſingulis annis conſtituta quadam pecuniae ſumma non parum poteſt amplificari. Vid. SCHELHORNII *Vita Philippi Camerarii p. 9. in not.* Struuius Catalogum quendam Codicum manu exaratorum, et membranaceorum quidem, quibus Bibliotheca Ebneriana inſtructa eſt, ab Oelhafeno, Conſiliario Rei publicae, accepit olim, ex quo hac innotuerunt cimelia: *Terentii Comoediae, cum Scholiaſte; Cicero de amicitia; Ouidii Metamorphoſis et quinque libri Triſtium; Lucanus; Perſius; Prudentius; Virgilius; Claudianus; Iuuenalis; Commentarii in Virgilium, Lucanum, Perſium et Sedulium, item in quasdam Horatii Odas, libros ſermonum, epiſtolarum artemque poeticam; Macrobius in ſomnium Scipionis; Boethius de SS. Trinitate ad Iohannem Diaconum; Proſperi Epigrammata in dicta Auguſtini; Hieronymi Interpretationes nominum Ebraicorum; Papiae excerptum; Timaeus Platonis; Nicolai de Lyra diſputatio de Iudaeis; Guilielmi Occam Philoſophia; Aureae Bullae exemplar antiquum; Chriſtinae Ebneriae viſiones; Philippi Camerarii de captiuitate ſua Romana Relatio*, quam nunc editam videmus in SCHELHORNII *Vita Camerariana; Eiusdem additiones, nouem capitibus conſtan-*

conſtantes, *ad horas ſubciſiuas*, de quibus v. SCHELHORNIVS *l. c. p. 152*; *Volumina aliquot Epiſtolarum ad Camerarium ſcriptarum*, ex quibus ſelectiores publicauit idem *pag. 171. ſq.* Plura eiusmodi MSta recenſuit CAROL. CHRISTIAN. HIRSCHIVS in *Adpendicibus ad Millenarios* ſuos *librorum, ab a. 1501. ad a. 1550. typis excuſorum, et in priuata quadam Bibliotheca*, (quae Ebneriana eſt, *Norimbergae adſeruatorum*. Primus Millenarius *ibid.* prodiit *a. 1746. in 4.* quartus, isque vltimus, *a. 1750.* Praeſtantiſſimus autem huius Bibliothecae Codex eſt *Noui Teſtamenti Graeci Volumen* forma quarta, in altitudinem magis, quam latitudinem, excreſcens, incluſumque duabus tabellis, corio fuſco obductis, auroque variegatis, quarum in latere eminent quinque ex argento confectae ac deauratae ſtellulae; ipſae tabellae ſuperiori et inferiori parte argenteis quatuor vncis conſtringuntur; interius autem haec ligatura in eum fere modum formata, multoque auro exornata eſt, quo Turcarum volumina cooperiuntur. Codex totus quadringentis viginti et quinque foliis membranaceis conſtat, quorum pauciſſimae paginae nudae et inanes adparent, raroque exemplo integer et omni ex parte perfectus eſt, niſi quod Apocalypſis Iohannis deſit. Scripturae venuſtae, eleganti et adcuratae accedunt ſplendidiſſimae picturae, quibus vel ſanctorum virorum effigies, vel alia ornamenta, ſingulari prorſus induſtria et operoſo artificio, noſtris pictoribus hodie vix imitando, exhibentur. Litterae etiam complures in fundo miniato deauratae conſpiciuntur, quae omnia coniecturae locum dant, Codicem hunc ad vſum Imperatoris cuiusdam Graeci, aut alius ex Auguſtorum familia, aut primae et

aulicae dignitatis viri, esse conscriptum. Vid. CONRADI SCHOENLEBEN *Notitia egregii Codicis Graeci Noui Test. MSti, quem Norimbergae seruat vir illustris, H. G. Ebner ab Eschenbach, Norimb. a. 1738. 4.* Eo Lectores nostros remittimus, id saltim addentes, laudatum Codicem ex Oriente adlatum, in rarissimis litteratae Germaniae thesauris merito reponi. De alio Codice Latino membranaceo formae maioris, siue Regalis, qui Bibliothecam Ebnerianam valde ornat, et *Ptolemaei Geographiam* complectitur, vberius differit RAIDELIVS in *Comment. de Claudii Ptolemaei Geographia, Cap. IV. pag. 26. sq.* docens quoque, scripturam pulchram esse et adcuratam, nec tamen saeculum XV. excedere. *Tres Codices Ebraicos* manu exaratos, qui exstant ibidem, *Dissert. Academica* descripsit clarissimus vir, IOH. ANDR. MICH. NAGELIVS *Altorfii 1749.* Atque hactenus de Bibliotheca Ebneriana, quae, mortuo a. 1752. illustri possessore, singulis Mercurii et Saturni diebus patebit omnibus, vt patriae Vrbis decus perpetuum sit, referentibus id *Nouis litterariis Kohlianis (Hamburg. Berichte von gelehrt. Sachen) a. 1752. p. 127.*

Inter priuatas Norimbergensium Bibliothecas hoc saeculo celeberrimae fuerunt 1.) *Pelleriana*, de qua WAGENSEILIVS in *Comment. de Ciuitate Norimb. p. 62.* ita scribit: *Inter Bibliothecas plurimas principatum sibi vindicat, quam vir diuini humanique iuris scientissimus, et ideo summae apud nos existimationis, ac non tantum patriae Rei publicae, sed et multorum Imperii Ordinum, Consul, huius Academiae Procancellarius, Christoph. Pellerus, magna industria collegit, quaeque priuatae Bibliothecae modum fere supergreditur.* Catalogus eiusdem prodiit *Norimb. a. 1717. in 8.* 2.) Bibliotheca *Mich. Frid. Lochneri*, Medici litteratissimi,

de

de qua tamen IACOB. BVRCKHARDVS in *Comment. de vita ſua*, Catalogo librorum adiecto, *p.90. Ad inſtructiſſimam*, ait, *eius Bibliothecam aditus nemini patuit: excuſauit ſe ſemper peregrinis, quod in nullum redacta ſit ordinem: id quod et pictura illa, quae ſupra ianuam, per quam aditus ad Bibliothecam patefiebat, indicabatur. Inordinatus nimirum variae magnitudinis librorum cumulus ea repraeſentabatur;* 3.) Bibliotheca *Godofredi Thomaſii*, Medici itidem excellentiſſimi, quae raris et ſelectis libris, MStorumque copia, refertiſſima fuit. Cum primis commendauit eam ſtupendus Epiſtolographorum adparatus, qualem alibi reperiri poſſe, vix eſt credendum. Vid. BVRCKHARDVS *l.c. p.84. ſq.* nec non *die Leipz. gel. Zeitungen a.1747. p.162.ſq.* vbi plura de hac ipſa Bibliotheca memorantur. Hodie, quantum ſciamus, floret adhuc apud Norimbergenſes viri ſummi, *Chriſtoph. Iacobi Velſeri*, Bibliotheca, quae in *Theſauro Bibliothecali, Vol.III. p.75. ſub finem* admodum laudibus extollitur. Verba ſequentia ſunt: *Ex hoc locuplete vtique et incomparabili, qui penes ipſum eſt, librorum theſauro Opera bene multa, eaque rariſſima, huic Theſauro Bibliothecali, tamquam gemmae, huc vsque inſerta ſunt.*

§. XVIII.

Olſnae, apud Sileſios, in arce Ducali adſeruatur Bibliotheca, quae natales ſuos debet Henrico II. Duci Berolſtadii regenti, atque e gente Ducali Monſterbergica oriundo, poſt cuius filiique ſucceſſoris, Henrici III, obitum ſub finem ſuperioris ſaeculi Ducatus Olſnenſis Carolo II. ceſſit, ideoque, iuſſu illius, Bibliotheca Olſnam tranſlata eſt. Aucta deinceps a Siluio Nimrodo, Principe Würtembergico, doctrina politiſſimo, et a. 1699. Chriſtiani Vlrici, filii Nimrodi, ſupellectile, Berolſtadii, vbi antea ſedem ſuam habuerat, collecta, priuatorum item liberalitate,

maxime

maxime Chriſtoph. Schroeeri, in Regimine et Conſiſtorio Conſiliarii, pariterque Boeckel Pauli a Bornefeld, ſummi aulae Praefecti. Vterque enim teſtamentaria diſpoſitione et iuridicos, et alios eximiae raritatis ac pretii libros, quorum plurimi recentiores ſunt, Bibliothecae Ducali addixit, quo factum, vt in ampliorem eadem locum deportanda eſſet. In omnibus diſciplinis, iurisprudentia ſpeciatim, haec Bibliotheca, nulli fere alii apud Sileſios ſecunda, probe inſtructa eſt, nec MStis deſtituitur, non antiquis quidem, at curioſi tamen Lectoris adſpectu digniſſimis. Eminent inter ea *Henrici Wenceslai*, Principis, *Itinerarium* a. 1591. confectum, nec non *Ius regni Hungariae conſuetudinarium*. Vid. SAM. WENCESLAI KROLLII *Diſſ. epiſtolicae binae de Bibliotheca Sileſiorum Olſnenſi, Lipſ. 1735. atque 1736. in 4.* et KVNDMANNI *Acad. et Scholae Germaniae* caet. *p. 372. ſq.*

Onoldi Bibliotheca Marchionum Brandenburgicorum laudatur, quae auſpiciis Sereniſſimi Caroli Guilielmi Friderici publicis aperta eſt vſibus a. 1738. *Hiſtoriſcher Bilder-Saal, P. X. p. 413.* Plura de illa nobis adhuc minime innotuerunt. Priuatarum Bibliothecarum pretioſiſſima fuit his noſtris temporibus *Zochiana*, de cuius Catalogo, cura THEOD. HENR. TIEZMANNI *Onoldi a. 1752. in 8.* excuſo, vid. *die Leipziger gel. Zeitung. a. 1752. p. 804. ſq.*

In *Schola prouinciali Portenſi*, Numburgo ad Salam adpoſita, Bibliotheca exſtat haud vulgaris. Prima eiusdem fundamenta conſtituit ſupellex Monaſterii Boſaugienſis, Auguſti, Electoris Saxoniae, iuſſu a. 1573. eo tranſlata, quae Codices non nullos et membranaceos, et chartaceos, pluresque item libros, ſub artis typographicae incunabula editos, continebat. Vid. IOH. MARTINI SCHAMELII *Addenda ad Leuckfeldi Chronologiam Abbatum Boſaugienſium, Numburgi 1731. in 4. pag. 87. ſq. Membranam Flauii Ioſephi* ex

hac

hac Bibliotheca eleganti Progr. quodam descripsit FRIDER. GOTTH. FREYTAGIVS, iam Scholae Rector, *ibid.* 1727. 4. ac de alio Codice membranaceo, qui *Augustini de Ciuitate Dei libros* complectitur, filius eius egit *Lips. a.* 1747. *in* 4. Libri recentiores, qui singulis annis augeri solent, historici praecipue et philologici sunt argumenti, eorumque in numero praestantissimae Auctorum veterum editiones occurrunt.

Praga, vrbium Bohemicarum caput, gloriatur

I.) De Bibliotheca *Capituli ad S. Viti Templum* antiquissima, quae orto a. 1142. incendio non parum librorum amisit quidem, at postea nouis locupletata est incrementis. Habet egregia MSta, historica maxime, quae rebus Bohemicis lucem accendunt. Pertinent huc *Cosmae*, Pragensis Ecclesiae Decani, *libri III. Chronicorum Bohemicorum cum continuatione; Vitae SS. Viti, Wenceslai, Ludmillae et Adelberti; Iaroslai Monachi Chronicon, Francisci*, Canonici Pragensis, *Historia Bohemica, ab vltimis Regibus Bohemicis Primislaae stirpis, vsque ad Carolum IV*; nec non *Benessii Weitmilii Chronica Pragensia*, quae fere omnia nondum edita, publica tamen luce digna essent. Supremam huius Bihliothecae curam sustinet Decanus Collegii, quo grauissimo munere a. 1725. functus est Carolus Dominicus Rzeczizky. Illius etiam auspiciis eo ipso anno in curia, qua vti solent Decani, meliora librorum adparatui conclauia fuerunt adornata. Vid. CAROLI ADOLPHI REDELII *Sehenswürdiges Prag*, libro II. *Cap.* 63. *p.* 267. *sq.*

II.) De Bibliotheca *Academica*, quae fundamentum debet Carolo IV. Is enim Imperator insignem librorum supellectilem, quam Sbnico ab Hasenburg Ecclesiae Wischeradensi legauerat, emit ab

ab eadem, et Academiae donauit. REDEL *l. c. lib. VI. cap. 9. p. 451. Collegio* ſpeciatim *Carolino* (cuius pretioſam Bibliothecam in bello Huſſitico a. 1422. a plebe combuſtam eſſe, ZEILLERVS tradit *Itiner. German. P. I. cap. 7. p. 177.*) anno 1726. maxima pars Bibliothecae acceſſit, quam collegerat olim Ignatius Carolus, S. R. I. Comes a Sternberg, Imperatoris Leopoldi Conſiliarius intimus, regno Bohemiae praefectus, ſupremique Tribunalis praeſes, vt memorant *die Leipz. gel. Zeit. a. 1726. p. 353*

III.) De Bibliotheca *Patrum e Societate Ieſu* in Collegio S. Clementis Academico, quae et MStis, et libris excuſis, belle inſtructa eſt, atque hoc ſaeculo non exiguam Operum theologicorum et iuridicorum copiam ex Bibliotheca Sternbergiana obtinuit. Vid. *Leipz. gelehrte Zeit. l. c.* Laudat eam, praeter REDELIVM *p. 467*, KEYSSLERVS *Tomo II. der neueſten Reiſen, p. m. 1040. edit. prioris.* Nouiſſime maxima incrementa accepit ex Caeſarea Vindobonenſi, ſi tabulis publicis fides. Auguſtiſſima ſcilicet Imperatrix, Maria Thereſia, a. 1750. Patribus his omnes libros dono dedit, quorum eadem editio bis inuenta eſt in Caeſarea.

Sic et *Quedlinburgi* complures monſtrantur Bibliothecae, quae publicae ſunt. Habemus de iis TOBIAE ECKHARDI *kurtze Nachricht von den oeffentlichen Bibliothequen zu Quedlinburg, Quedlinb. a. 1715. in 4.* quo ex Opuſculo cognoſcimus

α) Bibliothecam *Principalem* in arce, quam a. 1686. Anna Dorothea, Dux Saxo-Vinarienſis et Abbatiſſa, condidit, poſtea varii Principes, virique illuſtres auxerunt. Habet etiam Codices quosdam manu exaratos, quorum pars ad Monaſterium S. Wiperti olim pertinuit. Antiquiſſimus eorum

eorum eſt et ſine dubio ex Carolingorum aeuo, Codex, *Seueri Sulpitii vitam S. Martini, tres eiusdem Epiſtolas totidemque Dialogos exhibens,* cui addi omnino debet *Codex IV. Euangeliorum Latinus ex interpretatione Hieronymi*, in membrana litteris aureis capitalibus maioris formae nitidiſſime ſcriptus. Nec vulgaris eſt *Codex membranaceus Iuris prouincialis et feudalis Saxonici non gloſſati*, ex ſaeculo XIV;

β) Bibliothecam *Mylianam* in Templo S. Seruatii, quam, a Valent. Bern. Mylio, Diacono Seniore, olim collectam, vidua eius, inſtinctu Ioh. Erneſti Schulenburgii, ſupremi aulae ſacerdotis, poſteritati legauit;

γ) Bibliothecam in aedibus, quas vulgo dicunt *Stiffts-Hauptmanney*, collocatam, quae variorum ICtorum operibus referta eſt;

δ) Bibliothecam *Senatus in Curia*, cuius prima fundamenta poſuit Ioh. Hubnerus, Iuris Practicus, legatis a. 1662. libris ſuis, ea quidem conditione, vt Senatus ſibi vindicaret eosdem, ſi nemo reperiretur, qui cum eo cognatione ſit coniunctus. Talis autem explorari non potuit, ideoque Bibliotheca iſthaec, poſtquam ab Andr. Bartholom. Zeitzio, Camerario, in ordinem fuerat redacta, vſibus Magiſtratus et aliorum conſecrata eſt, ac deinceps nouis libris locupletata. Inter MSta, quorum pauca adſunt, *Ius antiquum Saxonicum*, at recentioris aetatis, occurrit;

ε) Bibliothecam in *Templo S. Benedicti*, cuius origines adhuc ante Lutheri Reformationem conſtituendae videntur. Poſt Anna, Comes Stolbergenſis et Abbatiſſa, Dorothea Sophia, itidem Abbatiſſa Quedlinburgenſis virique nonnulli Muſarum amantiſſimi liberalitate ſua hanc ſupellectilem reddere ampliorem ſtuduerunt. Complura

plura etiam Opera ex reditu ipſi deſtinato acceſſere, idque cum primis egit Frid. Ern. Kettnerus, Sacrorum Antiſtes, qui a. 1722. mortuus eſt, vt Bibliothecam Patrum compararet. Perantiquum ibi conſpicitur artis typographicae monumentum, *Biblia* ſcilicet *Latina*, a. 1457, non adiecto loco, typis impreſſa;

ζ) Bibliothecam *Beindorfianam*, quam Chriſtoph. Beindorfius, Conſiliarius aulicus, eruditorum ex familia ſua commodis perpetuis legauit. Excellit ea libris praecipue iuridicis, aliisque quibusdam hodie rarioribus;

η) Bibliothecam *Scholaſticam*, cuius natales debentur Sam. Schmidio, Rectori ſuperiori aetate meritiſſimo. Is enim quadringentos, et quod excedit, libros optimo conſilio congeſſit. Poſt illius tempora hic adparatus auctus eſt, quantum licuit. Cf. laudati ECKHARDI *Schediaſma de Codicibus MStis Quedlinburgenſibus*, *Quedlinburgi a. 1723. in 4.* quod recenſent *Acta Erud. Lat. a. 1724. p. 277. ſq.*

§. XIX.

Ratisbonenſium vrbs varias nouit Bibliothecas, quarum altera in *Curia* repoſita, altera ad *Gymnaſium* ſpectat. Aliam, haud male inſtructam, poſſidet *S. I. Collegium.* Sic etiam in reliquis *Monaſteriis* tales reperiuntur, de quibus tamen nihil, quod ſingulare ſit, memorare poſſumus. Praeſtantiſſima omnium ſine dubio eſt Bibliotheca principalis Eccleſiae et Monaſterii Benedictini *ad S. Emmeranum.* Nullum ſane Monaſterium in Germania eſſe adſerit PEZIVS *p. 38. Diſſ. iſagogicae ad Tom. I. Theſ. Anecdot. nouiſſimi*, in quo tot tamque illuſtria veterum Germaniae Regum, Ducum, Epiſcoporum, aliorumque clarorum hominum monumenta exſtent, quam in Emmeranenſi. Codices manu

manu ſcripti numerum excedunt millenarium, quos inter plurimi membranacei ſunt, vetuſtiſſimi lectiſſimique. Eos tanti feciſſe Mabillonium (qui de hac ipſa Bibliotheca in *Itinere ſuo Germanico p. 55. ſq. edit. Fabric.* non nulla diſſerit) monet PEZIVS *l. c. p. 41.* vt Regis Galliarum nomine pro ſingulis his Codicibus ſingula volumina typis excuſa, quanticunque forent pretii, Emmeranenſibus promiſerit, ſi quidem illos Bibliothecae Regiae concederent; ſed neutiquam accepiſſe eos Attalicam hancce conditionem, exiſtimantes quippe, ſuorum maiorum labores omnibus opibus praeſtare et elegantiis. *Catalogus librorum*, quos dicta Bibliotheca ſeruat, *Ratisbonae a. 1749.* prodiit *in 8. Tomis IV.* auſpiciis Iohannis Baptiſtae S. R. I. Principis, et Abbatis Monaſterii. *Tomus I.* continet libros theologicos. *Tomus II.* exhibet Codices manu exaratos, quorum varii ſaeculum IX. ac X. attingunt. Rariſſimum pretioſiſſimumque eſt *Euangeliorum Volumen*, ab Arnulpho, Imperatore, donatum, quod Carolus olim Caluus in vſus Eccleſiae S. Dionyſii litteris aureis ſcribi iuſſerat. Vid. *Hiſtoire litter. de la France, Tom. IV. p. 283.* itemque *Tom. V. p. 514.* nec non *Chronicon Gotwicenſe Tomo I. p. 47.* In *Tomo III.* huius Catalogi, praeter Hiſtoriam Eccleſiarum ac Monaſteriorum, Vitae Sanctorum, Scriptores Iuris Canonici atque Ciuilis, Philoſophi item ac Mathematici recenſentur. *Tomus* denique *IV.* Hiſtoricos omnium regnorum et prouinciarum, libros ad Hiſtoriam litterariam, et humaniorum ſtudiorum campum pertinentes, vna cum Collectione ſingularium Tractatuum, conſpiciendos praebet. Cf. *Leipz. gel. Zeitungen a. 1750. p. 100.* et celeb. GOTTSCHEDIVS in *Proluſione*, *Singularibus Vindobon. praemiſſa*, *p. 12.* vbi haec de Euangeliorum Volumine, modo laudato, leguntur: *Antiquiſſimum tandem N. T. Latine verſi Codicem, ſaeculo IX. ineunte ſcriptum, auro multo ornatum, et pretioſiſſimis gemmis extrinſecus diſtin-*

distinctum, quem in Thesauro S. Emmerani vidi, eo magis merito admiratus sum, quo certiora antiquitatis summae documenta prae se fert, quoue pulcriore charactere descriptus, maiorique cum cura conseruatus hactenus fuit. Multis etiam Bibliothecis priuatis, iisque egregiis, Ratisbona gaudet. Talem possidet illustrissimus Comes, *Carol. Ioseph. a Palm*, Minister Caesareus, quae haud ita pridem Rinckiana supellectile, vt *Cap. I. §. 23.* iam nunciauimus, mirifice fuit locupletata. Nec parum instructa est reuerendi *Barthii*, Ministerii Euangelici Subsenioris, Bibliotheca, quam omnis generis Operibus, et rarioribus antiquorum temporum monumentis insignem vocat GOTTSCHEDIVS *l. c.*

Rinteliensis Academiae Bibliotheca, cuius iam fundamenta posuisset Ernestus, Comes Schauenburg. Rintelensium Musarum Pater, nisi mors inopinata consilium fregisset, a. 1644. tristissimo belli ciuilis tempore condi coepta, libros, vel pecuniae non nihil, ad vsum publicum liberaliter conferentibus Professoribus plurimis, aliisque viris illustribus et nobilissimis. Primus omnium Franciscus Giessenbier, Academiae Procancellarius, Feudorumque ac Decretalium Professor, tres atque viginti Codices donauit. Mox fortissimus belli Dux, Alexius Oxenstirna, in Bibliothecam recens institutam centum impendit Imperiales, maius animi propensi documentum promittens, quando intellexerit, optatas illam vires sumsisse. Sed et alii ex Suecorum nobilissima gente hoc ipso anno aliquid incrementi attulerunt. Anno 1647. Herm. Schluter, Bremensis, decem Imperiales dedit, legatique complures, qui ad pacem recuperandam Osnabrugam conuenerant, Imperiales aliquot, augendae Bibliothecae caussa, tradiderunt, quibus ipsa Ciuitas Osnabrugensis munus tunc temporis haud vulgare, quinque scilicet ac viginti Imperialium, adiecit. Nec silentio praetermitti deberent multorum aliorum dona, nisi nimis

longum

longum foret, hoc loco eadem omnia recenſere. Translato ad auguſtam Domum Haſſicam Comitatus Schaumburgenſis dominio, Guilielmus VI. Landgrauius, poſt reparatas, vbi Bibliotheca collocata erat, aedes, quinquaginta quotannis Florenos illi adſignauit, quae pecuniae ſumma a. 1667. primum erogari coepit iuſſu ſereniſſimae viduae, Hedwigis Sophiae. Noua deinceps ornamenta acceſſerunt a variis, praecipue Friderico, Comite Lippiaco, qui quadraginta Imperiales ad libros emendos numerauit. A. 1698. Henr. Vagedes, Eloqu. et Hiſtor. Profeſſor, improlis vitam cum morte commutans, ad illuſtre aliorum exemplum, vt creſceret publica, priuatam, quam in omni ſcientiarum genere inſtructiſſimam habuit, Bibliothecam legauit; ne quid indigne tamen ferrent eius ab inteſtato heredes, pretium illis poſtea fuit ſolutum. Carolus, Haſſiae Landgrauius, paullo ante obitum librorum armaria reſtitui, repoſitoria dari noua, et amphitheatrum altera parte auguſtius eſſe iuſſit. Quod pulchre inchoatum, ſtatim abſolutum eſt imperante Friderico, Suecorum Rege, Patrisque magni ſucceſſore, cuius auſpiciis a. 1730. primum et aperta Bibliotheca, in meliori repoſita domicilio, et praefecto eidem, Ioh. Nic. Funccio, Academiae Oratori atque Hiſtorico, annuum decretum ſtipendium fuit. Vir ille celeberrimus librariam hanc ſupellectilem, quam numeroſam quidem, at neglectam fere abiectamque, puluere ac ſordibus tectam, nulloque diſpoſitam ordine inuenerat, ita habuit curae per quatuor, et quod excedit, luſtra, vt nunc denique perfectum Palladis templum videatur. Ab eodem *Rintelii a. 1733. in 4.* accepimus *Catalogum Bibliothecae*, illo, qui *a. 1692. ibid. eademque forma* prodierat, auctiorem longe et adcuratiorem. Praefixa eſt viri doctiſſimi *Oratio de Bibliothecae in Academia Rintelienſi origine et incrementis*, nuper etiam *ſelectis* eius *Orationibus*, con-

iunctim editis, *p. 199. sq.* inserta, ex qua praecipua descripsimus. Nouissime successit *Publicae in illustri Ernestina Rinteliensium Academia Bibliothecae Accessio*, eodem auctore, *Rintel. a. 1751. in 4.* Continet hocce Supplementum Catalogi libros omnes, post annum 1733. Bibliothecae illatos. Praemissa simul, praeter Programma quoddam, noua FVNCCII *Oratio de necessario librorum adparatu, et Rinteliensis Bibliothecae incremento*, in cuius postrema parte permulti laudantur, qui largitionis suae exstare memoriam voluerunt.

Riddageshusanum Coenobium, Brunsuigae adiacens, iam anno huius saeculi nono quatuor circiter Voluminum millia, Historicorum in primis praestantissimorum, possedit. Plurima debentur Rudolpho Augusto, Duci Brunsuicensi ac Luneburgensi, vt supra monuimus, in Historia Bibliothecae Rudolpheae Helmstadiensis. Multa tamen desiderantur, si vnicum excipias IV. Euangeliorum et Epistolarum Apostolicarum Codicem, nitide exaratum, quem inspexit aliquando Zach. Conr. ab Vffenbach. Cf. eius *merckwürdige Reisen*, *Parte I. p. 302.*

Bibliothecae Academicae *Rostochiensis* Historiam luci exponet propediem vir doctus et celebris, ANGELIVS IOH. DAN. AEPINVS, Eloqu. Prof. ac Bibliothecarius. Interim transmisit nobis humaniter, quae, pro ratione instituti nostri, hoc sufficere loco possunt. Exordium autem illius Bibliothecae deriuandum est a Paulo Calenio, Rostochiensi, qui, studiorum caussa Lugduni Batauorum agens, a. 1606. libros suos cum mille ac ducentis Imperialibus, ad coemendos alios, Academiae patriae legauit. Est testamentum eius in Diario, quod inscribitur *Etwas von gelehrten Rostock. Sachen a. 1739. p. 815.* vbi adseritur quidem, nihil plane accepisse Academiam; sed ex Actis tamen patet luculenter, quod ei re ipsa, testatore Panormi mortuo, dicta pecuniae summa a. 1613.

perso-

persoluta sit: non nulli etiam libri, nomine Caleniano insigniti, adhuc in Bibliotheca reperiuntur. Circa idem tempus subsidia illa litteraria, quae quatuor Facultates multo ante sigillatim collegerant, comportata esse videntur, vt in vnum quasi corpus coalescerent. Cf. SEBAST. BACMEISTERI *Antiquit. Rostoch. p. 869.* in *Tomo III. Monum. inedit. de reb. Germ.* quae perillustri a WESTPHALEN debentur. Postea quidem gloriosae memoriae Principe, e. g. Philippus II. Pomeraniae, et Augustus, iunior Brunsuicensis ac Luneburgensis Dux, a. 1594. Rector Academiae magnificentissimus, priuati item homines, scilicet Willigius Paselicius, Senator Rostochiensis, Ioh. Simonius, Eloquentiae Professor, Kirchringia, vidua, pluresque alii liberalitate sua multum Bibliothecae ornamenti attulerunt. Cum primis autem Serenissima Princeps, Augusta, ex Parentis, Gustaui Adolphi, Ducis Mecklenburgo-Gustrouiensis, Bibliotheca varia donauit magni pretii Opera, inter quae *Collectio Conciliorum Regia, Paris. a. 1644. Tomis XXXVII. formae maioris* edita, notatu dignissima est, propterea, quod summus olim possessor margini foliorum manu sua adscripsit passim obseruationes, exquisitae doctrinae specimina clarissima exhibentes. Tandem binarum priuatarum Bibliothecarum accessione maximis publica auctibus creuit. Etenim Henr. Gustav. Scheffelius, Serenissimo Duci Mecklenburgico, Friderico Guilielmo, a Camerae olim et Cancellariae consiliis, anno 1738. Wismariae e vita discedens, totam, quam habuit, librorum supellectilem legauit Academiae, quod et a. 1746. fecit Mart. Alb. Willebrandus, Cancellariae Suerinensis Pro-Director, quum iam aliquot ante annos, mortua matre, conseruatam in eius aedibus proaui sui, aui parentisque, qui omnes Professores Rostochienses fuerunt, Bibliothecam generoso animo tradidisset Academicae. Nunc igitur ea ipsa

decem circiter millia voluminum comprehendit, libris theologicis praestantia, iuridicis numero eminentibus. Ad rariores referendi sunt libri prohibiti, atque non pauci, paullo post inuentam typographiam excusi, v. g. Alphonsi de Spina Fortalitium fidei contra haereticos, et Biblia Germanica Coloniae diuulgata, quorum meminit CHRISTIAN. KORTHOLTVS *de variis Scripturae S. editionibus p. 346.* MStorum non splendidus quidem amplusque adparatus adest, aliqua tamen haud contemnenda monstrantur, quo pertinent *Codex membranaceus, in quo Pentateuchus cum libris Iudicum et Ruth*, secundum versionem vulgatam; *Aliquot veterum Scriptorum exemplaria; Thomae a Kempis liber de imitatione Christi*, lingua Malabarica in palmarum foliis scriptus; *Autographa multa Lutheri; Historica varia recentiora*, praecipue ingens *Volumen, quod a magno aulae cuiusdam Regiae Ministro diligenter collectum esse videtur.* Complectitur illud litteras Principum, tempore belli tricennalis, cuius historiam, ab a. 1620. vsque ad a. 1634, egregie illustrant, regentium, ipsa eorundem manu subscriptas. Separatum spatium occupant libri Rostochii et in toto Ducatu Mecklenburgico typis impressi, quae collectio, domesticis etiam Historicis locuples, perpetuo continuatur. Hodie Bibliotheca illa in Templo D. Iacobi exstat, quoniam prior locus in Collegio philosophico et angustus erat nimis, et ab incendiorum violentia parum tutus. Olim praefecti fuerunt eidem duo Professores, deinceps vnus saltim, ita tamen, vt exacto biennio, alius succederet. Nunc vero constitutum est, vt supra laudatus Aepinus hoc munere, quoad velit, perfungatur. In Templo etiam Mariae *Collegium Sacerdotum* Bibliothecam habet, institutam, vt simile vero est, ex eo librorum supellectile, quae in antiquo Monasterio ad D. Iohannis quondam delituit. Postea ex legato Polleyano libri

quotannis fuerunt adiecti. Agitur de ea im *Etwas von gelehrten Rostock. Sachen a. 1739. 1740. et 1741.* ipsa tamen loca indicare adcuratius non possumus, ab vsu quippe huius Diarii iam exclusi. Solus *annus 1742.* ad manus est, vbi *p. 622. 646. et 683. sq.* varii Bibliothecae Marianae libri recensentur, quibus complures nominis sui et liberalitatis memoriam propagare ad posteros studuerunt. Recentissima est Bibliotheca *Ordinis Equestris Mecklenburgici*, quae in Templo D. Iohannis seruatur. Fundamenta illius iecit nobilis quidam, qui splendido huic Ordini testamento reliquit bonorum copiam scriptorum. His accessit deinceps Domini a Negendanck, Consiliarii prouincialis, Bibliotheca, sumtu communi comparata, quae libris maxime superbit in historia et iure publico Ducatus Mecklenburgici necessariis.

Rotenburgum ad Tubarim, in Circulo Franconico, Bibliothecam habet, cuius origines ad saeculum XV. referendae. Eo enim tempore a Ministerio Rei publicae ecclesiastico sensim pedetentimque collecti libri fuerunt. Adiecit superioris saeculi initio Andr. Libauii et Eliae Ehingeri, Gymnasio Praefectorum, cura Scriptores varios ad Historiam et Philologiam pertinentes, cum primis Stephanianas editiones; sed bellum deinceps tricennale non mediocri detrimento fuit Bibliothecae. Quod vt resarciretur, Senatus, reddita patriae pace, complures bonae frugis libros acquisiuit. Adsunt ibidem MSta quaedam, non magni tamen momenti. Operum contra rariorum, eorum praecipue, quae primo saeculo typographico lucem viderunt, praeclara conspicitur Collectio. Inter Codices scriptos *Speculum humanae Saluationis*, de quo aliquando fusius differemus, notatu dignissimum est. Vid. ANDREAE SAM. GESNERI, Rectoris, *Progr. de non nullis Bibliothecae Reipublicae Rotenburgensis ad Tubarim memorabilibus, Rotenb. 1728.* quod

paullo poſt recuſum eſt in FRID. IAC. BEYSCHLAGII *Sylloge varior. Opuſculorum, Tomo I. Faſc. 4. p. 743. ſq.*

Salisburgi tres celebrantur Bibliothecae.

I.) *Archiepiſcopalis*, cuius ſtructura non inelegans eſt; nec praeſtantiores quidam libri editi in ea deſiderantur. Veterum Codices manu exarati pro dignitate loci pauciores et recentiores ſunt. *Statii, Macrobii*, et *Plauti Opera* manus elegantia omnium oculos tenent, etſi caeteroquin ipſa Volumina ducentorum annorum aetatem vix ſuperent. Eadem perſcriptae manu *Ouidii Metamorphoſes, tres Decades Liuii*, et *quaedam Ciceronis Orationes* admiratione neminem non adficiunt. Haec PEZIVS *Diſſert. iſagog. ad Tom. I. Theſ. Anecdot. nouiſſ. pag. 8.*

II.) Bibliotheca in vetuſtiſſima *D. Petri Abbatia*, vbi non omnia Cimelia monſtrata fuerunt olim MABILLONIO, qui paucis tangit eam ipſam Bibliothecam in *Itinere Germanico, p. m. 71.* Tantam enim tum antiquiſſimorum, tum recentiorum Voluminum manu ſcriptorum copiam inuenit Pezius, vt vndecim ei dies, quibus Salisburgi commoratus eſt, ad perluſtranda illa vix ſuffecerint. Inter hos Codices, quorum varios recenſet *l. c. p. 5*, habentur *Auguſtini Epiſtolae 89.* octauo, vel nono ſaltim, ſaeculo exaratae; *Ambroſius in omnes D. Pauli Epiſtolas*, manu ſaeculi IX.; item *Necrologium*, ſignatum littera S. 75, ſexcentorum annorum membranaceum in f. ex quo notae optimae Codice dici non poteſt, quantum res Auſtriacae et Bauaricae lucis accipiant. Cf. etiam ſplendidiſſimum *Chronicon Gotwicenſe, Tomo I. p. 37. 38. 50. et 52.*

III.) Bibliotheca *Vniuerſitatis*, quae certam accepit formam a. 1658. coemtis iam a. 1649. iis libris, quos Chriſtoph. Beſoldus reliquerat, vti ex *Hiſtoria*

Historia Vniuersitatis Salisburgensis, *Frf. et Lips. a. 1728. in 4* edita, docent *Acta Erud. Lat. anni 1730. m. Febr. p. 95. in fine.*

Illustre quoque *Schleusingensium* Gymnasium possidet Bibliothecam, hodie libris optimis instructam. Debet ea initium munificentiae Principum Comitumque Hennebergensium, qui addixerunt eidem, quicquid passim librorum in Monasteriis reperiebatur. Incrementa vero accepit potissimum a Bibliothecis Ioachimi et Samuelis Zehnerorum, patris ac filii, Wolffgangi item Seberi, qui omnes sacrorum Schleusingensium Antistites fuerunt. Zehnerorum quidem supellex a. 1636. sumtu publico comparata est: Seberiana contra, ex legato possessoris, paullo ante accessit. Sequentibus deinceps annis alia etiam ornamenta in eandem profluxerunt. Superbit in primis emendatissimis librorum editionibus, Plantinianis, Wechelianis, Stephanianis, Comelinianis caet. quae ab eruditis haberi in pretio solent. Quumque aliae Bibliothecae numero Voluminum se efferant, haec delectu gaudet, et copia tamen non spernenda commendatur. Parum autem abfuit, quin a. 1685. igne periret. Ortum enim in arce Ducali incendium, quorsum Bibliotheca a. 1665. communi consilio ex Gymnasii aedibus translata fuit, iam corripuerat conclaue, in quo adseruabatur eadem, adustisque non paucis, aut aqua adfusa pessime deprauatis libris quibusdam, triste reliquis fatum imminebat, nisi adcurrentium hominum cura maximam et praestantissimam eorum partem flammis eripuisset. Singulari mox Ioh. Ernesti Schadaei, Gymnasii tunc Rectoris, industria effectum est, vt illatum damnum non repararetur tantum, sed et pristino cuncta nitori restituerentur. Habet Bibliotheca haec MStorum non nihil, quorum pleraque Graeca sunt, chartacea tamen, e. g. *Iosephi libros Antiquitatum Iudaicarum*, *et contra*

Appionem, Vol. duobus; *Nicetae in aliquot Nazianzeni Orationes Commentarios; Gregorii Nysseni Homilias in Canticum Canticorum; Eiusdem Homilias in Orationem dominicam et octo beatitudines; Iulii Pollucis Onomasticon cum notis Godofr. Iungermanni*, Gr. et Lat. in 4. quo Codice vsus est Ioach. Kuhnius, Prof. Argentoratensis, quum nouam huius Scriptoris editionem meditaretur; *Iustiniani Imp. Leges de re rustica, interprete Franc. Balduino*, Gr. et Lat. Volumen in f. nitidissime scriptum; *Explicationem Carminum Pythagorae et Phocylidis, auctore Wolfg. Sebero*, eruditissimum Opusculum, cui elaborando Auctor sexennium impendit. Praeter ea admodum multi libri vel notis marginalibus, vel indicibus, si deerant, locupletati sunt, passimque emendati laudati Seberi, et Ioach. Zehneri, manu, vt adeo vsui esse queant illorum editoribus futuris. Vid. CHRISTIANI IVNCKERI *Epist. ad Petr. Ambros. Lehmannum de Statu Bibliothecae Schleusingensis*, inserta *Nouis litterariis Germaniae a 1703. p. 304. sq.* Idem omnia haec vberiori exponere voluit sermone in Historia Principatus Hennebergici; sed lucem nondum vidit nobilissimum Opus, cuius Partes in Archiuis quibusdam Saxonicis custodiuntur; teste illustri BVDERO in *Bibl. histor. Struuiana, Tomo II. p. 1170.*

Sedinensis Gymnasii Bibliotheca auctorem habet Petrum Artopoeum, saeculo XVI. Rectorem primum Scholae Senatoriae, post ad Templum B. Mariae Virginis Pastorem. Anno 1579. multos quidem libros amisit incendio; deinceps tamen variis modis reddita est splendidior. Praecipue a. 1710. insignia accesserunt incrementa Frisii, Consiliarii, libraria supellectile, quam ante obitum Gymnasio tradidit vir Musarum amantissimus. Differit de eadem IOH. SAM. HERING in *der historischen Nachr. von der Stiftung der zwoen Collegiat-Kirchen zu Alten-Stettin* caet. *Sedini a. 1725. 4. p. 54.*

§. XX.

§. XX.

De *Spirenſi* quadam Bibliotheca, quae, vt opinamur, ad Eccleſiam Cathedralem pertinet, haec ſcribit a. 1672. NICOL. HEINSIVS ad Ioh. Frid. Gronouium, in BVRMANNI *Sylloge Epiſtol. Tomo IV. p. 142: Quamquam deſiderabantur complures ex libris, quos Catalogus promittebat, atque in his Saturnalia Macrobii, Orationes aliaque Ciceronis, atque in eas Pedianus Aſconius, Florus, Antonini Itinerarium, cum peruetuſto Metamorphoſeon Naſonianarum exemplari, quod Langermannus ante octennium inſpexit; occurrebant tamen haud pauca, minime contemnenda; de quibus coram. Officiorum Ciceronis tria, ni fallor, exemplaria ſatis vetuſta, Rhetoricorum duo, aliaque Tullii tui, manus inciderunt meas.* Plura de hac Bibliotheca iam non ſunt in promtu: forte periit etiam, cum aliis, vrbe a. 1689. a Gallis incenſa.

Stargardia, in Pomerania vlteriori, binis nobilitatur Bibliothecis publicis.

Prior eſt in *Templo, D. Virgini* dicato, quae egregia omnino, et antiquis etiam, MStis inſtructa. Creuit hoc ſaeculo liberalitate Püttmanni, I. V. D. et Ciuitatis Syndici, qui totam ſuam Bibliothecam eidem legauit. Louwius itidem, Conſul, omnes, quos habuit, libros theologicos adiunxit huic ſupellectili.

Alteram Bibliothecam *Collegium* ſeruat *Groeningianum*, a Petro Groeningio, Conſule, a. 1633. inſtitutum. Ea non quidem numero, at librorum tamen delectu, excellit. Memoratus Louwius integram ſuam Bibliothecam, praeter theologicos ſcriptores, de quibus modo diximus, ei reliquit teſtamento. Poſtea Chriſtian. Schoettgenius, Collegii huius olim Rector, curis effecit ſuis, vt augeri queat annis ſingulis Bibliotheca Groeningiana. Indicauit haec nobis IOH. DAVID IAENCKENIVS im *Vorbericht von ſeiner Abhandlung des*

gelehr-

gelehrten Pommerlandes, (quod Opusculum *Stargardiae* sine anno *in 8.* prodiit) *p. 102. sq.*

Stralsundensium Senatus nouissime accepit Bibliothecam splendidissimam, ab Henrico Levens, Camerario, ipsi legatam, cuius amplificandae caussa prudentissimum Collegium certos reditus constituit, teste illustri a BALTHASAR in *Prolegom. Parti I. Supplem. ad Biblioth. Lipenio-Ienich.* praefixis, *p. 9.*

Stutgardiae inueniuntur 1.) Bibliotheca *Ducalis*, quae non male instructa est, librorumque et numero, et praestantia, superbit. Commendandum quoque Cimeliarchium, nummorum copia conspicuum, cuius rarissima descripsit PATINVS; 2.) Bibliotheca *illustris Regiminis*, iuridicis praecipue libris referta. Ex ea celeberrimus Moserus primum in lucem protulit Iosephi Grünbeckii, Maximiliano I. a consiliis intimis et confessionibus sacris, Historiam Friderici III. et Maximil. I. Imperatorum, lingua Germanica compositam; 3.) Bibliotheca *Consistorii Ducalis*, in qua exstat Bibliorum Germanicorum editio, Mogunt. per Ioh. Fust a. 1462. in f. adornata, et fere omnibus eruditis incognita. Primus eandem, vt ex SCHWARTZII *primariis documentis de origine typographiae, P. II. p. 15.* intelleximus, memorauit IOH. ALB. BENGELIVS in *Adparatu critico p. 641.* quem adiecit *Nouo Testam. Graeco, Tubingae a. 1734.* edito.

Apud *Treuirenses* notae sunt

I.) Bibliotheca *ad S. Simeonem* admodum nobilis, quam Matthias Nunhusen de Nittel, I. V. D. et Aduocatus Consistorialis, huiusque et S. Paulini Ecclesiae Canonicus, a. 1521. pie defunctus, condidit, Matthias autem Sarburgius, Acad. Professor, atque ad S. Simeonem Decanus, eodem saeculo instaurauit, ac denique Maximinus Perneger, itidem Decanus, et Vniuersitatis Procancellarius, qui a. 1557. obiit, multis Voluminibus red-

didit

didit auctiorem. IOH. NICOL. ab HONTHEIM in *Histor. Treuirensi diplomatica, Tomo II. p. 549.*

II.) Bibliotheca *Collegii Societatis Iesu*, cui Barthol. Bodeghemius, ad S. Simeonem Canonicus, a. 1608. librariam suam supellectilem, sane luculentam, reliquit, vna cum tota hereditate. IDEM *l. c. p. 550.*

III.) Bibliotheca *Vniuersitatis*, cuius auctor est Reuerendissimus Archiepiscopus et Elector hodiernus, Franciscus Georgius. Is scilicet, praeter quam plurima alia beneficia et ornamenta, curasque et sollicitudines perpetuas in patriam Academiam, eidem de amplissima Bibliotheca prouidit, in quam, quicquid rei diplomaticae et omnium historiarum, siue generalium, siue particularium, sacrarum et profanarum, scriptores, rerum Germanicarum et Actorum Imperii publicorum, nec non Miscellaneorum Operum, qua ecclesiasticorum, qua ciuilium, Collectores vtile fecerunt vel desiderabile, maximo sumtu, sed nec minore commodo publico, vel ipso me ministram manum ferente, illatum est, quae verba sunt Domini ab HONTHEIM *Tomo III.* Operis eximii, iam adducti, *p. 208.*

Tubingensis Academiae Bibliotheca primum instituta est medio circiter saeculo XVI, a Christophoro, Duce Würtembergico, teste LOMEIERO *de Biblioth. p. 207. in Collect. Schmidiana.* Ludouicus Grempius, Rei publicae Argentoratensis Syndicus, a. 1583. moriens, vt gratum erga hanc Vniuersitatem, nutricem olim suam, animum declararet, eius Bibliothecae egregiam omnis generis librorum supellectilem legauit: quae eo translata hodieque ibidem adseruatur. Vid MELCH. ADAMI in *Vitis ICtor. Germanor. p. 263. edit. Heidelberg. in 8. maior.* Sub finem saeculi superioris accessit pars dimidia Bibliothecae, quam Ludouicus, Princeps

Würtem-

Würtembergicus, a. 1698. Iſenaci mortuus, collegerat. Vid. Articulus de *Bibliotheca Academica Halenſi ſupra §. X.* in nota. Inter rariora dictae Bibliothecae plus ſeptem Orationum ſacrarum millia reperiuntur, quas Mart. Cruſius perquam exiguo temporis momento ex lingua Germanica conuertit in Graecam, vti refert KEYSSLERVS *Tomo I. ſeiner neueſten Reiſen, p. 121. edit. prioris.* Add. ADAMI in *Vitis German. Philoſoph. p. 494. edit. cit.* De Codicibus Bibliothecae *Stipendii Martiniani*, quod eſt Tubingae, vid. MOSERI *Vitae Profeſſ. Tubing. Ordinis Theologici, p. 57.*

Vinariae illuſtris eſt Bibliotheca *Ducalis*, in arcis Wilhelminae loco percommodo atque eleganti. Eius origo referenda ad annum ſuperioris ſaeculi nonageſimum primum, quo sereniſſimus Princeps, Guilielmus Erneſtus, principalem Ienenſem, poſt Ioh. Guilielmi, vltimi Ducis Saxo-Ienenſis, obitum, hereditatis iure acceperat. Coemtae deinceps Mauritii Gerardi a Lilienheim, Conſiliarii intimi ac Procancellarii Vinarienſis, itemque Frid. Balth. a Logau, Baronis Sileſii, Bibliothecae. Logauiana libris praecipue hiſtoricis inſtructiſſima eſt, et quoscunque Codices CHRISTIAN. GRYPHIVS in *Adparatu ſuo ad hiſt. ſaec. XVII.* recenſet, ii ſane omnes reperiuntur in eadem, atque praeter hos tanta etiam aliarum diſciplinarum ſubſidia, quanta ſaepe ſingularum non habent, qui vni modo earum operam dediſſe ſibi haud perfunctoriam videntur. Exſtitit haec ipſa Bibliotheca, in variis per Belgium, Angliam, Italiam Galliasque itineribus, et impenſis quidem maximis, ab illuſtri poſſeſſore collecta, Vratislauiae ad D. Mariae Magdalenae aedem, curamque eius laudatus Gryphius ſuſtinuit, cuius fide perhibetur, trigeſies mille et plures nummos vnciales, non aeſtimatis voluminum integumentis, ei inſtruendae vix ſuffeciſſe. Quum igitur, Logauio exſtincto, de Bibliotheca tam excellenti auctionis lege diuendenda

ab

ab heredibus cogitaretur, perauſpicato apud Principem ſuum intercesſit Ge. Guil. a Reinbaban, aulae Mareſchallus, eamque emendam recte ac prudenter ſuaſit. Placuit conſilium Guilielmo Erneſto, annoque illa 1704. aequiſſimo parata pretio *) ad ipſum delata eſt. Biennio poſt Conr. Sam. Schurzfleiſchii, cui hoc datum ab aula negotium erat, ſolerti opera ex Gudianis diuitiis, Hamburgi publice diſtractis, complura acceſſerunt nobiliſſimorum ingeniorum monumenta, in quibus antiquiſſimae bonorum Auctorum editiones, aliique humaniorum litterarum libri, ſummam a vetuſtate et raritate commendationem habentes, mirum in modum eminent. Cf. SCHVRZFLEISCHII *Epiſtolae arcanae, Tomo II. p. 571.* Tum ſub finem a. 1722. integra viri huius doctiſſimi Bibliotheca, mortuo fratre, Henrico Leon. Schurzfleiſchio, Ducali illata eſt, **) quo ſane adparatu, Codicibus tum manu exaratis, tum excuſis, locupletiſſimo, quantum eadem acceperit ornamenti, neminem ignorare credimus, qui

*) Tribus Imperialium millibus eam conſtitiſſe tantum Principi, *Gundlingiani Sermones in Heumanni Hiſtor. litter. Tomo I. p. 575.* adfirmant; ſed verius ſcripſit, noſtra quidem ſententia, IOH. CHRISTIAN. KVNDMANNVS in *den hohen vnd niedrig. Schulen Deutſchlands, mit ihren Bücher-Vorräthen in Müntzen p. 405.* quinque Imperialium millia ſoluta fuiſſe heredibus Logauianis.

**) Obitum eius in annum 1714. ponit IOH. CHRISTOPH WOLFIVS in *Theſauro epiſtol. La Croziano, T. II. p. 64.* vbi haec ſcribit: *Schurzfleiſchium illum iuniorem diem obiiſſe non ignorabis. Abdicauerat ſe is munere Profeſſorio Vitembergenſi, vel perpetuis collegarum odiis et molitionibus compulſus, vel aulae Weimarienſis, ad quam conſiliarii titulo, lautoque inſuper ſtipendio inuitatus erat, blanditiis adductus. Morti paullo poſt proximus eximiam fratris bibliothecam principi, domino ſuo, teſtamento legauit, quam Vitembergenſes ſibi, ſi voluiſſent, vindicare, vt puto, potuiſſent.* Sed aut falſis tum rumoribus deceptus eſt Wolfius, aut annus ille 1714, quo additur eum exaraſſe hanc Epiſtolam, ad errores typographi pertinet.

qui vel extremis digitis attigerit celeberrimi hodie Philologi, IOH. MATTHIAE GESNERI, *Notitiam de Biblioth. Schurzfleiſchiana*, editam *Vinariae a. 1723. in 4.* nunc in *Opuſculis* eius *minoribus*, *Tomo V. p. 3. ſq.* aliqua ex parte recuſam. Memorabimus non nulla ex libello hoc politiſſimo, cui et iungi poſſunt, quae in IOH. GVIL. BERGERI *Diſſert. Academicis*, *Vitemb. 1717. 4. p. 293. ſq.* leguntur. Ac primum quidem adſunt ibi inter MSta: *Ciceronis Officia, item de ſenectute et amicitia libri, tum paradoxa et epiſtolae nobiliores; Salluſtii exemplaria tria; Horatii lyrica et poëtica ars; Iuuenalis Perſiique ſatyrae; Fragmenta de agrorum dimenſionibus et qualitate, a Ioh. Arcerio Theodoreto Friſio collecta; Probae Valeriae Centones Virgiliani; Guidonis de Columna hiſtoria Troiana; Hiſtoria Alexandri M. auctore, vt videtur, monacho quodam, Chriſtiano certe; Anonymi veteris fabulae Aeſopiae, carmine elegiaco expreſſae; Iani Gebhardi ad Titum Liuium animaduerſiones*, maximam partem ex Palatinis Codicibus excerptae, et primum in Suffridi Sixtini Bibliothecam, inde in Heinſianam ac Goeſianam, tandemque in Schurzfleiſchianam tranſlatae, quarum Specimen *Halae Magd. a. 1712. in 4.* cum eruditis communicauit H. L. SCHVRZFLEISCHIVS; *Homeri Ilias cum breuibus Scholiis; Excerpta inedita ex Anthologia Graecorum Epigrammatum*, quae fuit in Iſaaci Voſſii Bibliotheca; *Amphilochius* de *vita Baſilii Magni; Virorum aliquot doctiſſimorum ad Gloſſaria vetera, item Herodotum ac Pauſaniam obſeruationes*, prelo iam paratae; *Chronica varia rerum Germanicarum; vltra octoginta Volumina ſpiſſa ſaepius et ponderoſa, atque ipſius Schurzfleiſchii manu exarata*, quibus vel hiſtoriam omnium temporum illuſtrauit, vel ex hac ciuilem prudentiam inſtruxit, vel linguam antiquitatesque Graecorum et Romanorum explicauit; *Eiusdem bona pars Epiſtolarum nondum editarum*, nihil illis, quas adprobauit orbis eruditus, inferior, quemadmodum etiam

inter

inter illas, quas recepit, plurimae ſunt, quae vel ob auctores, vel argumenta, vel ſtilum denique dignae ſunt, quae in lucem aliquando publicam proferantur. Huc porro referendi ſunt libri, quibus manus Conradi Samuelis, multorumque clariſſimorum in ſuo cuiusque genere hominum, pretium inſigne tribuit. In primis laudari debent *Theocritus Commelinianus*, cum Codicibus manu ſcriptis ab eruditiſſimo, vt adparet, viro collatus, aliisque obſeruationibus copioſis locupletatus, nec non *Auguſti Buchneri*, cuius tota fere Bibliotheca in Schurzfleiſchianam commigrarat, ad *Tertullianum*, ad *Plauti Virgilii*que *Taubmannianas editiones*, ad *Poëtas Chriſtianos Fabricii*, ad *Terentium Mureti*, ad *Catullum*, *Tibullum*, *Propertium*que *Scaligeri*, ad *Horatium Heinſii*, ad *Statium*, *Iuuenalem*, *Silium Italicum*, ad *veteres Panegyricos*, ad *Theophraſti Characteres*, *Euripidis Phoeniſſas*, aliosque auctores: *Caſp.* denique *Barthii* ad *Gloſſaria*, *Vulcani ſtudio diuulgata, Catullum*, *Tibullum*, *Propertium Scaligeri*, ad *Senecae Tragoedias, ex editione Heinſiana*, *notae criticae et philologicae*, doctrinae haud vulgaris teſtes certiſſimae. Ad libros aere excuſos quod attinet, monſtrari libri permulti poſſunt, haud facile obuii, quorum certe magnam aliquam copiam colligere, noſtris temporibus difficillimum eſt. Tales ſunt e.g. Victoris Sirii hiſtorica volumina omnia, quae Italico conſcripta ſermone Auctor *Mercurii* nomine inſigniuit; Braſichellani Index librorum expurgandorum; pretioſi omnes de nummis antiquis ſcriptores; ſcilicet Angelonus, Comes Arſchotanus, Anton. Auguſtinus, Laur. Begerus, Ioh. Petrus Bellorius, Iac. de la Bie, Caſp. Carpegna, Cardinalis, Ioh. Bapt. Cavalieri, Chiffletii, Sebaſt. Erizzi, Hubert. Golzius, Abrah. Gorlaeus, Ioh. Harduinus, Petr. Maurocenus, Franc. Mediobarba, Claud. Nicaſius, Adolph. Occo, Iac. Oiſelius, Proſp. Pariſius, Car. Patinus,

Petr. Seguinus, Ezech. Spanhemius, Ioh. Triſtanus, Ioh. Foy Vaillant, Aeneas Vicus, Iac. de Wilde, et alii huius generis complures; non paucae celeberrimorum typographorum, Aldorum prae caeteris, Iuntarum et Stephanorum editiones; Liber typis antiquiſſimis expreſſus *de vita et morte Ariſtotelis*, quem ex alio eiusdem editionis exemplari totum denuo in lucem protulit HEVMANNVS *Actor. Philoſ. P. XV;* Homerus, Graece, cura Demetrii Chalcondylae, apud Florentinos a. 1488. excuſus, et propter ſummam emendationis curam, chartaeque robur ac nitorem, latas item margines, omnino inter Ducalis Bibliothecae cimelia reponendus. Hactenus de Bibliotheca Schurzfleiſchiana. De Logauiana vero, et caeteris Vinarienſi illatis, legatur HENR. LEON. SCHVRZFLEISCHII *Notit. Bibliothecae Principalis Vinarienſis*, iuſſu ipſius laudatiſſimi Principis conſcripta, et *Vitembergae a. 1712. in 4.* edita. Quae *Ienam*, *annum*que *1715.* in titulo indicant, exemplaria, ea plane non differunt, a nouo quippe bibliopola, ad quem pars eorundem ceſſionis iure peruenerat, ſic mutata, prout obſeruant Auctores *der Neuen Hälliſchen Biblioth. P. LXIX. pag. 740.* Adiecit Schurzfleiſchius Claudii Salmaſii in Chronicon Hieronymi Latinum varias lectiones et emendationes, e quatuor Palatinis Codicibus olim erutas, et nunc primum ex Vinarienſi Bibliotheca diuulgatus, tum et ad Chronicon Euſebii Graecum et alterum Paſchale caſtigationes et animaduerſiones, paſſim e ſchedis fratris, Conradi Samuelis, auctas et locupletatas, quibus tamen de laboribus vid. die *Neue Häll. Biblioth. P. XVIII. p. 672.* Add. STOLLII *Nachr. von den Büchern ſeiner Bibl. P. II. p. 117.* *) Idem Schurzfleiſchius *p. 40.* Catalo-

*) Videmus etiam dicti Schurzfleiſchii *curas poſteriores ad Notit. Biblioth. Vinar. Ienae a. 1714. in 4.* quae plagulas quinque com-

talogum Bibliothecae huius, quam *pag. 37.* vnius tantummodo Principis cura et natam, et per paucissima lustra in admirabilem productam esse magnitudinem verissime dicit, pollicitus est, quod et propositum fuit eruditissimo Gesnero. At res in nihilum cecidit; ideoque opus, pro derelicto quasi habitum, alium nunc architectum exspectat. Praefecti Bibliothecae celebriores, post Guil. Ernesti obitum haud neglectae, fuerunt vterque Schurzfleischius, et illorum speciatim supellectili librariae laudatus Gesnerus. Cf. hic venerab. GOETTENII *Gelehrt. Europa, P. I. pag. 564.* Conradus Sam. Schurzfleischius tamen retinuit Professoris munus, quo in Vitembergensi Academia maximum sibi nomen et gloriam peperit. Eo tempore, quod Gesnerus apud Vinarienses consumsit, ex librorum duplorum alienatione praeclara, et bis mille Imperialium pretium excedens, variorum Historicorum accessio facta, vti ipse profitetur in NEICKELII et KANOLDI *Museographia pag. 405.* Praeter Bibliothecam *Cimeliarchium*, atque *Museum* rerum naturalium et artificialium, commendari haud mediocriter debet. Illud, quod maxima ex parte possedit olim Frid. Adolph. ab Haugwitz, in aula Dresdensi Consiliarius intimus, et supremus Mareschallus, gemmis non solum pretiosissimis, sed numismatibus etiam Graecis ac Romanis, in primis autem incomparabili Saxonicorum nummorum thesauro superbit: hoc e contrario magnificam fossilium, animalium et plantarum peregrinarum, concharum rariorum, elegantissimisque coloribus distinctarum, picturarum, et si quid est, quod ab arte et venustate aliquid laudis meretur, congeriem curiosis eiusmodi rerum indagatoribus conspiciendam praebet. Antea id ipsum Museum

 perti-

complectuntur, et parum sunt obuiae. Sed nihil aliud in Opusculo hoc legitur, quam noua animaduersionum Collectio ad Chronicon Eusebii Hieronymianum.

pertinuerat ad Christian. Laurentium ab Adlershelm, Consulem Lipsiensem. Cf. HENR. LEON. SCHVRZFLEISCHIVS *l. c. pag. 32. sq.* item NEICKELIVS et KANOLD. *p. 125.* et *pag. 177.* Add. quoque SALOM. FRANCKII *illustris Nummophylacii Wilhelmo-Ernestini, quod Vinariae fulget, rariores Bracteati, nummique figuris aeneis expressi, breuiter explicati. Vinar. a. 1723. in f.* Alia adhuc Bibliotheca ibidem in *Templo Ciuitatis*, Petri ac Pauli nomine insignito, adseruatur, quam Anton. Probus, sacrorum Antistes generalis, superioris saeculi initio legauit. Habet ea, praeter Codices paucos, manu exaratos, e. g. *Lactantium*, rariores quasdam Bibliorum editiones, Patrumque collectionem non contemnendam, et nunc aliquot Voluminum millibus constat. Legatur hic loci IVNCKERVS in *dem Discours von einigen Sächsisch. öffentl. Biblioth.* quod Opusculum adiecit *der histor. Nachr. von der öffentlich. Bibliothec des Gymnasii zu Eisenach, p. 20.* Cf. TENTZELII *Cur. Bibl. Repos. I. p. 458*

§. XXI.

Ordinis nunc ratio perducit nos ad Bibliothecas *Vindobonenses*. Plures earum, cum publicas, tum priuatas, ostendit pulcherrima haec et florentissima Augustorum sedes, inter quas

I.) Bibliotheca *Caesarea* principem facile locum in tota, quantacunque est, Germania tenet. Eius Historiam erudite conscripsit PETR. LAMBECIVS *lib. I. Commentarior. de augustissima Bibl. Caesar. Vindobon. p. 31. sq.* quam exinde, et ex NESSELII *Supplementis*, ad verbum excerpsit, noua rerum serie auxit, notisque et animaduersionibus, in tyronum gratiam, locupletauit BARTHOL. CHRISTIAN. RICHARDVS, in *Hist. Bibl. Caes. Vindob. Ienae a. 1712. in 8.* Simile institutum placuit IAC. FRID. REIMMANNO in *Bibliotheca*

acroa-

acroamatica, *Hanou. eod. anno*, *eadem*que *forma*, excuſa, qui tamen filum Lambecianum non ita, vt Richardus, produxit. Nos quum ante oculos habeamus illorum virorum labores, non committemus, vt ignorent Lectores noſtri, quae ad cognoſcendam tantam Bibliothecam praecipue faciunt, additur etiam nouiſſima eiusdem incrementa. En igitur breuem adcuratamque illius deſcriptionem! Poſtquam Maximilianus I. Imperator a. 1493. Patri Friderico V. ſucceſſerat in imperio, ſumma mox cura ipſius fuit, vt MStorum ſupellex, inde a Rudolpho I. cum a caeteris vel Imperatoribus, vel Archiducibus Auſtriacis, tum a Patre in primis Friderico, Aeneae potiſſimum Syluii et Georgii Peurbachii adminiculo collecta, quique poſt inuentam typographiam, et expugnationem Conſtantinopoleos, vel Graeci, vel Latini libri, tam impreſſi, quam manu exarati acceſſiſſent, in formam iuſtae Bibliothecae redigerentur. Qua quidem in re opera maxime vſus eſt Conradi Celtis, quo a. 1508. Vindobonae mortuo, priuata eius Bibliotheca, eaque inſignis, vt tempora ferebant, magna ex parte in Caeſaream tranſiit. Huic in adminiſtratione Bibliothecae ſucceſſit diſcipulus, Ioh. Cuſpinianus, ſiue Spieshamer, Conſiliarii et Hiſtoriographi dignitate, atque inſuper Senatus Vindobonenſis praefectura ornatus, ſub quo Bibliotheca multis creuit bonae notae Codicibus ſcriptis, partim ex Monaſteriis Auſtriacae ditionis, partim ex Regiae Coruinianae Bibliothecae reliquiis. Poſt Cuſpiniani obitum, qui in annum 1529. incidit, praecipuam Bibliothecae Caeſareae curam geſſit Caſp. a Nydpruck, cuius varia Opuſcula iuridica, manu exarata, nec non complures doctorum virorum Epiſtolae, ad eundem

 ſcriptae,

ſcriptae, in Bibliotheca adſeruantur. Circa hoc tempus frequenter ipſa vſus eſt Wolfgangus Lazius, Medicus ac Philoſophus, cuius aetate Bibliothecae Caeſareae illata ſunt pleraque tam manu ſcripta, quam typis impreſſa, Volumina praeſtantiſſimae Bibliothecae, a Iohanne Fabro, Epiſcopo Vindobonenſi, a. 1541. relictae. Cf. de huius vita et ſcriptis CAROLI ERN. KETTNERI *Diſſ. Lipſiae a. 1737.* luci expoſita. Nec multo poſt acceſſit numeroſa ſupellex Iohannis Dernſchwam de Hradiczin, quam variis in regionibus maxima collegerat induſtria, librique eo pertinentes, praefixis ipſius inſignibus ac nomine, etiam nunc ſunt ibidem conſpicui. Alia porro, et longe maior quidem, Bibliothecae Caeſareae obtigit felicitas per Augerium de Busbecke, natione Belgam, quippe qui in duabus ſuis legationibus, Conſtantinopolitana et Amaſiana, ſtilo perelegānti ab ipſo expoſitis, incredibili diligentia et ſumtu non leuem comparauit numerum variorum Codicum manu ſcriptorum, quos, ex Aſia et Graecia Europaea in Auſtriam reuerſus, Bibliothecae Caeſareae conſecrauit, obtulitque hac mente Maximiliano II. Imperatori. Adſunt illi adhuc ſalui et incolumes, nec vetuſtate tantum ſua, ſed argumenti quoque dignitate delectant. Anno 1565. quo Lazius vitam cum morte commutauit, vel ſequenti forſitan, additum fuit Caeſareae, quicquid rarum et eximium in eius exſtitit Bibliotheca. Ab eo tempore, quamuis Maximilianus II. amore erga bonas litteras, illarumque cultores, nulli maiorum ſuorum ceſſerit, Bibliotheca partim ob Busbeckii, eius Inſpectoris, abſentiam et grauiora negotia, partim aliis de cauſſis, per decennium circiter minori cura, quam olim, fuit tractata, donec tandem laudatus Impera-

perator ſingulari diplomate, Pragae anno 1575. ſubſcripto, Hugonem Blotium, Delphis Batauis oriundum, eidem praeficeret. Primus is omnium Bibliothecarii Caeſarei titulum ſumſit, quem, ante illum, nec Celtes, nec Cuſpinianus, nec Nydpruckius, nec Lazius, nec Busbeckius vſurpauerant. Ac tum, velut a ſtirpibus, renata eſt demum laetius feraciusque Bibliotheca, tantumque, intra bienni ſpatium, dignitatis acquiſiuit et gloriae, vt IVSTVS LIPSIVS in *Dedicatione*, *Tacito praemiſſa*, inſigni elogio gratulatus ſit Maximiliano II. tam ſtupendum librorum optimorum adparatum. Blotius enim non eorum tantum auxit numerum, ſed omnes etiam ordine aptiori in nouos redegit Catalogos, dextreque, ne difficulter inueniri poſſent, diſpoſuit. Quo facto, praeter plurimos et manu exaratos, et impreſſos, libros, qui ſparſim et disiuncte vel a viris doctis Rudolpho II, Maximiliani ſucceſſori, donati, vel magno pretio coemti fuerant, a. 1584. Iohannis Sambuci integra, nec minus exquiſita quam numeroſa, bis mille ſcilicet ſexcentorum et octodecim Voluminum, Bibliotheca, vna cum ingenti numiſmatum, ſtatuarum, aliorumque eius generis monumentorum copia, commigrauit in Caeſaream. Quum vero Blotius propter nimiam in commodandis libris facilitatem, qua multi ſic abuſi ſunt, vt complures Codices nunquam reſtituerent, ab aduerſariis in aulae adduceretur inuidiam, parum abfuit, quin ille partim hoc nomine, partim religionis cauſſa, (ſequebatur enim Caluini doctrinam) praefectura Bibliothecae penitus deiiceretur. Ipſi ſaltim, tamquam in adminiſtranda eadem prodigo, curator datus eſt Richard. Streinius, Baro Auſtriacus in Schwartzenau, Imperatori a conſiliis intimis,

ſacroque Fiſco praefectus, ſine cuius arbitrio Blotius deinceps ne vnum quidem librum cuiquam commodare potuit, neque permiſſum eiam fuit, vt alicui Bibliothecam viſendam patefaceret, niſi forte vni ſoli. Ipſe hoc fatetur ingenue in *Epiſtola quadam*, a. 1600. ad Conradum Daſypodium, Mathematicum Argentoratenſem, perſcripta, ſequentia paullo poſt memorans: *Cum primum Bibliothecae adminiſtrationem eſſem conſecutus, per Auger. Busbeckium, qui et ipſe ante meum tempus fuerat Bibliothecae Caeſareae Superintendens, Maximilianum Imperatorem rogari iuſſi, quomodo me in adminiſtratione Bibliothecae gerere deberem; an liceret alios ad viſendam eam admittere? an libros ex ea depromtos aliis vtendos permittere? Reſpondet Caeſar: licere vtrumque, ea tamen cautione adhibita, ne librorum deminutio fiat, et habita perſonarum ratione. Bibliothecam enim quantumuis inſtructam, quae nullius vſui pateat, eſſe inſtar candelae ardentis quidem, ſed inuerſo modio tectae, cuius lumen nemo percipere poſſit. Ego igitur hac licentia fretus, admiſi ſaepe multos ſimul, quos bonos eſſe viros putabam, et quorum animos ex meo ipſius animo aeſtimabam; ſed non ſemper impune. Incidi namque interdum in fucos, inelegans pecus, qui dulce apum mel turpiter depaſcerentur, hoc eſt, libros Imperatoris communi bonorum vſui deſtinatos, furto ablatos ſibi retinerent. Idem mihi in libris aliis vtendis datis accidit. Quidam acceptos, poſteaquam iis vſi eſſent, fideliter reſtituerunt, alii, et in his - - - non nulli poſt longum tempus repetitos reſtituere recuſantes, ſimularunt, eos caſu eſſe amiſſos. Mortuis hisce - - - liberi eorum ſe nihil de his ſcire affirmarunt. Haec et huiusmodi alia ad hunc noſtrum Imperatorem emanarunt, qui frenum mihi iniiciendum putauit, ac Streinium,*

qui

qui arbitrio ſuo haec moderaretur, mihi ſuperimpoſuit. Streinio a. 1600. exſtincto, egregiam, quam reliquerat, Bibliothecam Caeſarea acquiſiuit: quo peruenit etiam libraria ſupellex ipſius Blotii, a. 1608. rebus humanis erepti. Tum Bibliothecarii munus, cui acceſſit mox in Senatu Vindobonenſi Praeſidium, obtinuit Sebaſt. Tengnagelius, itidem Belga, vir ſolide doctus et variarum linguarum peritiſſimus, iam poſt Streinium adiunctus Blotio, quum per aetatem partibus ſuis ſatisfacere ſolus non poſſet. Ille, hoc ſuperſtite adhuc, nouos librorum indices, ſecundum Auctorum nomina, ordine alphabetico, confecit, deinde Codices manu ſcriptos ſeparauit ab impreſſis, quibus vsque ad illud tempus permixti fuerant, totam denique Bibliothecam tam multiplici, ſelecto ac pretioſo additamento auxit, vt cum anteceſſoribus ſuis facile queat de palma contendere. Maxima vero ornamenta congeſta ſunt in eandem Bibliotheca eius priuata, quam ea conditione, vt Conuentui cuidam virginum ſanctimonialium Carmelitanarum mille ac quingenti Floreni pro hac ſoluerentur, a. 1633. Caeſareae teſtamento conſecrauit. Supellex illa plus quam quater mille referta Voluminibus erat, inter quae rariſſimi Codices manu ſcripti, Latini, Graeci, Ebraici, Arabici, Turcici, Perſici, Syriaci, Armenici et Aethiopici, ſelectiſſimae item Auctorum claſſicorum editiones, amplaque Epiſtolarum, ipſa virorum doctiſſimorum manu ſaeculo XVII. exaratarum, collectio iucundiſſimum oculis ſpectaculum praebent. Obiit Tengnagelius a. 1636. quo grauiſſimum detrimentum cepit Bibliotheca Caeſarea. Emta enim ipſius aetate, atque huic iam inſerta fuerat praeſtantiſſima Rudolphi Coraducii, S. R. Im-

perii ſub Rudolpho II. Procancellarii, Bibliotheca, quae octo circiter librorum millia complectebatur. Illa vero ſtatim poſt Tengnagelii mortem ab Imperatore Ferdinando II. donata eſt Domui Profeſſae Patrum Soc. Ieſu Vindobonenſi: quam alienationem vir augendae Bibliothecae Caeſareae ſtudioſiſſimus omnibus modis impediuerat. Vacuum Tengnagelii locum occupauit eodem anno Guil. Rechbergerus, Caeſareae Maieſtatis Conſiliarius et Archiater, cui tamen a. 1651. propter ingraueſcentem aetatem iſthoc munere vltro abeunti ſucceſſit Matthaeus Mauchterus, Doctor Theologiae, et Cathedralis Baſilicae Vindobonenſis Canonicus. Vir ille eruditionis copia eximius Bibliothecam Fuggerianam, a Raymundo Fuggero, Caroli V. et Ferdinandi I. Conſiliario, fundatam, et a filio eius, Iohanne Iacobo, ac nepote, Philippo Eduardo, magnificentia ſumtuque prorſus regio exornatam, iuſſu Ferdinandi III. ab illuſtriſſimo Comite, Alberto Fuggero, Raymundi pronepote, a. 1655. quindecim Florenorum millibus, modico ſatis pretio, comparauit. Certo enim conſtat, eam ante grauiſſimum ſuperioris ſaeculi bellum octaginta millibus, ac poſtea quadraginta Florenorum millibus potuiſſe diuendi. Atque haec maximi momenti collectio Bibliothecam Caeſaream quindecim minimum Voluminum millibus reddidit locupletiorem, in quibus non omnis tantum generis libros impreſſos, et in primis naſcentis typographiae cimelia longe rariſſima fuiſſe, ſed plurimos etiam manu ſcriptos, magno aere ex Oriente congeſtos redemtosque, celeberrimus BRVCKERVS adſerit in *Comment. de illuſtriſſimae Gentis Fuggerianae meritis in litteras p. 403. Miſcellaneorum philoſ. litt. et criticorum.* Eodem ſaeculo, (quo anno, nec

Lambe-

Lambecius, nec alii, notarunt,) Bibliotheca Caesarea particeps facta praeclarae supellectilis, a Tychone Brahe, nobilissimo apud Danos Mathematico, relictae, cuius, vt et Guil. Schickardi, Mich. Moestlini, Ioh. Keppleri, Petri Gassendi, pluriumque clarissimorum Mathematicorum variae obseruationes, Epistolae atque alia monumenta adhuc inedita, et autographa maximam partem, ibidem adseruantur. Quum Mauchterus anno 1663. Bibliothecarii prouincia sponte se abdicasset, eius in locum surrogatus est Petrus Lambecius, Hamburgensis, antea in Gymnasio patrio Rector et Historiarum Professor, qui ob infaustum matrimonium cum vetula quadam diuite, sed morosa atque auara, initum, excitatamque atheismi suspicionem, suasu Christinae, Suecorum Reginae, spartam suam et vxorem, duabus vix hebdomatibus post nuptias praeterlapsis, reliquerat. Cf. MOLLERI *Isag. ad Hist. Chersonesi Cimbricae P. IV. p. 538.* Is operam statim dedit, vt Bibliothecae conclauia male materiata et ruinosa reficerentur, deinde eam ipsam a squalore ac sordibus diligenter repurgatam excussit paullo adcuratius, praecipuamque Graecorum rationem habuit MStorum, quorum pleraque pulueruIenta, confusa, foetida, ac diuturno situ propemodum putrefacta, in conclaui tenebricosissimo latitabant. Codices denique calamo exaratos omnes separauit ab impressis, hos in meliorem, pro iudicio suo, redegit ordinem, de quo vid. *Commentar. de Biblioth. Caesarea lib. III. p. 294. sq.* multaque incompactorum Voluminum millia, quae confuse iacuerant in terra, et calcata pedibus fuerant, colliganda in fasciculos curauit. His et aliis feliciter confectis, non solum a. 1665. amplius bis mille Voluminum et manu scripto-

ſcriptorum, et excuſorum, ex Bibliotheca Ambraſiana Tyrolenſi in Caeſaream delata ſunt, vt ſupra *hoc Capite §. I.* diximus, ſed Leopoldus etiam, Imperator, cuius gratia florebat Lambecius, *) Bibliothecam eius, ter mille plus minus Voluminibus, magna diligentia delectuque, nec minori rei familiaris detrimento, per integros viginti annos in Germania, Gallia atque Italia collectis, et eleganter compactis, nec non plus quam ducentis vtilibus et variis Codicibus manu ſcriptis, Graecis, Latinis, Germanicis, partim membranaceis, partim chartaceis, conſtantem, 1667. clementiſſime bis mille ac trecentis Imperialibus emit. Ea igitur Bibliotheca, Hamburgo, vbi detenta fuerat, Vindobonam auecta, mox pars facta eſt Caeſareae, ipſo haec memorante LAMBECIO in adducto *lib. III. de Bibl. Caeſar. p. 288. ſq.* Quinquennio poſt, eiusdem ornandae cauſſa, viginti et vnus Codices Graeci, apud Venetos venales, qui olim ad Sebaſt. Ericium pertinuerant, nongentis et quinquaginta Florenis comparati ſunt. Vid. *Liber V. Comment. de Bibl. Caeſar. p. 414.* E vita diſceſſit vir ille celeberrimus a. 1680. quem ſequutus eſt, peracto vix ſpatio menſtruo, Daniel Neſſelius, Vlzenſis Luneburgicus, qui antea, mutatis ſacris Lambecii exemplo, Caeſareae ad diuerſos Europae Principes legationi ab epiſtolis fuerat. Alia ei Bibliothecae ordinatio debetur. Imperatoris enim auctoritate libros a praedeceſſore ſuo ſecundum rerum argumenta ſine diſcrimine ita collocatos, vt minimi eſſent inter maximos,

*) Complures litteras Latinas Leopoldum ſcripſiſſe ad Lambecium, teſtatur, et aliquas adfert integras, EVCH. GOTTLIEB RINCKIVS, ICtus quondam Altorfinus, in *Vita Leopoldi M.* Germanice compoſita, *p. 85. ſq. edit. optimae Lipſ. a. 1713.* adornatae *in 8.* Add. *p. 96. ſq. ibid.*

ximos, molestia incredibili ad formam eorundem dispoſuit. Ab eodem profectum eſt etiam Commentariorum Lambecianorum Breuiarium atque Supplementum, de quo diſſeremus infra. In medio autem aliorum laborum curſu ineunte hoc ſaeculo, vel, vt non nulli, ſub finem ſuperioris, naturae debitum reddidit non mediocris eruditionis laude cumulatus. Minus tamen liberalem, aut ad munus Bibliothecarii inſtructum, Ger. a Maſtricht eum dicit apud BRVCKERVM in *Miſcell. philoſ. et litt. p. 271.* Ampliſſima tum Neſſelii prouincia Leopoldus a. 1704. prae multis aliis Candidatis digniſſimum iudicauit Ioh. Benedictum Gentilottum ab Engelsbrunn, Equitem Tridentinum, Archiepiſcopi Salisburgenſis Conſiliarium intimum et Cancellariae Directorem, qui a. 1705. a Ioſepho Imperatore diploma ſolemne conſequutus eſt. Vir ille multarum linguarum, Ebraicae etiam et Graecae, probe gnarus, Indicem parauit Codicum manu ſcriptorum Latinorum, Italicorum, Gallicorum, Germanicorum caet. in Bibliotheca Caeſarea exſtantium, quod Opus vero decem maioris formae Tomorum adhuc lucem non adſpexit. Cf. *Lexicon Eruditorum Menckenio-Ioecherianum*, T. II. p. 924. Aucti ſimul theſauri Caeſarei, eodem Bibliothecae Inſpectore, centum et quod excedit MStis, de quibus IOH. GVIL. BERGERVS in *Panegyrico, Carolo VI. conſecrato, p. 280. Orationum lectiorum* haec memorat: *Proxime quidem* (anno 1717.) *membranas lectiſſimas, plus centum, argumenti rarioris, notae veteris, Garelliano, optimo certe, inueſtigatas miniſterio, Neapolis vna ſubmiſit.* Add. *die Leipz. gel. Zeit. a. 1721. p. 43.* Sed longe ſpecioſius eſt incrementum, quod attulit a. 1720. Ge. Guil. L. B. ab Hohendorf, Chiliarchae Caeſarei

ſarei, Bibliotheca, centum Florenorum millibus coemta. Vid. SCHELHORNIVS *Amoen. litter. Tomo VIII. p. 414.* et adductum iam *Lexicon Eruditorum T. II. p. 1669.* vbi poſſeſſoris vita exponitur. Miris eam Bibliothecam, cuius *Catalogus*, parum obuius, *Hag. Comit. a. 1720. Partib. III. in 8.* prodiit, exornat laudibus ALB. HENR. de SALLENGRE in *Memoires de Litter. T. I. P. 2. p. 28.* quo loco inter alia ſcribit Auctor: *Cette Bibliotheque contient encore tout ce, qu'il y a des bons livres, de piéçes rares et de morceaux intéreſſans en fait d'Hiſtoire, de Critique, de Poeſie, et d'Eloquence, tous les premiers livres imprimez depuis l'invention de l'Imprimerie, la Bible de Mayance de 1462. les Offices de Ciceron de 1465. etc. les Editions non tronquées, les Ouvrages ſupprimez, défendus, et dont la plûpart des Exemplaires ont été brûlez.* Poſtquam Gentilottus ad Auditoris Rotae Romanae dignitatem a. 1723. erat euectus, ſuprema Bibliothecae cura demandata eſt Pio Nicolao di Garelli, Bononienſi, Archiatro Caeſareo, ſub quo Antonii Folck de Cordua, Archiepiſcopi Valentienſis, et in ſanctiori Imperatoris Senatu Conſiliarii, a. 1724. exſtincti, Bibliotheca acceſſit, ea conditione legata Carolo VI. vt, quae placerent, Opera exinde deligerentur, reliqua ad Franciſcanorum quoddam Monaſterium apud Hiſpanos peruenirent. Vid. *Europ. Fama*, *P. CCLXXVI. p. 1023.* et KÜCHELBECKERI *Nachr. vom Roemiſch-Kayſerl. Hofe p. 711. edit. ſecundae*, qui tamen Auctor cum Struuio paſſim errauit. Add. GODEFRIDI, Abbatis, *Epiſt. dedicatoria*, *Tomo I. Chronici Gotwicenſis* praemiſſa, vbi haec ad Carolum VI. digna ſunt notatu verba: *Auitam porro Bibliothecam non tantum nouis ſelectiſſimisque libris, tam manu ſcriptis, quam impreſſis carptim, ſed integris etiam Bibliothecis aliis,*

aliis, quas a Voluminibus optimae notae instructissimas comperisti, liberali impensa coemtis in tantum adaugeri voluisti, vt supra centum millia Voluminum et Codicum Palatinorum in ea nunc numerentur. Hohendorfiana nimirum libris cum ad disciplinam ciuilem et philosophicam, tum ad historiam et polymathiam, artesque reliquas spectantibus praediues, ex Belgio aduecta, magna fuit accessio: sed eam mox maiorem fecit Valentiana, (quam Archi-Praesul, cui a Valentia nomen fuit, collegerat,) ad diuina praesertim, et quae ad rem sacram pertinent, studia excolenda, omnibus numeris absoluta. Anno quoque 1736. iuncta Caesareae fuit celsissimi Sabaudiae Principis, Eugenii, quam Heros ille incomparabilis sumtibus infinitis congesserat, *) Bibliotheca, laudata a KEYSSLERO in *seinen Neuesten Reisen T. II. p. m. 936.* et aliis multis. Cf. *Neue Europ. Fama P. XXXVII. p. 17.* In ea, praeter rarissima quantiuis pretii monumenta, seruatur inaestimabile autographum *Tabulae*, vt vulgo dicitur, *Peutingerianae*, quae circa saeculi IV. finem, Theodosio M. imperante, ab auctore incerto in membrana perlonga concinnata est, et itinera exercitus Romani, illa tempestate per magnam Occidentalis Imperii plagam facta, delineatione parum adcurata ob oculos ponit. Docte hoc argumentum illustrauit IOH. GE. LOTTERVS in *Diss. de Tabula Peutingeriana, Lips. a. 1732.* ad quam Lectores remittimus. Add. *Histoire de l'Academie Roiale des Inscript. et belles Lettres Tom. XIV.*

*) Emisse eum aliquando, quum Norimbergam transiret, a Godofredo Thomasio sexaginta millia tabularum aere excusarum, illustrium virorum imagines exhibentium, docet IOH. ARNOLD. BALLENSTEDT in *Schediasmate von der Nothwendigkeit vnd dem Nutzen einer Schul-Bibliothec, Helmst. 1751. in 4. p. 18.*

Tom. XIV. Propediem eam ipſam Tabulam, aeri quam diligentiſſime inciſam, illuſtris a Scheyb cura eſſe prodituram, ſignificatur in *den Leipz. gel. Zeit. a. 1751. p. 140.* Poſt Garellii mortem, qui in annum 1739. incidit, Godofr. Phil. a Spannagel Bibliothecarius primarius conſtitutus eſt, eiusque aetate Diui Caroli VI. libraria ſupellex, quam in ſeparato habuit conclaui, acceſſit Caeſareae. Mentionem illius iniecit BERGERVS *l. c. p. 277.* et his quidem verbis: *Itaque Muſas, ſed minime vulgares, ſed regales et Orbis Gubernatori decoras, maxime priſcas, vna cum Iulio Caeſare ac Liuio, familiaribus Tuis*, (adloquitur ſemper Imperatorem ipſum) *in domeſticae et interioris vitae contubernium aſciſcis. Quibus ipſe quantum tribuas, manifeſto declaras, cum Bibliothecam ſacri cubiculi, arbitratu Tuo lectam, in Palatio dedicas, eamque monimentis exquiſitae doctrinae apparatam, auges perpetuo ornatioremque reddis.* Anno 1749. Spannagelius etiam humana reliquit, cuius nunc locum ornat perilluſtris vir, Gerh. van Swieten. Proximus vero ab illo Cuſtos Bibliothecae primus eſt, Nicol. Forloſia. Ex his, quae hactenus memorata ſunt, coniici facile poteſt, quantis auguſtisſimum illud Muſarum templum doctrinae monumentis abundet. Iam enim Lambecii temporibus, et anno quidem 1670. Operum manu ſcriptorum ſupra decem millia, voluminum e contrario typis impreſſorum, ac ſeparatim compactorum, plus nonaginta millia adfuerunt. Vid. *Comment.* eius *de Bibl. Caeſ. lib. III. pag. 293.* Tot igitur libros quum non caperet deſtinatum iis domicilium, Caroli VI. Imperatoris auſpiciis a. 1723. nouae, eaeque ſplendidiſſimae, aedes inchoatae, et anno demum 1735. abſolutae fuerunt, qua de re euoluantur *Leipz. gelehrte Zeitung.*

tung. a.1735. pag.913. et *1737. p.680.* itemque *Acta Erud. Lat. a.1738. pag.300. sq.* Add. KÜCHELBECKERVS *l. c. p. m. 713.* Codices MStos laudat IAC. TOLLIVS *Epist. itiner. IV. p. 99.* *In ea*, inquit, *Bibliotheca tam praestantes inueni, tamque multos Graecos Latinosque, exaratos manu, Codices, vt iratum mihi Caesarem pati possim, si tali carcere in trimestre ira illa expiari queat.* Eos recensere omnes occeperat LAMBECIVS in *Commentariis*, iam aliquoties adductis, *de augustissima Bibliotheca Caesarea Vindobonensi*, qui eius ex adumbratione in *lib. V. p. 299.* quinque ac viginti prodire Tomis, et libros etiam, typographorum studio diuulgatos, complecti debebant; sed bonus vir, impar oneri, Aetna grauiori, non nisi octo Tomos, et in his ne decimam quidem MStorum partem exhibuit. Primus horum Commentariorum Liber Auctoris sumtu excusus est *Vindobonae a. 1665. in folio*; alter *ibid a. 1669;* tertius *a. 1670;* quartus *a. 1671;* quintus a. 1672. sextus 1674. septimus a. 1675 et octauus a. 1679. Libri noni fragmentum aliquod, vnam tantum plagulam explens, in SCHELHORNII *Amoen. litter.* exstat, *Tomo V. pag. 97. sq.* Opus illud, quam plurimis tabulis aeneis ornatum, nostra aetate rarissimum est, vixque minoris vendi, quam octoginta Imperialibus, ii sciunt, qui solent ad librorum pretia attendere, illustri MENCKENIO iudice in *Miscellaneis Lips. nouis*, *Vol. I. pag. 346.* Quandam huius raritatis caussam ex beati Antecessoris mei, Ioh. Frid. Pfeffingeri, ore memorat ZACH. CONR. ab VFFENBACH in *seinen merckwürdig. Reisen, Parte I.* quae ante aliquot menses *Frf. et Lips. in 8. mai.* luci exposita, *p. 524.* ipse tamen dubitat de rei veritate. Difficilis maxime inuentu est liber octauus, quoniam in obsi-

obſidione Vindobonenſi, a. 1683. a Turcis tentata, plurima exemplaria periiſſe incendio dicuntur, vti legimus in GVNDLINGII *Sermonibus Academicis in Heumanni Hiſtor. litter. Tomo I. p. 576.* At certior aliorum eſt relatio, omnium ſcilicet horum Librorum reliquias chartae emporeticae tabernariis minimo addixiſſe heredem Lambecii, tardae venditionis impatientem, quo facto in dicta obſidione a Caeſareis rei tormentariae adminiſtris adhibitae fuerint. Cf. *Catalogus Bibliothecae Maſtrichtianae pag. 539.* et *Lexicon Eruditorum Ioecherianum, Tomo II. p. 2216.* Quum igitur Liber poſtremus in paucorum adhuc manibus verſaretur, cauſſa in promtu eſt, cur is raritate caeteris antecellat. Exquiſitiſſimam pulchrum hocce Corpus Lambecianum doctrinam redolet, habet vero et naeuos complures, qui ſtatim in oculos incurrunt. Primum enim extra cancellos Auctor ſaepenumero egreditur, et varia intermiſcet, e.g. ex hiſtoria Auſtriaca, quae vel alio proferenda loco erant, vel contrahi ſaltim poterant, et in anguſtum adduci. Deinde ſemel dicta repetit interdum non ſine nauſea legentium. Tum perpetuis additamentis et retractationibus, ingenuum quidem ſcribentis animum indicantibus, at iis, qui eius Opere vtuntur, permoleſtis, id effecit omnino, vt niſi quis caute adcurateque agat, haeſitare facile, et in confuſionis delabi periculum poſſit. Poſtremo multas tabulas, aeri inciſas, adiunxit, quae ſuperuacua, momentique nullius, eſſe videntur, vt procul dubio non paucis impedimento fuerunt, quo minus opportuno tempore illud ſibi Opus compararent. Recte hoc iam olim vidit BAILLETVS *Jugemens des Sav. T. II. P. 1. p. 220.* vbi ſic diſſerit: *L'Auteur auroit pû renfermer ſubſtance*

ſtance de tous ces grands diſcours de tant de volumes dans un eſpace beaucoup plut étroit, ſ'il eût voulu avoir plus d'egard aux finances et au loiſir des particuliers, qu'à la magnificence et à la Majeſté de ſon Prince. Cf. MORHOFIVS in *Polyhiſt. Tomo I. lib. 1. cap. 16. p. m. 186.* In pauca conferre, et continuare etiam, Commentarios Lambecianos inceperat Daniel Neſſelius; ſed *Partes* tantum *ſeptem* perſecit, quae duo mediocris molis Volumina in folio implent. Prodierunt *Vindobonae et Norimb. a. 1690.* et hoc quidem titulo: *D. Danielis de Neſſel Breuiarium et Supplementum Commentariorum Lambecianorum, ſiue Catalogus aut recenſio ſpecialis Codicum MStorum Graecorum, nec non linguarum Orientalium Auguſtiſſimae Bibliothecae Caeſareae Vindobonenſis, cum figuris aeneis plurimis.* Vid. *Acta Erud. Lat. a. 1692. pag. 494.* itemque TENTZELII *Monathliche Vnterred. a. 1690. pag. 938. ſq.* Statim de hoc Opere, nec inique, iudicarunt quidam, quantiuis eſſe pretii, quae transſcripta ex ipſo Lambecio fuerint, ſed, quod ad libros orientales, a typographo erratis deformata: reliqua, quae a Neſſelio profecta ſunt, Lambecianis multum cedere. Sufficere nimirum credidit indicaſſe, Codicem eſſe vel membranaceum, vel chartaceum, antiquum, vel recentiorem. Cf. *Miſcell. Lipſ. noua, Vol. I. p. 347.* et praecipue REIMMANNVS in *Biblothecae* ſuae *acroamaticae Praef. §. LIII. p. 91. ſq.* Vtrumque et Lambecii, et Neſſelii, laborem vtiliſſimo coarctauit conſilio vir ille doctus, hacque ratione iis rem fecit gratiſſimam, qui aut nolunt, aut non poſſunt magnam pecuniae ſummam in volumina tam vaſta atque pretioſa impendere. Iam de noua eorundem editione, a Weidmanno, bibliopola Lipſienſi, fruſtra exſpectata, vna

cum continuatione ad noſtram vsque aetatem, Vindobonenſes eſſe ſollicitos, audiuimus nuper a teſtibus fide dignis, qui conatus laudabiles vt proſpere procedant, et ex eruditorum ſententia, Deum precamur. Addamus nunc MSta quaedam, quibus Caeſarea Bibliotheca prae caeteris ſuperbit. Hanc in claſſem referimus *Dioſcoridis*, Medici, Codicem Graecum membranaceum in f. formae prope quadratae, Iulianae Aniciae, filiae Imperatoris Occidentalis, Flauii Anicii Olybrii, auſpicio et munificentia, ineunte ſaeculo ſexto maiuſculis litteris, ſine accentu vllo et diſtinctionibus, diligentiſſime exaratum, figurisque plantarum ad viuum depictis, et aliis variis imaginibus, ipſius etiam Iulianae, elegantiſſime exornatum, qui ſaeculo XVI. impulſu Busbeckii a Iudaeo quodam Conſtantinopolitano centum aureis eſt redemtus, et a LAMBECIO *lib. II. cap. 7. p. 519. ſq.* fuſe deſcribitur; Codicem membranaceum purpureum, aureis et argenteis litteris maiuſculis ante mille circiter et quadringentos annos Graece ſcriptum, octoque et quadraginta picturis, aeque vetuſtis, ſplendidum, qui *Fragmenta primi Hiſtoriae Moſaicae libri* continet, teſte EODEM *lib. III. p. 2. ſq*; Libros quinque membranaceos *Hiſtoriae Liuianae*, qui hodie ſunt vltimi, maiuſculis litteris ſine vlla vocum et ſententiarum diſtinctione, ante mille et aliquot centum annos exaratos, omniumque, quotquot in toto terrarum orbe exſtant, Liuianorum librorum antiquiſſimos, IDEM *lib. II. p. 522.* et *p. 943. ſq*; *Otfridi*, Monachi Weiſſenburgenſis, *Volumen Euangeliorum*, antiquis rhythmis Theotiſcis, ipſo Auctoris aeuo, adeoque ſaeculo IX. ſcriptum, et in quinque libros diuiſum, quod ex Bibliotheca Caeſarea

editum

editum nunc eſt in SCHILTERI *Theſauro Antiquit. Teutonic. Tomo I.* Cf. hoc loco LAMBECIVS *l. c. p. 415. ſq; Biblia ſacra Veteris Teſtamenti*, tribus voluminibus in f. maiori, iuſſu ac ſumtibus Wenceſlai, Imperatoris, Germanice reddita, et tanta quidem figurarum inauratarum, ipſi contextui inſertarum, multitudine, tamque eleganti, magnifico ac pretioſo ornatu marginali diſtincta, vt ſine ſingulari admiratione ſpectari nequeant, IDEM *lib. II. p. 749. ſq*; *Diarium Friderici V. Imperatoris*, ab eo ipſo membranis inſcriptum, in quod diurna vitae ſuae acta, aliasque obſeruationes miſcellas, retulit, quodque recenſuit LAMBECIVS in *Diario ſacri itineris Cellenſis*, *Segmento VIII. p. 15. ſq*; *Nicephori Calliſti Hiſtoriam eccleſiaſticam*, exemplar Graecum membranaceum, in orbe Chriſtiano forte vnicum, elegantiſſimo charactere concinnatum, ex Budenſi olim Bibliotheca ſurreptum, tandemque, poſt varios caſus, Caeſareae illatum, de quo plura notatu digna occurrunt apud EVNDEM *Commentarior. lib. I. p. 108.* et *p. 152. ſq*; *Claudii Ptolemaei libros octo Geographiae*, cum antiquis tabulis Graecis, diuerſitate colorum adeo inſigniter ac mirifice illuminatis, vt ſplendidius et pretioſius exemplar in nulla forte Europae Bibliotheca exſtet, et ex magnificentia ſcripturae atque compacturae Codicis huius antiqui, aliisque cauſſis, coniicere liceat, eum ad magnum aliquem, et Graecae eruditionis amantiſſimum, Principem olim pertinuiſſe, iudice NESSELIO in *Catalogo ſuo*, *P. V. p 3*; *Iac. de Strada*, Mantuani, duo maximi pretii Volumina in f. quae Ferdinando I. oblata ab Auctore fuerunt, et mera *numiſmata Conſularia veterum Romanorum* comprehendunt, incredibili ſtudio et elegantia ex Archetypis depicta;

Eiusdem celeberrimi Antiquarii octo alios huius generis Tomos, quorum tres priores *numiſmata Imperatorum Romanorum Latina a Iulio Caeſare vsque ad M. Aurelium Claudium*, ſaeculi tertii Imperatorem, tres ſequentes *horum Imperatorum numiſmata Graeca*, duo vero vltimi Tomi *reliquorum Imperatorum*, *aliaque antiqua numiſmata miſcellanea, partim Graeca, partim Latina, partim barbara* etiam, ante oculos ponunt,*) et, vt LAMBECIVS *Lib. I. p. 77.* monet, hiſtoriam veterum numiſmaticam mirifice illuſtrant; *Ioh. Quintini Comitis Ioerger de Tollet et Zagging*, Caeſarei Conſiliarii intimi, et primarii Delegati ad pacem cum Turcis pangendam, *Commentarios hiſtoricos de rebus ſui temporis memorabilibus*, octo quidem voluminibus in 8. excuſos ſuperiori ſaeculo, at MStis omnino adiungendos, quoniam vnicum modo eorum exemplar in Bibliotheca ſupereſſe dicitur, reliquis omnibus ab ipſo Comite, Leopoldi iuſſu, qui tot arcana, in iis prodita, per orbem diuulgari noluit, ſuppreſſis atque deletis. RINCKII *Vita Leopoldi, p. m. 1059.* SCHELHORNIVS *Amoenit. litter. T. II. pag. 341.* Plura non accumulabimus, inſtituti noſtri memores. Totus enim liber nobis eſſet ſcribendus, ſi cuncta ſplendidiſſimae huius Bibliothecae cimelia memorare placeret. Patet ea quotidie ab octaua hora vsque ad duodecimam. De *Gaza Caeſarea*, et *rerum* tam *naturalium*, quam *arte factarum*, *Muſeo*, quo nullum praeſtantius reperietur alibi, copioſe agit KÜCHELBECKERVS *l. c. P. II. cap. 13. p. m. 865. ſq.* Add. GOTTSCHEDII *Singularia Vindobonenſia pag. 34.* et antea

*) Cf. quae de hoc Auctore, eiusque Operibus numiſmaticis, ſupra dicta ſunt, *§. IX. huius Capitis*, in articulo de Bibliotheca *Gothana*.

antea *p. 31.* vbi ſequentia leguntur: *Decem hic Kircheris atque Golziis, Monteſalconiis decem, Spanhemiis Begerisque totidem opus eſſet, vt omnes hos doctae Aegypti, Graeciae atque Romae theſauros, vel aeſtimare, vel ſtudio indefeſſo explicare valerent,* caet. Nec ſilentio praetermitti debet *Numophylacium*, antiquiſſimis aeque ac recentioribus numiſmatibus inſigniter refertum, in quo iam Lambecii temporibus, ſine iis, quae aureis, argenteis, aliisque pretioſiſſimis vaſis ornamenti loco adfixa ſunt, in vniuerſum quindecies mille, nongenta et quadraginta numiſmata vetuſta, aurea, argentea, aerea, adſeruata fuerunt. Creuit illud non parum ea collectione, quam Leopoldus Guilielmus, Archidux Auſtriae, Leopoldi, Imperatoris, Patruus, maximus profecto peritiſſimusque Antiquitatis eruditae aeſtimator, a. 1662. reliquerat. Vid. LAMBECIVS *Commentar. lib. I. Segm. 66. p. 75. ſq.* Circa annum 1728. acceſſit etiam Rochefortii, in Coenobio Carthuſianorum Romano Procuratoris generalis, locupletiſſima nummorum ſupellex, magno a Carolo VI. aere redemta, qua de re nos certiores reddiderunt *die Leipz. gelehrte Zeit. a. 1729. p. 914.* Iam in explicandis hisce diuitiis occupatus eſt Eraſmus Froelich, cuius exquiſitam doctrinam ſatis norunt rei numiſmaticae amatores. Sequitur

II.) Bibliotheca *Windhagiana* priuatis collecta curis, ſed inde ab anno 1678. publicis vſibus conſecrata. Auctor illius Ioh. Ioach. S. R. I. Comes a Windhag, qui humili natus loco, et patronorum liberalitate ad litterarum ſtudia incitatus, tales in iis progreſſus fecerat, vt Iurium Doctor renunciaretur primum, poſtea cauſſas tractaret, ac denique ad Conſiliarii, in Caeſarea redituum Curia, dignitatem perueniret. Opibus igitur

adfluens, ſuis non ſolum bene proſpexit, ſed Bibliothecam quoque ſuam eo potiſſimum publicauit conſilio, vt, qui ab inopia vexarentur, Muſarum cultores mentem hic epulis optimorum ſaturare ſcriptorum poſſent. Numerus librorum olim non adeo magnus erat, parsque eorundem praecipua ſpectabat ad iurisprudentiam et ſtudia humanitatis. Poſtquam vero a. 1721. Ioh. Mart. Gſchwindt, Liber Baro a Pockſtein, copiis Caeſareis praefectus, pulchram ſuam et multorum nummorum ſupellectilem huic legauit Bibliothecae, ea nunc tantopere adoleuit, vt, poſt Caeſaream, reliquis Vindobonenſibus praeſtare multum dicatur. Patet quatuor per dies, ſingulis hebdomadis, in ſeparatis aedibus, Dominicanorum adpoſitis Monaſterio, quorum curae a priſtinis librorum poſſeſſoribus commendata eſt. Summa tamen adminiſtratio illius eſt penes illuſtre Collegium Mareſchallatus, in Auſtria inferiori, a quo etiam duo conſtituuntur Bibliothecarii, vnus Windhagianae, alter Gſchwindtianae Bibliothecae cauſſa. Duos alios, ſimili ratione, adiungere ſolent Dominicani. *Catalagus Bibliothecae Windhagianae* editus eſt *Vindobonae a. 1733. in 4.* ſed quia nunquam in tabernis librariis adparuit, rarius inuenitur. Notatu digna eſt Bulla Innocentii XI. Pontificis, eidem Catalogo praefixa, qua ſub dira exſecrationis poena prohibitum, nec quis librum, imo ſchedam, ex Bibliotheca ad vſum exportet, et commodo ad aliquod tempus det, vel accipiat. Vid. *Catalogus Biblioth. Bunauianae, Tomo I. Vol. 1. p. 489.* Agunt de hac Bibliotheca IOH. CHRISTOPH. WAGENSEILIVS in *Epiſt. de Hydraſpide ſua, ſiue aduerſus extrema pericula aquarum munimento ac praeſidio, Altorfii a. 1690. in 4.* et KÜCHELBECKERVS in

in *der Nachr. vom Römisch-Kayserl. Hofe, P. II. cap. 8. p. 715. sq.* vbi et *Numophylacii* mentionem iniicit, cuius Index duo Volumina manu scripta in f. explet. Progredimur

III.) Ad *Magistratus Vindobonensis* Bibliothecam, quae in ipsa Vrbis Curia tribus continetur conclauibus. De hac vero nihil habemus cognitum, praeter ea, quae nuper celeberrimus GOTTSCHEDIVS in *Orat. citata, p. 30.* indicauit. *Subest eadem,* ait, *curae doctissimi viri, Lambacheri, qui Senatui ab Epistolis est, quiue multum in ea ornanda operae posuit et ingenii. Conclaue anterius eleganter dispositos exhibet Codices, cum manu scriptos omnium fere linguarum antiquissimos, tum quotquot ex primo artis typographicae saeculo impressos, asseruat eadem Bibliotheca, magnam partem rarissimos. Vidi hic, praeter alia multa, notatu digna, primam quoque Lutheri nostri Operum collectionem, et Augustanae Confessionis typis exscriptae exemplar, ad normam illius MSti impressum, quod Imperatori Carolo V. in ipsis Comitiis Augustanis traditum est; et in quo lectiones variantes leuiusculas, a nostris huius saeculi exemplaribus tantillum abeuntes, obseruasse sibi visus est clarissimus Bibliothecae praefectus. Sed plura non addo, eo, quod mox Catalogum huius Conclauis editurum se promisit doctissimus Lambacherus, cuius plagulas multas prelo iam expressas mihi monstrauit.* Factum id paullo post a. 1750. quo prodiit *Vindob. in 4. Bibliotheca antiqua Vindobonensis Ciuica, seu Catalogus librorum antiquorum, cum MStorum, tum ab inuenta Typographia ad annum vsque 1560. typis excusorum, cum annotationibus historico-litterario-criticis.* Pars haec prima est, quae libros complectitur theologicos: reliquas Partes adhuc exspectamus. Vid. de hocce Catalogo Diarium Lipsiense, *das neueste aus der*

anmuthigen Gelehrſamkeit inſcriptum, *a. 1751. m. Aprilis p. 235. ſq.* Notanda etiam eſt

IV.) Bibliotheca *Academica*, quae priuatas habet Bibliothecas Conradi Celtis, ex parte, Georgii item Peurbachii, et Ioh. Regiomontani. Quumque ſupra dictum ſit, Ferdinandum II. donaſſe a. 1636. Patribus Societatis Ieſu praeſtantiſſimam Rudolphi Coraducii Bibliothecam, eandem Academicae acceſſiſſe ſuſpicamur, hisce Loiolae ſectatoribus tunc temporis molliſſimum ſibi in Vniuerſitate Vindobonenſi nidum conſtruentibus. Nuper etiam, ſi vera retulerunt litterae publicae, auguſtiſſima Imperatrix, Maria Thereſia, ex Bibliotheca Caeſarea liberaliter addidit eos libros, quorum tria eiusdem editionis exemplaria ibidem reperta fuerunt. Cf. KÜCHELBECKERVS *l. c. p. m. 720. et* GOTTSCHEDIVS *l. c. p. 27.* vbi Bibliothecam Academicam inſtructiſſimam vocat, et ornatu externo elegantiſſimo commendabilem. Succedat

V.) Bibliotheca Canonicorum Regularium S. Auguſtini, in *Monaſterio S. Dorotheae*, quam inſtituit Sigiſmundus Kuglsberger, ſeptimus in ordine Praepoſitus, eiusque ſucceſſores ita auxerunt, vt hodie librorum multitudine admodum ſit conſpicua. KÜCHELBECKER. *l. c. p. 721.* Nouiſſima eſt

VI.) Bibliotheca *Academiae Equeſtris Thereſianae*, auſpiciis ſapientiſſimae Imperatricis conditae, quae poſſidet librariam ſupellectilem Garellii, magno coemtam pretio, donatamque ab Auguſta huic ipſi Collegio illuſtri. GOTTSCHEDIVS *l. c. p. 28.*

Hae publicae ſunt apud Vindobonenſes Bibliothecae. Inter priuatas iam excellunt *Lichtenſteiniana*, *Bartenſteiniana, Buoliana*, et *Senckenbergiana*, quas videre licuit ampliſſimo Gottſchedio. *Quid*, vt eius ſunt

verba

verba *l. c. p. 31*, *de librorum farragine memorabo Celsissimi Principis Lichtensteinii? qui non ignobile duxit, eandem mihi, vna cum exquisitissima picturarum copia, qua ingens, et regium fere, Palatium eius per omnia conclauia sua superbit, spectandam et comtemplandam exhibere? Quomodo illustrissimorum virorum, Bartensteinii, Buolii, Senckenbergii, praestantissimis librorum omnis generis collectionibus debitas laudes exsoluam; qui tamen omnes suis tantum vsibus, et Musis priuatis, easdem consecrarunt?*

§. XXII.

Vitembergensis Academiae Bibliotheca condita est post priorem, a. 1548. ad Musas Ienenses translatam, vt supra §. XIII. memorauimus, atque hoc saeculo plurima cepit incrementa. Accessit enim potior pars librariae supellectilis, a Godofr. Straussio, ICto, et a Ieremia Deutschmanno, Archidiacono ciuitatis, relictae, legati item iure Theodori Dassouii, Orientalium antea Linguarum in hac Vniuersitate Professoris, denique Cimbricorum sacrorum Praesulis generalis, Bibliotheca, quae partim Graecis, ex Balth. Stolbergii hereditate ad ipsum deuolutis, partim Ebraicis libris, egregiis profecto, magnisque conquisitis sumtibus, instructissima est. Vid. *Supplem. ad Acta Erud. Lat. Tomo IX. p. 232.* Praeclare etiam promeriti de ea fuerunt Ioh. Ge. Neumannus et Ioh. Christoph. Wichmanshausen, Professores olim ac Bibliothecarii, quippe qui eidem amplificandae omnem nauarunt operam, et extraneorum simul liberalitatem prouocarunt. Ad rariora, quae ibi conspiciuntur, praecipue spectant Codices manu scripti *Lycophronis cum scholiis Tzetzae, Hesiodi, Aeschyli et Cleomedis, Lactantii, variorum*que *Chronicorum; Biblia Latina in charta Sinensi, diuersae eruditorum Epistolae*, nec non aliquot *sacri Codicis editiones*, in quibus plura Lutheri nostri manu adposita sunt.

ſunt. Cf. TENTZELII *monathliche Vnterredung. a. 1692. p. 884.* ANDR. SENNERTVS, Linguarum quondam Orientalium Profeſſor, *Vitemb. a. 1678. in 4.* edidit *Bibliothecae Vitembergenſis publicae libros exſtantiores, claſſicosque fere, vſui Academico, eidemque priuato publicoque exhibitos,* quod Opuſculum quum Auctoris prodierit impenſa, rariſſime quidem occurrit, at multis tamen naeuis laborat, nec aliud quidquam continet, quam ſolos librorum titulos in dorſo eorum ſcriptos, haud addito loco annoue, quo ſunt typis impreſſi. Vid. VOGTII *Catalogus libr. rar. p. 620. edit. nouiſſ.* Ipſi etiam inſpeximus huncce Catalogum, recteque de eo iudicaſſe clariſſimum Vogtium, obſeruauimus. Id ſolum exinde notatu dignum eſt, Sennertum varios libros Orientalis litteraturae teſtamento addidiſſe, vti profitetur *p. 38.* Priuatarum apud Vitembergenſes Bibliothecarum princeps diu fuit *Bergeriana,* de qua haec a. 1716. memorantur a IOH. HENR. WERLHOFIO in *Annal. Acad. Iuliae, Semeſtri III. p. 187: Eſt et ibi elegans Bergeri philoſophi bibliotheca, qui ingentem ſibi copiam Codicum comparauit, virorum celeberrimorum animaduerſionibus manu ſcriptis ornatorum. Poſſidet etiam aduerſariorum Caſp. Barthii tomos hactenus ineditos, quos, modo adſit, qui impenſas ſubminiſtret, luci dabit publicae.* Ab eo vero tempore, vsque ad a. 1751, quo mortuus eſt doctiſſimus poſſeſſor, inſigniter auctus fuit hic adparatus, qui nunc commune fatum ſubiit Bibliothecarum priuatarum. Catalogus excuſus eſt *Lipſiae a. 1752. in 8.* et, praeter multas editiones Aldinas, *p. 324. ſq.* ſcripta Ioach. Camerarii, quotquot inueniri potuerunt, omnia indicat. Anni ſequentis initio *ibidem* diuulgatus *Complexus MStorum et librorum impreſſorum, cum collatorum, tum aliorum rariorum, quondam Ioh. Guil. de Berger, quos vel ſingulos, vel per auerſionem, vendendi conſilium ceperunt heredes relicti* caet. *in 8.* qua de re vid. *die Leipz. gel. Zeitung. a. 1753. p. 181.*

De

De *Vlmensis* Reipublicae Bibliotheca amplissimus vir, FRANC. DOMINIC. HAEBERLINVS, libellum nondum editum, quem iuuenis conscripsit olim, beneuole mecum communicauit, ex quo sequentia omnino sunt enarranda. Prima scilicet initia eius debentur Monasteriorum Bibliothecis, quae post Lutheri Reformationem vnum in locum congestae fuerant. Conrado Samio, Pastore Brackenheimensi, exstincto, magnificus Senatus a. 1533. centum Florenorum pretio ab heredibus coemit librariam eius supellectilem, ob magnam scriptorum minorum copiam, quae a Pontificiis, Caluinianis et Lutheranis diuulgata erant, iamque rarius occurrunt, praecipue aestimandam. Anno 1615. ex quodam Xenodochii conclaui optimae notae libri, a vilioribus probe distincti, in Bibliothecam publicam transmigrarunt. Accesserunt deinceps a. 1656. Balth. Gockelii, Senioris reuerendi Ministerii et Scholarchae; a. 1658. Christiani Neidthardti; et anno circiter 1726. Ioh. Franci, Medici celeberrimi, Bibliothecae, testamento legatae, et Franciana quidem ea conditione, vt libri vniuersi, quorum maior pars et pretiosior ad rem medicam spectat, in separatis collocarentur armariis, nouisque semper et vtilissimis Operibus augerentur, quo consilio trecentorum Florenorum sortem possessor liberaliter adiecit. Heluici etiam Dieterici supellex, mille, et quod excedit, voluminibus ex omni doctrinae genere selectissimis, conspicua, Bibliothecae publicae illata est, vt eadem itaque, si adnumerentur libri singulares, Senatus impensis comparati, minimum octo voluminum millia nunc habeat, inter quae varii Codices exstant, manu exarati, e. g. *Opus genealogicum Turcico-Arabicum*, conuolutum, quatuor et viginti cubita longitudine exaequans; *Biblia sacra Latina*, duobus voluminibus membranaceis; *Commentarius in omnes Pauli Epistolas*, in membrana formae quartae pulcherrime scriptus,

litte-

litteriſque, vt vocant, capitalibus, et pictis, et inauratis, egregie exornatus; *Codex chartaceus*, iam Ottonum, Imperatorum aetate *Rhythmis Germanicis* impletus; Tomi duo folii oblongi, qui *Ephemerides et obſeruationes medicas Ioh. Franci* exhibent, cum elegantiſſimis picturis, ipſa eius manu confectis, caetera. Hodie Bibliotheca iſthaec adſeruatur in amplo luculentoque atrio aedis, quam vulgo *das Schwoer-Haus* dicunt, ac die Iouis ab hora pomeridiana ſecunda, vsque ad quartam, patet. Supremam illius curam ſuſtinent Aediles: Proto-Bibliothecarius eſt Miniſterii Senior, Bibliothecarius vero quidam ſemper ex Gymnaſii Profeſſoribus, quo munere iam fungitur vir clariſſimus, Ioh. Petr. Millerus, Rector, Hiſtoriarumque et Graecae Linguae Profeſſor. Praeter hanc Bibliothecam apud Vlmanos non contemnenda eſt librorum collectio in *Coenobio Auguſtinorum Wengenſi*, item ſupra Sacellum Neidthardtianum, Templo primario adſtructum, quae ad *Schermayeros*, Patricios, pertinet, ac non nullis voluminibus manu ſcriptis, hiſtoriam Reformationis bellique tricennalis illuſtrantibus, innotuit. *Krafftiana* quoque multarum imaginum *Gens* in domo quadam gentilitia Bibliothecam poſſidet praeſtantiſſimam, Operibusque hiſtoricis inſigniter excellentem. Continet amplius quatuor librorum millia, annisque ſingulis ſumtu totius Familiae reddi ſolet locupletior. Splendidiſſima hoc ſaeculo fuit *Raymundi Krafft de Dellmenginſen*, Conſulis grauiſſimi, Bibliotheca, cuius *Memorabilia* SCHELHORNIVS expoſuit adcurate in *Tomo III. Amoenit. litterar.* Mortuo a. 1729. poſſeſſore, vitam eius deſcripſit laudatus vir *l. c. Tomo XI. p. 253. ſq;* HAEBERLINVS autem, Academiae Helmſtadienſis Hiſtoricus celeberrimus, *Vlmae*, vbi tunc Gymnaſii ciuis erat, *a. 1739. in 8.* edidit *Catalogum Bibliothecae Krafftianae*, notasque, ad rariorum librorum cognitionem facientes, hinc inde attexuit.

xuit. Doctas item lectuque periucundas obseruationes Codicibus manu scriptis adspersit in *eorum Notitia*, quae *ibidem eodemque anno* cum ipso Catalogo prodierunt. Cf. *die Leipz. gelehrten Zeitung. a. 1739. p. 775.*

Vratislauiam, Silesiae metropolin, mira Bibliothecarum publicarum multitudo nobilitat. Habent nimirum Pontificiae religioni addicti

I.) Bibliothecam *Ecclesiae Cathedralis*, *D. Iohanni* consecratae, quam variis antea bellis dissipatam Iohannes IV. Episcopus, Roth vulgo dictus, ineunte saeculo XVI. instaurauit feliciter, librisque in Italia conquisitis, et Codicibus manu exaratis instruxit, quos partim a Pio III. Senensi, Pontifice Romano, partim a Baptista Guarino, Ioh. Franc. Poggio, atque aliis viris doctissimis acceperat. Eam post in ordinem redegit, curauitque egregie Fridericus Bergius, Canonicus ac Theologiae Doctor, sequentes autem Episcopi adeo locupletarunt, vt Bibliothecarum Silesiacarum praestantissima crederetur. Anno tamen 1632. a Suecicis Saxonicisque militibus misere fuit dispersa, libris vel combustis, vel in Viadrum coniectis, vel institoribus tenuioris ordinis vilissimo pretio diuenditis. Hinc, recuperata pace, denuo de Bibliotheca condenda solliciti fuerunt Canonici, inter quos praecipue laudantur merita Gotthardi Comitis a Schafgotsch. Anno circiter 1738. Conr. Aloysius Comes a Strattmann, Ecclesiae Cathedralis Praepositus, omnes suos libros, plerosque argumenti historici, legauit, quibus additis, Bibliotheca ista, optimis et rarissimis historiae Polonicae ac Bohemicae scriptoribus excellens, octo magis voluminum millia nunc seruat. Vid. IOH. CHRISTIANI KVNDMANNI *Academiae et Scholae German. praecipue Ducatus Silesiae, cum Bibliothecis, in nummis,*

Sect. V.

Sect. V. p. 327. sq. Germanica lingua iucundum hoc Opus prodiit *Vratislauiae a. 1741. in 4.*

II.) Bibliothecam *Mariani Coenobii*, cuius incolae ſunt Canonici Regulares S. Auguſtini. Illi a. 1611. Ioh. Ferſius, Canonicus Eccleſiae Cathedralis, vir Graecarum Latinarumque litterarum peritiſſimus, Bibliothecam ſuam inſignem reliquerat. Sed perierunt omnia eodem tempore, quo Cathedralis in hoſtium poteſtatem incidit. Reſtaurata deinceps eſt Bibliotheca Mariana, et prae caeteris adaucta ſtudio Canonici cuiusdam, Domini a Knobelsdorf, cuius veſtigia laudabiliter preſſit Praeſul reuerendus, Iohannes, librosque maioris momenti eidem intulit. Adſunt MSta non pauca, ſed maxima eorum pars ad ſcholaſticam pertinet Theologiam. Vid. KVNDMANNVS *l. c. p. 331.*

III.) Bibliothecam in *Domo S. Vincentii*, quam Georg. Scultetus, ab a. 1596. vsque ad a. 1613. Praepoſitus, mirifice amplificauit. Idem fecerunt eius ſucceſſores. Ac primum quidem Carol. Kellerus, praeter alia ornamenta, Biedermannianam librorum iuridicorum Bibliothecam adiecit: tum Arnoldus Brücknerus nec non Franciſcus III. Binderus, omnem dederunt operam, vt libri noui, iique melioris farinae, accederent. Inter Codices manu exaratos, quorum plurimi Theologiae ſcholaſticae elegantias continent, reperiuntur *Biblia ſacra* litteris minutiſſimis in membrana formae minoris ſcripta, *Miſſalia* item et *Antiphonalia* membranacea, quorum initiales litterae auro picturisque variis bene diſtinctae ſunt. Idem *l. c. p. 332. sq.*

IV.) Bibliothecam in *Hoſpitali S. Matthiae*, Ordinis Crucigerorum cum rubra Stella, quae ante quinque propemodum ſaecula Magiſtrorum et

Fratrum

Fratrum ſtudio collecta fuit, quandoquidem illi, nondum inuenta typographica arte, exquiſitiſſimorum librorum copiam ſua deſcripſerunt manu, quorum permulti, in ſempiternam eorum memoriam, adhuc monſtrantur. Sub finem poſtea ſaeculi decimi ſexti, et initium decimi ſeptimi, hanc ipſam Bibliothecam maiori ac ſplendidiori adparatu inſtruxerunt Praeſules et Magiſtri Bartholom. Mandelius, Nicolaus III. Otto, Ioh. Henceius a Blanckenburg, Elias Bachſtein, Ioh. Chryſoſtomus Nieborack, Mich. Ioſeph. Fiebiger, pariterque Iacobus II. Matthes dictus. Immo aliorum etiam, qui huic Ordini nunquam nomen dederunt, ſcilicet Mart. Mohrholzii, et Ioh. Woykowsky beneficio aucta eſt. Bibliotheca in primis Iacobi Monauii, Patricii Vratislauienſis, ſcriptoribus tum philologicis, tum hiſtoricis, ſaeculum XVI. illuſtrantibus maxime, ornatiſſima, non vulgare attulit incrementum. Memoranda eſt pariter librorum, quos Ioh Scheffierus comparauerat, theologicorum, medicorum et philologicorum acceſſio, ac liberalitas Ioh. Ge. a Froelich et Freudenthal, Conſiliarii Caeſarei, Aerarioque, quod ex vtriusque Sileſiae tributis colligi ſolebat, ſupremo Praefecti, qui Homileticos aliquot pretioſiſſimos obtulit, aere ſuo coemtos. Omnem autem, quo nunc ſuperbit, ornatum vnice acceptum refert haec Bibliotheca laudato Fiebigero, qui eam a blattis ac tineis ſqualoreque vindicauit, libros ex loco obſcuro in conclaue nitidum transferendos, et in variis armariis pluteisque decenti ordine diſponendos curauit, opera potiſſimum Chriſtiani ab Helwich, viri in re medica et omni doctrina elegantiore verſatiſſimi. Nec digeſſit tantum Praeſul meritiſſimus theſaurum hunc librarium, ſed auxit quoque

libris magno ſumtu vndiquaque conquiſitis, Patribus praeſertim, quorum editiones plurimae Pariſienſes ſunt, ſacri Codicis interpretibus, atque aliis et integram Bibliothecam theologicam inſtruendam pertinentibus, ita quidem, vt plus tria Imperialium millia in eius amplificationem impenderit. Hodie nouem circiter millia voluminum in hac Bibliotheca exſtant, praeter pulcherrimam tabularum, a clariſſimis chalcographis aere excuſarum, collectionem. Separatum ſcrinium varia naturae opera, nummosque tam Romanos, argenteos et aeneos, quam raros recentiores, aureos et argenteos, complectitur. Idem *l. c. p. 334. ſq.* Cf. *Noua litterar. Germaniae a. 1703. pag. 166.*

V.) Dominicanorum *in Coenobio S. Adalberti* Bibliothecam, cuius auctorem Laurentium, ſaeculo XIII. Epiſcopum, vulgo perhibent. Legauit ei a. 1510. Apicius Colo a Guben, Eccleſiae Cathedralis Vratislauienſis Canonicus, Ducatusque Glogauienſis Cancellarius, librariam ſuam ſupellectilem, et Abrah. Bzouius multos addidit Codices antiquos, priusquam Romam concederet. Poſt haec tempora variorum creuit liberalitate, iamque ſeptem propemodum voluminum millia continet, inter quae ſunt plus quadringenta, ſaeculo XV. typis impreſſa. Manu ſcriptorum, quorum trecenta, et quod excedit, volumina numerantur, praeſtantiſſima ſine dubio *Lactantius*, *Corpus Iuris Canonici atque Ciuilis*, *Chronicon Huberti*, ſeu vitae Fratrum Ordinis Praedicatorum, manu Ioh. Fayt, Conuentus eiusdem Vratislauienſis Fratris, deſcriptae, *Volumen de Ioh. Schwenckfeldio*, Fratre Ordinis Praedicatorum, eiusdemque morte notabili, caet. Vid. KVNDMANN. *p. 340. ſq.*

VI.) Bi-

VI.) Bibliothecam Fratrum Minorum *in Coenobio S. Dorotheae.* Ea poſt graue incendium a. 1686. quo libri, in Templum deiecti, a furacibus plebis manibus valde imminuti fuerant, priſtinum ſuum ſplendorem, multorum legatis et largitionibus, recepit. Tota enim e. g. Frid. Maximil. a Rethel et Hennersdorff, praefecturae Vratislauienſis Cancellarii, ſupellex in eandem transiit. Aloyſius etiam Reichelius, eruditus huius Ordinis Frater, ſaepiuſcule illam reddidit locupletiorem. Nec minus praedicari debent Anton. Kalckſteinii, Theologiae Doctoris, merita, qui tot bonae notae Opera comparauit, vt Bibliotheca iſthaec numerum ſeptem mille voluminum hodie ſuperet. Idem *p. 342.*

VII.) Bibliotheca in *Templo Corporis Chriſti*, ad ſacrum militarem Ordinem S. Iohannis Melitenſem pertinente, quae tamen nec MStorum, quorum centum et quinquaginta circiter ſeruantur, circumacto fere ſaeculo XV. exarata, nec librorum excuſorum copia eminet. Horum plurimi ſatis antiqui ſunt, quo referri debent *Hieronymi Epiſtolae, Mogunt. a. 1470. in fol. maiori, Gregorii Opus moralium, Norimb a. 1471. in f. Boethius de conſolat. Philoſophiae ibid. 1473.* pariterque *Auguſtinus de Ciuitate Dei, Mogunt. eod. anno editus,* Idem *l. c. pag. 337. ſq.*

VIII.) Bibliothecam in *Curia Caeſarea* (der *Kayſerlichen Burg*) quam Patres Societatis Ieſu poſſident, et primum aere ſuo collegerunt. Acceſſerunt fautorum donationes, maxime Caroli Neandri a Petersheyde, Eccleſiae Cathedralis Epiſcopi ſuffraganei, qui Bibliothecam ſuam Patribus illis teſtamento legauit. Oculos delectat librorum ex corio Turcico rubro veſtitus, qui in tergo eleganter auro adornatus eſt, iamque

ſupellex haec libraria nouum haud dubie receptaculum occupauit, quod ante aliquot annos moliti fuerunt poſſeſſores, teſte KVNDMANNO *l. c. pag. 340.*

IX.) Bibliothecam *Monachorum Cucullatorum*, ſeu Capucinorum, in S. Hedwigis Domo. Plurimum ea debet Ottoni Wenceslao Comiti a Noſtitz et Rieneck, Coenobii auctori, multique deinceps parochi, augendae illius cauſſa, quicquid habebant librorum, reliquerunt. Conſpicitur ibidem *Codex Arabicus* vetuſtus et pretioſus, qui *Pentateuchi interpretationem contra Mahometanos* continet. Idem *pag. 344.*

X.) Bibliothecam *Franciſcanorum*, in platea Antonii, quam liberaliter locupletauit nobilis quidam, Obergius. Libri in ſedecim claſſes diuiſi ſunt, tota tamen collectio vix tria voluminum millia hoc tempore explet. Vid. idem *pag. cit.* Et hactenus de Pontificiorum apud Vratislauienſes Bibliothecis. Euangelici fruuntur

XI.) Bibliotheca ad *Templum Mario-Magdalenaeum*, cuius fundamenta iecit Ioh. Heſſius, primus illius Aedis ſacrae Paſtor, anno 1547. viuis ereptus. Is enim, boni publici ſtudioſiſſimus, omnes ſuos theologici argumenti libros legauit. Eius mox ſequuti ſunt exemplum diuerſi magnae dignitatis ac doctrinae viri, qui vel pecunia, vel rarioribus Operibus oblatis memoriam ſui perpetuam reddiderunt. Prae caeteris vero laudandi Nicol. Rehdigerus, ſummus quondam Vrbi Praefectus, qui Biblia Regia Antwerpienſia, Theatrum Orbis Ortelianum, aliosque magni momenti libros, non exiguis comparatos ſumtibus, donauit; Andr. Hertwigius, Conſiliarius Caeſareus, et per vtramque Sileſiam Fiſci Procurator, cuius poſt mortem egregia, quam col-

legerat,

legerat, librorum iuridicorum Bibliotheca, legati iure tranſiit in Mario-Magdalenaeam; Frid. Bergius, Eccleſiae Cathedralis Canonicus, qui principes eruditae Graeciae ſcriptores, Patres eccleſiaſticos, et complura alia, praeſtantiſſima Opera, teſtamento reliquit; Carolus L. B. a Wirbna, a quo eodem acceſſit titulo ſplendidiſſima aui materni, Caroli L. B. a Zierotina, Conſiliarii Caeſarei, ac Morauiae Pro-Marchionis, Bibliotheca; et Chriſtoph. Colerus, Gymnaſii Eliſabethani Conrector, qui moriens a. 1658. ſuam itidem ſupellectilem partem eſſe voluit publicae huius Bibliothecae. Ipſi autem Aerarii ſacri curatores a. 1729. coëmerunt Erneſti Beniam. a Loewenſtaedt, nobilis Domini a Ronnenburg, libros notatu digniſſimos, vna cum ſelectis artis chalcographicae monumentis, quae duos et quinquaginta, maioris plerumque formae, Tomos complent. Externi cultus nitorem, et ipſius ſpatii inſignem amplitudinem a. 1644. adepta eſt haec Bibliotheca, quo publicis dedicabatur vſibus, et oratione auſpicali, a laudato Colero, tunc temporis Bibliothecario, habita, litterarum ſtudioſis aperiebatur, in cuius rei memoriam, iuſſu Senatus, numiſma argenteum cuſum eſt, quod ſtructuram Bibliothecae ob oculos ponit, cum hac inſcriptione: *anni fluebat 1644. dies Nouembr. 24. qua Mariae Magdalenaeae Breslidos ſe Bibliotheca geſtiit libris adauctiorem, pluteis venuſtiorem redaperiri. Da Deus feliciter!* Sub aedificii introitum conſpiciuntur artificioſae ſeptem Graeciae Sapientum ſtatuae: ipſum autem corpus eius amplius ſedecim voluminum millia ex quocunque diſciplinarum genere complectitur. Manu ſcriptorum quidem adparatus mediocris eſt; magni tamen aeſtimandi

Codex Bibliorum Ebraicorum a. 1238. in membranis exaratus, cum Masora, Codex membranaceus, eiusdem aetatis, formaeque augustae, maiori charactere quadrato scriptus, punctisque instructus, in quo exstant *preces et cantiones in Iudaeorum Synagogis vsitatae*, nec non antiquissimus elegantissimusque Codex Graecus *librorum Rhetoricorum, ab Aristotele confectorum*, quibus accedunt quidam *Graeciae Oratores:* Praecipuos *Codices Persicos ac Turcicos*, verbis Andreae Acoluthi, aedis Bernhardinianae olim Diaconi, et Orientalium Linguarum in Gymnasio Elisabethano Professoris, recensuit singulari *Progr. a. 1702.* CHRISTIAN. GRYPHIVS. Vid. *Noua litt. Germ. a. 1703. p. 85.* Bibliothecarii celebriores sunt Christoph. Colerus, et Gryphius, quorum iam fecimus mentionem, itemque Christianus Stieffius, qui adiutore Gottlieb Guil. Kellero, eius in hoc munere successore, adcuratissimos librorum Catalogos, trium ac viginti Tomorum Opus, parauit. Praeter Bibliothecam, diebus Martis ac Veneris patentem, ibidem reperiuntur etiam *numismata* et antiqua, et recentiora, *instrumenta mathematica Heueliana, res naturales* atque *arte factae*, de quibus vid. KVNDMANNVS in *Promtuario rer. natur. et artificial. Vratislauiensi, Vratisl. a. 1726. in 4. p. 42. sq.* Mumiam Aegyptiacam quodam libello *ibid. a. 1662. in 12.* descripsit ANDR. GRYPHIVS. Plura de hac ipsa Bibliotheca differunt CHRISTOPH. COLERVS in *Orat. auspicali*, supra adducta, editaque primum *Vratisl. a. 1645. in 12.* post *1699. in 4.* et KVNDMANNI in *Acad. et Scholis Germ. p. 358. sq.*

XII.)* Bibliotheca *Elisabethana* ad sacram huius nominis aedem, quae et a fundatore, Thoma Rehdigero, equestris dignitatis viro, *Rehdigeriana* dici-

dicitur. Ille nimirum omnem ſuam librorum optimorum, tam typis impreſſorum, quam manu exaratorum, nec non numiſmatum et picturarum, elegantiorum, ſupellectilem, in longinquis per Belgium, Angliam, Galliam, Heluetiam, Italiam et Germaniam ſuſceptis peregrinationibus, labore magno ſumtuque conquiſitam, teſtamenti tabulis nobiliſſimae familiae ea conditione reliquit, vt propria quidem ipſi permaneret, ſed vſibus publicis in conclaui, eam ob cauſſam inſtructo, perpetuo ſeruaretur. Anno igitur 1576. libri cum caeteris cimeliis Vratislauiam deuecti et in priuatis primum aedibus depoſiti, deinde rogatu heredum, permiſſuque Magiſtratus, in Auditorium, vt vocabatur tunc temporis, theologicum, ſacrario Templi Eliſabethani ſuperſtructum, tranſlati fuerunt. Tandem vero, poſt varia impedimenta, illuſtris gens Rehdigeriana a. 1661. facta pactione quadam Bibliothecam hanc plane conceſſit Senatui, ita tamen, vt ſemper priſtini poſſeſſoris nomine ſignaretur. Mox ergo cuſtos ipſi conſtitutus eſt Iohannes Gebhardus, Gymnaſii Eliſabethani Conrector et Profeſſor, qui etiam *Oratione auſpicali*, eodem adhuc anno publice dicta, et *Vratil. in 4.* edita, hosce theſauros ciuibus ſuis aperuit. Ex eo tempore variis illi modis adaucti fuerunt. Suas enim Bibliothecas legarunt Rehdigerianae Chryſoſt. Schultzius, Scabinographus, Matthias Machnerus, Rei publicae Vratislauienſi ab expeditionibus Latinis, et Albert. Sebiſchius, miles eruditiſſimus, cuius ſupellex, libris hiſtoricis praecipue ac mathematicis abundans, a. 1689. acceſſit. Addiderunt alii Opera praeſtantiſſima, vel quandam pecuniae ſummam, cuius ex foenore ſingulis annis Bibliotheca haec poteſt

locupletari. Ad rariora eius quod attinet, primum notari merentur Manuſcripta, quorum pleraque membranacea ſunt. Diſſeruit quaedam de iis CHRISTOPH. WOLTERECK *im ausführl. Bericht von allerhand neuen Büchern, Lipſ. 1708. in 8. p. 879. ſq.* et *p. 894.* Integer vero Catalogus MStorum Bibliothecae Eliſabethanae, maxime Rehdigerianae, nondum diuulgatus, Hamburgi exſtat in Bibliotheca Wolfiana, prout videmus in IOH. CHRISTOPH. WOLFII *Conſpectu ſupellect. epiſtol. ac litter. pag. 274.* Maximi momenti ſunt *Codex Quatuor Euangeliſtarum,* charactere Longobardico; *Canticum Canticorum cum Willerami Mersburgenſis Paraphraſi poetica et Teutonica,* egregio Germanicae Antiquitatis monumento; *Homeri aliquot exemplaria,* perpulchre ſcripta; *Aurora Petri de Riga,* Opus metricum in totam Scripturam ſacram, ſaeculo XII. exaratum; *Stephanus Alexandrinus, Pelagius, Oſtanes, Democritus, Syneſius, Anepigraphus, Zoſimus, Olympiodorus, Heliodorus, Theophraſtus, Hierotheus, Archelaus,* antiquiſſimi Chymici, ac de Chryſopoeia Auctores, integro Graeco textu; *Titus Liuius,* nitide ſcriptus, aliique plures Graeciae veteris ac Latii auctores; *Ioh. Froiſſardi Hiſtoria ſui temporis,* quatuor ingentibus Voluminibus comprehenſa, qua non modo res ab anno 1326. per annos ſeptuaginta in orbe terrarum geſtae fideliter enarrantur, ſed et arcium et aedificiorum conditio, ritus publici, veſtes, et alia ſtatum ſaeculi XIV. illuſtrantia, picturis artificioſis ante oculos ponuntur, ita, vt Volumina iſthaec nobiliſſimum Antiquitatis theſaurum, hiſtoricae rei multum inſeruientem, recludant, maxime quum DIONYSII SALVAGII editio, *Lugduni a. 1559.* exhibita, vix decimam totius

totius Historiae partem contineat, manu Saluagii omnibus iis deletis, quae aulae Gallicae displicebant. Inspexisse etiam iuuabit *autographas quingentorum virorum eruditissimorum Epistolas*, quarum quatuor fere millia numerantur. Inter libros vero excusos principem tenent locum *Wolfg. Comitis a Bethlen*, aulici quondam in Principatu Transsyluaniae Cancellarii, *libri X. Historiarum Pannonico-Dacicarum, inf.* ex ipsa Auctoris officina typographica, ideo comparata, in lucem producti. Duo saltim huius incomparabilis Operis exemplaria in toto terrarum orbe supersunt, quorum alterum Bibliotheca Elisabethana, alterum Schaffgotschiana, quae Hermsdorfii est, adseruat. Fata eius singularia exponunt celeberrimus KOELERVS in *den historischen Müntz-Belustigungen, Vol. IX. pag. 116.* et KVNDMANN. in *Acad. et Schol. German. pag. 392.* Cf. VOGTII *Catal. libr. rarior. p. m. 83.* Huic iungimus Cimelio *Biblia Italica*, duobus voluminibus, sat magnis, apud Venetos a. 1471. membranis purissimis impressa, quibus quidem grandiores litterae titulique, pro more aeui, desunt, minutus tamen character adeo distinctus est et elegans, vt multos temporum posterorum typos superare videatur; *Hieronymi Epistolas, Mogunt. a. 1470.* per Petr. Schöfferum; *Ptolemaei Cosmographiam, Romae a. 1482.* per Nicol. Hahnium; *Gesta Maximil. I.* sub nomine *Theurdanck* nota, *Norimb. a. 1517.* per Ioh. Schoenspergerum, cui Operi, praeter typorum nitorem et amplitudinem, venustatem conciliant figurae copiosae, non ab ipso quidem Maximiliano, vt manus recentior huic exemplari adscripsit, sed a Ioh. Scheiffelein, pictore olim et sculptore Nordlingensi, scite lignis incisae, docente id laudato

KOELERO in *Disquisit. de inclyto libro poetico Theuerdanck*, *§. XI. p. 40. editionis*, *a. 1719. Altorfii repetitae*; *Xenophontem*, a. 1561. per Henr. Stephanum excusum in membranis, quibus etiam caeteri libri, a nobis memorati, superbiunt. Tacemus alia eiusdem fere dignitatis ac pretii. Accedunt viginti millia *tabularum*, in aere lignoue a peritissimis manibus insculptarum, centum et quatuor Tomis; Quatuor fere millia *numismatum* tam antiquorum Graecorum Romanorumque, tam recentiorum; item non contemnenda *rerum naturalium*, *conchyliorum* praecipue, collectio. Vberiori sermone agunt de hac Bibliotheca, quae Mercurii ac Saturni diebus aperiri solet, praeter GEBHARDVM, supra adductum, GOTTLOB KRANTZIVS, post Martini Hanckii obitum eidem praefectus olim, in *Memorabilibus Bibliothecae publicae Elisabethanae, a fundatore celeberrimo Rehdigeriana dictae*, *Vratislau. 1699. in 4.* editis, et instar Dramatis, seu scenae alicuius, conscriptis, nec non KVNDMANNVS *l. c. p. 346. sq.* pariterque in *Promtuario rer. natur. et artific. Vratislauiensi*, *p. 22. sq.* vbi potiora ex Krantzio excerpsit. Idem refert, Hildebrandum Rudolph. L. B. ab Hund, Dynastam clientelae Wirbitzii, caelibem vitam agentem, id cepisse consilii, vt eius post mortem Bibliotheca, quam impensa non exigua comparauit, Rehdigerianae inferatur.

XIII.) Bibliotheca ad *Templum S. Bernhardini.* Haec orta est ex liberalitate Dauid. Alberti, atque Daniel. Bucretii, deinceps vero a. 1682. et a. 1697. binis Bibliothecis legatis excreuit, altera quippe Caroli Rhenischii, Scholae Mario-Magdalenaeae collegae: altera Zachariae a Rampusch et Rommenstein, Senatoris Vratislauiensis ac Proto-Camera-

merarii, quae ſola quatuor millia et aliquot centum Volumina, iuridica maxime ac hiſtorica, continebat. Addidit idem luculentam ſortem, vt partim Bibliothecarius officii ſui praemia quaedam percipiat, partim noui libri quotannis acquiri poſſint. Praeclara etiam Opera donarunt Aerarii ſacri curatores, Thieliſchius et Iohnius, nec non antiſtites Templi, Ioh. Dauid Raſchkius atque Gottlieb Iachmannus. Iam numerus omnium Voluminum ſeptem circiter millia efficit: Manu ſcriptorum autem, quantum ſciamus, hic loci nihil reperitur, generatimque haec Bibliotheca longe inferior eſt Magdalenaea et Eliſabethana. Patet ea diebus Lunae et Iouis. Vid. KVNDMANNI *Academiae et Scholae Germ.* caet. *p. 355. ſq.* quo in libro de aliis quoque Sileſiae Bibliothecis varia lectu iucunda proferuntur. Add. *Noua litterar. Germaniae a. 1703. p. 165.*

§. XXIII.

Weingartenſe Monaſterium, in Sueuia, Bibliothecam poſſidet, in prioris locum, quae a. 1578. cum ipſo Coenobio flammis conflagrauit, inſtitutam, et nunc MStis, maximam partem membranaceis, ornatiſſimam. Nec deſunt rariora Opera, typis impreſſa, praecipue ſub artis typographicae initium, vti oſtendit SCHELHORNIVS *Amoenit. litterar. T. VII. p. 80. ſq.* Cf. MABILLONII *Iter German. p. 43. edit. Fabric.*

Bibliotheca *Weiſſenfelſenſis* aulica non contemnendo librorum adparatu olim eminebat, eique acceſſerat Comitum ac Principum Barbyenſium ſupellex. Sed nunc quidem, poſt glorioſiſſimi Ducis, Ioh. Adolphi, obitum diſtracta eſt haec Bibliotheca, parsque eius nobiliſſima liberalitate auguſtiſſimi Poloniarum Regis, et Saxoniae Electoris, ad quem Ducatus Weiſſenfelſenſis a. 1746. deuoluebatur hereditatis

iure,

iure, in Lipſienſem Paulinam tranſiit. Cf. *§. XIV. huius Capitis.*

De Bibliotheca *Wiſmarienſi*, vſibus tribunalis ſupremi deſtinata, Collectores *Nouorum litterarior. maris Balthici m. Ianuario a. 1704. p. 3.* haec ſcribunt: *Haud minimam apud eruditos Wiſmarienſes iniiſſe gratiam cenſendus eſt Henning. Ioachimus Gerdeſius, Secretariatus munere in Regio Tribunali cum laude defungens, quod auctoritate et iuſſu Superiorum Bibliothecam Regii Tribunalis a laudatiſſimis viris inſtauratam, in ordinem redegerit, atque adcurata librorum facta deſignatione incolis vrbis non minus, quam exteris, conſpiciendam conſulendamque aperuerit. Complectitur enim ille theſaurus non tantum libros ad cuiusuis Iuris ſcientiam facientes, ſed etiam rerum ſacrarum cultoribus apprime vtiles, quemadmodum nec Criticis, qui vel Graeciam, vel Latium norunt, vel omnem antiquitatem imbiberunt, eiusmodi deeſſe volumina conſpicimus, quae adire poſſunt, atque magno cum fructu euoluere. Catalogus hoc titulo prodiit: Catalogus Bibliothecae ſummi Regii Tribunalis Wiſmarienſis, quam in vtilitatem publicam a b. Dn. Dauidis Meuii, primi Vice-Praeſidis, heredibus incboatam, et ab herede Domini Chriſtiani Trogelii, dicti Tribunalis, dum viueret, Protonotarii, auctam, nouis rarisque libris coemtis exornauit illuſtriſſimus et excellentiſſimus Dn. Ioh. Roſenhane, S. R. M. Sueciae ſummi in Germania Tribunalis Praeſes, in quo enumerantur libri, tractatus et ſcripta variorum, quotquot in hac Bibliotheca exſtant, Auctorum, Commentariorum et Compilatorum in omni diſciplinarum genere, quorum cognomina iuxta ordinem alphabeticum ita ſunt diſpoſita, vt primo ſtatim intuitu appareat, quam Facultatem, formam et numerum quilibet liber ſibi vindicet. Opuſculum, quod ſuperatis tandem ſaepe interuenientibus obſtaculis conſummauit, et nunc demum iuſſu et auctoritate Superiorum publici iuris fecit Henning Ioachim Gerdes, Wiſmariae a. 1703. in f.* Ex ampliſſimo hoc titulo,

tulo eius etiam Bibliothecae, quae praesenti saeculo nouis accessionibus locupletata est, natales possunt cognosci.

Zittauia, celebris Lusatiae superioris ciuitas, Bibliothecam publicam habet, quam, e quinque eruditorum scriniis collectam, Procopius Naso, Consul, Syndicus et Scholarcha, suis etiam libris adauxerat. Nondum exacta magna superioris saeculi parte locus ipsi designabatur, vulgo dictus *der Vaterhof*, vbi iam Orphanotropheum exstructum est, quem Gerlacus, Scholae tunc temporis Rector, a. 1607. solemni oratione de Bibliothecis dedicauit. Aliquoties tamen, memorato saeculo, libri in aliud translati domicilium fuerunt. Tandem a. 1708. quum Bibliotheca ad magnitudinem peruenisset singularem, amplissimus Senatus nouum ei et spaciosissimum conclaue concessit, simulque Godofredo Hoffmanno, Scholae Rectori meritissimo negotium dedit, vt libri, qui aderant, omnes meliorem in ordinem redigerentur. Fecit hoc, non sine Superiorum plausu, filius eius natu maior, Christian. Godofredus, illustris postea in Vniuersitate Lipsiensi ac Viadrina ICtus: locum vero, nouissime adornatum, laudatus ille Rector mense Septembri a. 1709. publica oratione consecrauit. Vid. RVD. ANT. FABRICII *Diss. de Transposit. Biblioth. memorabili*, §. *XXXIII. p. 41.* et IOH. BENED. CARPZOVII *Analecta Fastor. Zittauiensium*, *P. I. cap. 18.* vbi et multis illam Bibliothecam accessionibus in dies redditam esse splendidiorem perhibet, testibus *Actis Erud. Lat. a. 1716. p. 415.* ipsius enim libri Carpzouiani euoluendi, dum haec scribimus, potestas deest.

CAPVT

CAPVT QVINTVM

DE

VSV BIBLIOTHECARVM AC DELECTV SCRIPTORVM.

§. I. Bibliothecae qua ratione adeundae?
§. II. Quid in libris inſpiciendis obſeruandum?
§. III. Quomodo de ſcriptis iudicandum ſit? Primum libri boni criterium eſt, ſi de ſolida Auctoris doctrina in eo ſtudiorum genere conſtet.
§. IV. Alterum criterium, ſi Auctor inſtructa Bibliotheca vti potuit, qua occaſione agitur etiam de adlegationibus ſcriptorum nimiis, vel parum adcuratis.
§. V. Tertium criterium ex tempore, quod Auctor libro ſuo tribuit.
§. VI. Quartum criterium ex Auctoris aetate.
§. VII. Quintum criterium ex ſcriptoris patria, vbi primo de Luſitanis et Hiſpanis.
§. VIII. De ingeniis Gallorum.
§. IX. De ingeniis Anglorum.
§. X. De ingeniis Italorum.
§. XI. De ingeniis Belgarum.
§. XII. De ingeniis Suecorum, Danorum et Ruſſorum.
§. XIII. De ingeniis Polonorum, Hungarorum, ac Turcarum.
§. XIV. De ingeniis Germanorum.
§. XV. Sextum boni libri criterium praebent typographi, bibliopolae ipſaeque editiones.
§. XVI. Septimum criterium eſt ex ſcriptoris ſtatu.
§. XVII. Octauum criterium ſumitur ex eruditorum adplauſu.
§. XVIII. Nonum criterium editiones libri ſaepius repetitae, ac translationes in linguas peregrinas conſtituunt.
§. XIX. Decimum criterium quaerendum eſt in tempore, quo vixit Auctor.
§. XX. Vndecimum criterium ex adcurata et methodica pertractatione proficiſcitur.
§. XXI. Duodecimum criterium ſuppeditat libri raritas.
§. XXII. Scriptores, qui hac de re fuſius egerunt.
§. XXIII. Quid in Bibliothecis frequentandis porro ſit obſeruandum?
§. XXIV. Quaenam excerpta ad manus eſſe debeant?
§. XXV. Bibliothecae quo modo conſulendae ſint in peregrinatione?

§. I.

Peracta Bibliothecarum recenſione, neceſſarium videtur, noſſe modum, quo iis vti cum fructu queamus. Duplex

Duplex autem eſt Bibliothecarum vſus; alius, vbi liber ad easdem et continuus aditus patet: alius in peregrinatione. Hoc argumentum infra §. XXIV. tangemus; illud hic loci non nihil illuſtrandum eſt. Quando frequentare certis horis licet Bibliothecas ſiue publicas, ſiue priuatas, oblatam occaſionem ambabus, quod aiunt, manibus arripiat litterarum ſtudioſus, et ad eas praecipue diſciplinas animum ſuum attendat, quibus ſe totum tradere conſtituit. Ante omnia vero captanda eſt beneuolentia Bibliothecae ſiue praefecti, ſiue poſſeſſoris, quod facile erit, ſi quis mores eiusdem habeat cognitos, modeſtiamque, et ſtudiorum amorem, ſecum ferat. De virtutibus Bibliothecarii notabilis exſtat Hugonis Blotii ſententia apud LAMBECIVM *Comment. de Bibl. Vindobon. Caeſar. lib. I. p. 53.* quam hoc loco non plane incongruentem eſſe arbitramur. *Requiri*, ait, *videtur, vt Bibliothecarius a reliquis muneribus ſit liber, linguarum multarum habeat cognitionem, ſit iuſtius, laborioſus, fidus, induſtrius, non pauper, non ſuperſtitioſus, amans rei litterariae, et natura in promouendam rem Bibliothecariam propenſus. Itaque propterea in primis libertatem et a reliquis curis vacuitatem requiro, quod, rerum variarum multitudine diſtractus, officio ſuo minus perfecte fungi poterit.* Et aliquanto poſt: *Addideram, Bibliothecarium non debere eſſe ſuperſtitioſum. Nam cum nihil magis deceat Bibliothecam, quam (non ſecus atque in horto aliquo herbario, quem quis completiſſimum cupit, herbae non tantum ſalutares, verum etiam noxiae et venenoſae habentur,) libros omnium rerum, linguarum, artium, et religionum ea contineri: Bibliothecarius, vt Pharmacopola aeque intrepide toxica atque ſalubria medicamenta tractat, ita in Bibliotheca quicquid inuenerit, tractare et conſeruare aequaliter ſtudebit. Superſtitioſus autem ſuae tantum religionis libros curabit, poliet, et conſeruabit, reliquarum vero, affectibus deditus, incuria perire patietur, cum tamen*

men interſit omnium eorum, qui veram religionem defenſam atque conſeruatam cupiunt, aduerſariorum ſuorum libros alicubi inueniri poſſe, quorum argumenta argumentis diluant ac confutent. Et de Pariſienſibus Bibliothecariis GE. WALLINVS in *Lutetia Pariſiorum erudita* ſub *cap. VI.* finem ſequentia diſſerit, quae et integra leguntur in illuſtris BVDERI *Neueſten gelehrten Staat von Paris, p. 212.* En! ipſa verba: *Hoc loco nequeo intermittere, quin iuſtas laudes tribuam omnibus Bibliothecarum Pariſienſium Praefectis, longe adhuc maioribus cumulandis, niſi fidei et religionis obſtaret diuerſitas; ſed non ita eam obſtare crediderim, vt etiam humanitatem exuere debeamus, h. e. vt gratam ipſis denegemus memoriam, qui nobis, licet eorum iudicio haereticis, omnia, quae excogitari poſſunt, non recuſant praeſtare officia, et quascunque ſubire moleſtias. Profecto non ea laborant animi grauitate, et aegritudine morum, qua infectos non nullos deprehendi alibi Bibliothecariolos, vt, adueniente hoſpite, ſe in angulum quendam abdant, frigora cauſantes hieme, forte etiam in aeſtate ſudores; neque tam exigua rei litterariae notitia pollent, vt quis, et vbi fuerit Lambecius, ignorent. Praeterquam quod Bibliothecarius Pariſienſis in omni fere ſtudiorum genere, et hiſtoria, quae ad eruditionem ſpectat, eſt verſatiſſimus, vnde plurima diſcere poſſunt peregrini, tanta inſuper eſt ciuilitate morum, vt tibi ſoli eum natum et factum eſſe exiſtimes. Vt primum te adeſſe cognouerit, miſſis omnibus, queis premitur, negotiis, ad te, ſubridente facie, et extenſis quaſi ad complexum manibus, aduolat. Aperta Bibliotheca, te primum introducit, per omnes partes et vias comitatur, nec ſine multo labore et multis precibus obtinere potes, vt caput pileolo tegat. Quicquid curioſum habet, rarum et elegans, iniuſſus, et ſola ſua humanitate permotus, oſtendit, vt ipſe ſumas, peruoluas et ſcruteris, tradit, orat. Quodſi librum quendam te deſiderare audit, iuſſiſſe Principem credes, ita eſt quaſi ad obſequia promtus. Catalogum*

logum ſine mora inſpicit, locum notat, thecas et repoſitoria percurrit, ſcalas ipſe anhelo ſpiritu trahit, erigit, ſcandit, nec permittit, vt ipſi ſis auxilio, ne quidem vt librum portes. Dat ſellam, menſam inſtruit, ſedenti ſtando miniſtrat, et cum vnicum petiiſti, decem alios eiusdem argumenti libros adfert, vt conferas, ſi placet, vel, ſi non vacat, titulos tantum notes: atramentum, chartas et calamos ſuppedidat, etiam, ſi adueſperaſcit, candelam. Vbi te diligentiorem videt, ne ſit impedimento, veniam abeundi ſubmiſſe petit, quaſi hoc te inuito fieri non poſſet, clauditque portam, te relinquens bene libris ſtipatum, et abundantem otio et armis. Rediens poſt horam vnam vel alteram, quaerit, num tibi ſatisfecerit hic vel ille auctor, quodnam ſit tuum de eo iudicium, num noua deſideres, ad noua itidem miniſteria paratus; ſin minus, et vbi ipſe a legendo deſiſtis, libros et volumina colligit, ſuisque locis reſtituit, grauiter interdum ſub pondere ſuſpirans, ſed laeta ſemper fronte, ne ab impatienti animo illa ſuſpiria proficiſci exiſtimes. Tandem gratias tibi abeunti agit, magnum honorem, adſerens, contigiſſe tua praeſentia Bibliothecae, per omnes ſcalas te ad extremam portam, detecto capite, comitatur, additis precibus, vt quam ſaepiſſime redeas, ne ſeruo parcas, ſed de Bibliotheca, vix aliter ac de tua poſſeſſione, ad lubitum diſponas. Hanc laudem vtinam omnes Bibliothecarum curatores adpeterent! Sed multi, velut Draco in fabula, ſuis, quos cuſtodiunt, theſauris inſident, et vel inuidia, vel commoditate, inducti omnia fere denegant aliis, quod ne et ipſi experiamur, genio eiusmodi hominis officiis quibuscunque ſatis faciamus, et adſentatiuncula liberali gratiam illius aucupemur, neceſſe eſt. Si eidem, quam nos profitemur, religioni non ſit addictus, cauendum eſt ſedulo, ne ſuperſtitioſo forſitan ſermonis materiam de ſacris praebeamus. Vitemus quoque, ne vel vagabundi hinc inde diſcurramus, vel tempus inani perdamus loqua-

 citate,

citate, vel librorum ordinem immutemus, vel ſimile quid agamus, quo Bibliothecae praefectus noſtris aduerſari conſiliis conatibusque litterariis poſſet. Cf. hic generatim *Diſſ. de cautionibus circa Bibliothecas*, Praeſide Ioh. Guil. Bergero publice defenſa a POLYC. LYSERO, *Vitemb. a. 1714.* vbi ſigillatim *§. XIII. et XIV.* haud contemnenda de vſu Bibliothecarum, tam inſtruendarum, quam exſtructarum, monita occurrunt.

§. II.

Parato hac ratione aditu, ordinem Bibliothecae eiusdemque diſpoſitionem notemus, quo eo facilius quosque libros queamus noſtros ad vſus reperire. Itaque Catalogi nobis expetamus copiam, eaque leuiter excerpamus, quae noſtris inſeruire ſtudiis arbitramur. Ipſos deinde libros perluſtremus, eosdemque, qui oculis noſtris in loculamentis occurrunt, ſingulos, vt librariam adipiſcamur notitiam. In eo tamen ſeruandus delectus, nec tantopere attendendum ad libros omnibus notos, vbique obuios, momentique exigui, quam ad eos, qui vel a raritate, vel ſingulari praeſtantia, commendantur. Quod dum ſcribimus, in mentem veniunt, quae non ita pridem audiuimus ab erudito quodam peregrinatore, ſe ſcilicet in potentiſſimi Germaniae Principis Bibliotheca, Operibus pretioſis ſplendidiſſima, inueniſſe Muſarum cultorem, elatos ſpiritus gerentem, qui, poſtquam diu attonitus tantos contemplatus eſſet doctrinae theſauros, quaeſiuerit ex Bibliothecae cuſtode, vtrum adeſſent etiam Commentarii Germanici illuſtris cuiusdam Academiae de rebus nouis litterariis? Addebat, ſe aequo animo ferre non potuiſſe ſtupiditatem hominis, et ſine mora rogaſſe eundem cuſtodem, anne ad manus eſſet Hederichii Promtuarium Latinitatis? Omnem autem rem litterariam, eam cum primis, quae ad noſtrum facit inſtitutum, in certos titulos habeamus redactam,

prout

prout infra oſtendetur, vbi de excerptis adornandis agendum erit. Obſeruauit hoc Struuius noſter in Bibliothecis iuridica, philoſophica et hiſtorica, ſuoque loco et ordine adnotauit ſcriptores potiores. Succedet hoc ex ſententia, ſi quis non leuiter attigerit bonarum artium doctrinas. Qui enim, vt optime iudicat MAICHELIVS de *Biblioth. Pariſ. P. II. cap. 1. p. 121.* in magnam aliquam Bibliothecam ſe confert, nullis plane fundamentis inſtructus, is homini ſimilis videtur, cui magnus ciborum apparatus proponitur, quibus tamen vitio ſtomachi frui nequit. Contra, qui poſitis iam idoneis in hac vel illa diſciplina fundamentis ad vſum Bibliothecarum accedit, omniaque in ſuas claſſes prudenter diſtribuere ſcit; is non poteſt non vtilitatem exinde percipere maximam, neque de illo timendum, ne rerum multitudine confundatur; prout ſtomachus bene confirmatus etiam fortioribus cibis non obruitur, quorum digeſtioni ſufficit. In ipſis libris inſpiciendis hanc ſequimur regulam. Primum eorum legimus inſcriptionem, huiusque non ſingula verba, ſi longior ſit, ſed praecipua tantum, quae ad rem pertinent, noſtras in ſchedas referimus, addito auctore, vel editore, loco item, anno, formaque editionis, ſaepe etiam typographo, quorum aliqui famam conſequuti ſunt ſempiternam. Locum annumque, cum typographi nomine, in editionibus antiquis finis libri plerumque indicat. Forma autem duplex eſt, vel *externa*, quae in chartae ac typorum conſideratione verſatur, pariterque num ea minor ſit, an maior: vel *interna*, vbi diſpiciendum, vtrum editio integra ſit et adcurata, nec ne? Poſt titulum pergimus ad Praefationem, ex quo haurimus auctoris propoſitum, vel ſingularia non nulla, quae certas eruditionis partes illuſtrant. Plures ſane reperiuntur Praefationes doctiſſimae, quae vel ipſis partim libris praeſtant. Inter has numerantur tres illae, *Caluini*

ad *Institutiones* suas *theologicas*, *Thuani* ad *Historiam* suam, et *Casauboni* ad *Polybium*; *Mich. Neandri Praef. Erotematibus Graecae linguae*, et quidem *editioni Basil. a.1565. in 8.* praemissa, de qua cf. *Cap. I.* huius Bibliothecae, *§.7*; *Dauid. Blondelli Praef.* ad *pleniorem assertionem Genealogiae Francicae, Amst. 1654. in folio*; *Theoph. Spizelii Praef.* seu Diss. praeliminaris, iam saepius adducta, ad *Sacra Bibliothecarum illustrium arcana retecta*; *Petri Dan. Huetii Origeniana*, ipsius editioni *Operum* ab eodem praefixa; *Ioh. Christoph. Wagenseilii* Praef. ad *Tela ignea Satanae*; *Herm. Conringii Praef.* ad *Germaniam Taciti*; *Ioh. Frickii Praef.* ad *Biblia vtriusque Testamenti Graeca*, *Lips. a.1697. in 8.* in qua historia LXX. Interpretum diligentissime exponitur; *Frid. Adolphi Lampii Prolegomena* Commentarii in *Iohannem Euangelistam*; *Christ. Thomasii Praefat.* ad *Cautelas circa Praecogn. Iurisprudentiae*; *Mich. le Vassor Praef.* ad *Historiam Ludouici XIII.* Galliarum Monarchae, Gallice scriptam. Nec reticenda est *Thomae Ittigii* ampla de separatim editis Operibus Patrum e prioribus saeculis *Praefatio*, quae ipsius Commentationem de Bibliothecis et Catenis Patrum exornat. Cf. HEVMANNI *Consp. Rei publicae litter. Cap. VI. §.12. p.m.331.* STOLLII *Obseruat. in hunc libellum p.960.* et BAELII *Diction. v. Calvin litt. F.* nec non *Pellisson in fine*, vbi haec: *Je ne devois pas omettre, que sa Préface sur les Oeuvres de Sarasin est un chef d'oeuvre. Il faut l'ajouter aux trois ou quatre Préfaces, dont j'ai parlé cidessus, elle est très digne des éloges, que Mr. Costar lui a donnez lettr. 268. et 278. de la I. Partie.* Saepenumero Praefationem libri Dedicationes speciales antecedunt, quibus auctor vel summo cuidam Principi, vel egregiae dignitatis virtutisque viro, suas commendare Musas solet. Has, nisi meras laudes contineant, ad ipsius haud raro libri adcuratiorem intelligentiam vtilissimas esse, et quasi isagogicas, comprobat expe-

experientia. Prouocamus e. g. ad clariſſimi viri, *Ioh. Aug. Erneſti*, Dedicationem bonae frugis pleniſſimam, quae in *Operibus Ciceronis*, *Lipſ. a. 1737. in 8. mai.* ab eo editis, obuia eſt.*) Maximas quoque laudes tribuunt *die Leipz. gelehrten Zeitung. a. 1753. p. 292.* VBALDI MIGNONII Dedicationi primae ad Epiſcopum ac Principem Varmienſem in *Noctium Sarmaticarum Vigiliis, Varſouiae a. 1752. in 4.* diuulgatis. Animaduertendum ſubinde ad patriam auctoris, et ad perſonam, ad quam, vel cuius iuſſu, ſcripſerit; ex eo enim adfectum illius iuſte licebit expendere, id quod clarius quandoque reddit Dedicatio. Vitam ſcriptoris vbi adnexam reperimus, notamus exinde fata eiusdem praecipua, et ſi quid inter ea ſingulare de ſtudiorum incrementis, conſuetudine et commercio epiſtolico cum eruditis, ſcriptis reliquis, opinionibus non vulgaribus, controuerſiis, caet. memoretur. Nec praetereunda ſunt, quae ſub initium ſaepe libri conſpiciuntur, aut alibi exſtant, Elogia; non ea intelligimus tamen, quae in ſola auctoris laude conſiſtunt, ſed haec potius, in quibus neruus aliquis et iudicium de eo, eiusque libro, latet, quod ipſum iudicium magnum habere ſolet pondus, ſi a viro quopiam celebri ſolideque docto proficiſcatur. Quam ad rem non ſine fructu euolui poſſunt *Thomae Pope-blount*

 Cenſu-

*) De Dedicationibus librorum veterum Romanorum elegans *Diatribe* celeberrimi viri, IOH. GE. WALCHII, exſtat, *Cellarii Epiſtolis ſelectioribus* praefixa, ac de fatis Dedicationum librorum *Diſſertationes* habemus DAN. FRID. IANI, et P. F. TACKII. Illa lucem vidit *Vitemb. a. 1718.* haec *Guelpherb. a. 1733. in 4.* Abuſum vero Dedicationum lepide, vt ſolet, notauit GVNDLINGIVS in *Praef. ad T. III. Obſeruat. ſelect. Halenſium*, quae nunc etiam in viri ſummi *Obſeruat. ſelectis T. II. p. 93. ſq.* recuſa legitur. Add. *Dedicace critique des Dedicaces*, libellus IONATH. SWIFFT, ex Anglico, quo eum primum conſcripſit, ſermone verſus, et *Rothomagi a. 1727. in 12.* excuſus.

Cenſurae celebriorum auctorum; Bailleti Jugemens des Savans ſur les principaux ouvrages des autheurs; Diaria litteraria nobiliora; Reimmanni Catalogus Bibliothecae ſuae, aliique ſcriptores, infra *Tomo II. cap. 8.* recenſendi. Quodſi libro nec vita auctoris, nec praefatio, adiecta fuerit, illam quaerimus in ſcriptoribus vitarum, quorum ingens hodie multitudo eſt, vel, ſi ne ſic quidem facti ſimus certiores, ipſum Bibliothecarium, aliumue virum hiſtoriae litterariae peritiſſimum conſulimus. Praefatione vero Operis tractationem non exponente, diſpoſitionem eiusdem percurrimus breuiter, in eaque videmus, quasnam materias perſequutus ſit auctor, vtrum vulgaria tantum ſint, quae diſſerit, ac proletaria, an ſingularia, et a nemine adhuc inueſtigata ſatis, expromat, quod facile patebit, ſi argumentum, alias nobis cognitum, paullo diligentius examinauerimus. Ex hoc enim de reliquis quoque ferri ſententia poterit. Indagamus praeterea, ſitne liber hiſtoricus, dogmaticus, an generis mixti, item quam ſeruet methodum auctor, dichotomicam, ſecundum cauſſarum genera, mathematicam, vel aliam, quae rei ipſi propior eſt et accommodatior. Sin autem legendo aliqua obſeruemus, quae noſtris in poſterum rationibus conducere videntur, locum, vbi haec inueniuntur, litteris conſignamus; libro contra, ob raritatem, manibus oculisque plurimorum ſubducto, deſcribimus, quae eſſe neceſſaria nobis, arbitramur. Denique in Aduerſariis noſtris addimus, quae libri breuis ſit ſciagraphia, vbi incipiat, vbi deſinat auctor, quas materias prae aliis optime pertractauerit atque illuſtrauerit, in quo totius rei cardo vertatur, ac generatim, quid vel commendari debeat, vel vituperari.

§. III.

§. III.

Hoc vero vt rite peragatur, ſuppeditabimus criteria, ſecundum quae de aliorum ſcriptis iudicari poteſt, non adeo quidem certa, vt nunquam fallant, at facis tamen loco adhibenda commode, ſi adcurati iuſtique cenſoris munere fungi velimus. Primum eſt *Auctoris dignitas et fama ob doctrinae praeſtantiam in eo ſtudiorum genere, ad quod liber eius pertinet.* Quamquam enim negari nequeunt, quae QVINTILIANVS *Inſt. orator. lib. X. cap. 1. p. 732. edit. Lugd. Bat. a. 1665. in 8. mai. adornatae* his verbis eleganter mônet: *neque id ſtatim legenti perſuaſum ſit, omnia, quae magni auctores dixerint, vtique eſſe perfecta. Nam et labuntur aliquando, et oneri cedunt, et indulgent ingeniorum ſuorum voluptati: nec ſemper intendunt animum, et non nunquam fatigantur, quum Ciceroni dormitare interim Demoſthenes, Horatio vero etiam Homerus ipſe videatur,* poſſentque varii aetatis noſtrae eruditiſſimi viri hanc Fabii ſententiam illuſtrare; nihilominus in plerisque caſibus criterium illud firmo niti putamus fundamento. Sic belli artes melius nos docebit Iulius Caeſar, ac Petr. Ramus; agriculturam melius Varro, Cato, Palladius et Columella, quam Ariſtoteles; eloquentiam melius Cicero, quam M. Terentius Varro. Multi multa ſcripſerunt, non tamen excellunt in ſingulis. Complures in iuris prudentia ciuili primarium obtinent locum, qui in aliis iuris partibus vltimum ſaltim promerentur. Exemplo ſit Bened. Carpzouius, quem patrem olim venerati ſunt ICti Saxonici in rebus, iuris deciſionem requirentibus. At quam ieiunus eſt eiusdem Commentarius in Legem Regiam Germanorum, ſiue Capitulationem Imperatoriam, qui *Erfurti a. 1623.* tum *Lipſiae a. 1640.* et *1651. in 4.* editus deinceps aliquoties *in fol.* prodiit! Cf. IOH. PETRI a LVDEWIG *Praef. P. II. der Erläuterung der güldenen Bulle* praemiſſa *§. 18. pag. 12. edit. primae.* Ipſe Auctor in

Praefatione edit. ſecundae ita diſſerit: *Perpendens hoc* (inſtituti vtilitatem) *ego ante vicennium de Lege Regia aliquem animi conceptum parturire, et ipſo quaſi conceptionis momento in lucem producere coepi, non absque naeuis, aetati et iudicio imbecilliori condonandis, quos typographi incuria, et correctoris negligentia haud parum auxit, vt inter viros eruditos partum iſtum luce frui non poſſe, ipſemet, poenitentia nimis ſera ductus, exiſtimauerim. Sed praeter omnem ſpem et exſpectationem a doctiſſimis etiam viris benigno eum hoſpitio exceptum* caet. Cum Lege Regia Romanorum, qua poteſtas, populo callide ademta, in Principem tranſlata fuit, male comparat Imperatoris Germanici Capitulationem, qua ſumma poteſtas reſtringitur potius et imminuitur, quod iam olim vidit IOH. STRAVCHIVS in *Diſſ. Iuris publici, Diſſ. IV. §. 10. p. 96. edit. Giſſenſis a. 1679.* Legum ciuilium peritiſſimus erat Ioh. Otto Tabor: in publici vero iuris prudentia maximum exiſtimationis ſuae naufragium fecit. Cf. LVDEWIG. *l. c. p. 11.* et illuſtris BVDERI *vitae clariſſimor. ICtor. pag. 353. ſq. in not.* Claud. Salmaſius elegans Criticus eſt in Exercitationibus Plinianis: e contrario in Defenſione Regia pro Carolo I. multum ceſſit Ioh. Miltono, peſſimumque egit politicum; neutiquam enim Anglorum regnum examinandum erat ad ſtatum Rei publicae Romanae. Inde vulgare dictum: *Salmaſium rem optimam peſſime, Miltonum rem peſſimam optime defendiſſe.* Vid. *Bibliotheca philoſoph. Struuio-Kahliana, T. II. p. 285.* Plura de hoc aliquando, ſi Deus voluerit, memorabit libri praeſentis editor in *Hiſtoria litis de Regicidio Anglicano litterario-critica*, ad quod argumentum expoliendum iam varia collegit ſubſidia, hodie rariora. Adiungimus Salmaſio Herm. Conringium, ſummum aetatis ſuae Polyhiſtorem, doctiorem tamen in ſcriptis hiſtoricis ac politicis, quam in medicis et theologicis. Cf. LILIENTHALIVS *de Machiauelliſmo litterario p. 161. ſq.*

§. IV.

§. IV.

Alterum boni libri criterium eſt, *ſi Auctor vel ipſe inſtructus ſit, vel ſaltim vti potuit, inſigni Bibliotheca.* Quemadmodum enim opifici varia inſtrumenta neceſſaria ſunt ad opus, quod exorſus eſt, apte ornateque pertexendum; ſic eruditus pariter ſcriptioni operam daturus rariſſime carere poteſt amplo ſubſidiorum librariorum adparatu. Abſtinendum tamen a vitio, quo multi laborant, qui, vt infinitae lectionis homines videantur, vel ex tribus quatuorue libris ingentem ſcriptorum cateruam corradunt, quum eorum pauciſſimos ne adſpexerint quidem, vel, ſi euoluerint etiam omnes, nubem pro Iunone amplectuntur, nullaque ratione optima ingenia a mediocribus ſecernunt. Recte hac in re Thomam Meſſanenſem ſingulari Epiſtola notat FRANC. PETRARCHA. *Animaduerti*, ait, *te in ſcriptis tuis omni ſtudio, vt appareas, niti. Hinc illi diſcurſus per ignota volumina, vt ex ſingulis aliquid decerpens rebus tuis interſeras. Plaudunt tibi diſcipuli, et omniſcium vocant, innumerabilium autorum nominibus attoniti, quaſi omnium, quorum titulos tenes, etiam notitiam ſis adeptus. Docti autem facile diſcernunt, quid cuiusque proprium, quid alienum ſit: et rurſus, quid mutuum, quid precarium, quid furtiuum, quid e medio hauſtum, quid a praetereunte delibatum.* Reliqua vid. apud MORHOFIVM *Tomo I. Polyh. lib. I. cap. 22. p. m. 260.* Lepide etiam perſtringit hoc eruditorum cacoëthes LILIENTHAL. *l. c. p. 85. ſq.* vbi et plures, qui huc faciunt, auctores laudantur. Hiſpanis id olim frequentiſſimum fuit, nec Germani noſtri ab eodem ſunt alieni, ICti maxime, qui quum auctoritate prudentum et communibus opinionibus ſaepiſſime regantur, deciſiones, conſilia, aliaque ſcripta ſua innumerabili adlegationum agmine munire ſolent, quas tamen vnus ex altero plerumque depromit, ita, vt vix quarta pars, ſi ipſos hos libros in manus ſum-

ſeris, ſit adcurata. Cf. CASP. ZIEGLERI *Rabuliſticâ, cap. XXII. p. 193. ſq.* in *Diſceptat. eius ſelectis.* Quare non ſufficit multos nominaſſe ſcriptores, ſed tales potius ſunt eligendi, qui ad rem pertinent, et exquiſita ſuppeditant. Adponamus exemplum Auguſtini Barboſae, de quo ita loquitur IAN. NICIVS ERYTHRAEVS in *Pinacotheca altera cap. XVIII. p. m. 61. Si eum ex libris, quos edidit, ſpectaſſes, quorum tam magnus eſt numerus, inſignem domi bibliothecam habuiſſe iuraſſes, at ne vnum quidem librum ibi inueniſſes. Memoria erat ſumma, ſingulari, incredibili: haec erat illi pro bibliotheca; imo haec omnes omnium bibliothecas ſuperabat. Quicquid eſt in vrbe bibliopolarum, arcta ſibi familiaritate deuinxerat, non alio vinculo, niſi vitae probitate atque innocentia, morumque ſuauitate; quibus facile ſe in hominum gratiam inſinuabat. Itaque quotidie modo in hac, modo in illa, bibliopolae cuiuspiam taberna a mane, vsque ad veſperam, ſedens totum ſe librorum, quibus ſibi maxime eſſet opus, lectioni tradebat, quaeque legebat, memoriae cuſtodienda mandabat: cuius tanta erat vis, vt, domum rediens, non ſolum eorum, quae legiſſet, fixas in animo ſententias, verum etiam verſuum ordinem numerumque referret, litterisque mandaret.* Miramur ergo in Barboſa memoriam, cuius generis alia prodigioſa exempla occurrunt in hiſtoria litteraria, a variis obſeruata: quandam tamen iudicii vim bonus ille vir nuſquam oſtendit. In Commentariis enim eiusdem molem adlegatorum reperimus, ſine delectu condenſatorum, tractationis vero parum, adeoque ſcripta eius habenda potius ſunt locorum communium inſtar, quibus ad libros diuerſos remittitur. Aliud exemplum occurrit in Ioh. Ge. Dorſchaei Bibliis numeratis, ſiue Indice ſpeciali in V. et N. Teſtamentum ad ſingula omnium librorum capita et commata, quo in Opere, ſi ipſum Auctoris laborem conſideremus, prout eum in calamum dictauit auditoribus

bus ſuis, quale exemplar manu ſcriptum Bibliotheca Academiae Salanae ſeruat, egregii quid omnino praeſtitit. Probatiſſimorum enim ſcriptorum adhibuit delectum, ad quos inuitari lectores videmus. Quae vero deinceps editioni, a Ioh. Grambſio, Dorſchaei genero, Frf. a. 1674. in f. procuratae, addita fuerunt, illa nullius certe ſunt momenti, quum adlegata potiſſimum in quisquiliis ſcriptorum conſiſtant, ita, vt longe melius feciſſet bibliopola, ſi ſolas Dorſchaei lucubrationes in medium protuliſſet. Sic iudicauit STRVVIVS olim, a quo diſſentit COLERVS in *Analectis* ad hunc locum. *Caeterum*, inquit, *etſi facile aſſentior Autori noſtro, Opus hoc, ſi ab ipſo Dorſchaeo prodiiſſet, longe limatius et accuratius dici potuiſſe, imo vero multa a Grambſio adiecta, quae molem quidem, non autem dignitatem et vtilitatem libri augeant; Nolim tamen cum eodem A. n. aſſerere, allegata Grambſiana potiſſimum in quisquiliis ſcriptorum conſiſtere, quam opinionem ſatis refellet praemiſſus Operi index autorum, qui omnes fere ſatis idonei ſunt, et minime contemnendi.* Add. *Pfaffius in Introd. ad hiſtor. litt. Theol. T. I. p. 142. et Buddeus in Iſagoge p. 1692.* Minus peccant, peccant tamen, qui, more Salmaſii, de quo THOMAS CRENIVS *Animadu. philol. et hiſtor. P. III. p. 158*, et aliorum plurium, lectoribus auctores de re aliqua commendant, generali autem et lato nimis confuſoque indicio, dum librum, caput, paginam, editionem, an dolo, an negligentia incertum, occultant, atque ſic irritam plane ac ſterilem adlegationem ſuam omnem reddunt. Quod quam ſit cum lectoris coniunctum moleſtia, quantamque ei nauſeam creet eiusmodi auctorum vaga citatio, qui non ex inſtituto, ſed incidenter ſaltim, non data opera, ſed ſparſim, et aliud veluti agendo, tractarunt materiam, intelligit facile, quisquis conſiderat, prolixos alios admodum eſſe, et pluribus quandoque voluminibus conſtantes, vt inuenire in illis adlegatum

locum

locum aeque ſit expeditum, ac in vaſto mari littus, alios etiam deſtitutos inſuper indicibus, vt fruſtra non minus inde polliceri ſibi quisquam ſubſidium queat. Eſt ſane hoc, ſi aliquid iudico, deludere hiantes, quae verba ſunt CASP. HENR. STARCKII in *Obſeruat. de vitiis allegationis auctorum, Tomo VII. Miſcellan. Lipſ. Pezoldianorum* inſerta, *p. 75.* Tandem nec ii ſunt ſine cenſura dimittendi, qui in libris ſuis vbique comprobant quidem, non defuiſſe ipſis Bibliothecam inſtructiſſimam, at frequenter extra cancellos egrediuntur, et intermiſcent ex opibus ſuis litterariis quam plurima, quae eo loco, vbi exſtant, minime quaeſiueris. Tales excurſiones iam dudum eruditi aegre tulerunt in Ioh. Petri a Ludewig ſcriptis, maiori omnibus iurisprudentiae cultoribus vſui futuris, ſi Auctor tot aliena praetermittere voluiſſet. Sed haec obiter tantum dicta ſunto. Infra enim §. XX. plura dabimus, quae iſtud illuſtrare argumentum queant.

§. V.

Tertium criterium de libri bonitate nos reddit certiores, *ſi ſcilicet Auctor in libro, quem edidit, multum temporis conſumſerit.* Omnia non properanti clara certaque erunt: feſtinatio contra improuida eſt et coeca, vt prudenter monet Q. Fabius Maximus apud LIVIVM *lib. XXII. cap 39.* Recte etiam QVINTILIANVS *Inſt. orat. lib. X. c. 3. p. m. 764. Cito*, inquit, *ſcribendo non fit, vt bene ſcribatur: bene ſcribendo fit, vt cito.* Summa igitur laude adficiendi ſunt veteris Latii ſcriptores, qui, quum ſingulari ſtudio ad perfectionem Operum ſuorum contenderent, id effecerunt omnino, vt per tot ſaecula tamquam duces et magiſtri liberalium artium ab omnibus, qui litteras amant, populis maximi fuerint aeſtimati. Antequam ſcripta quaedam iuris publici facerent, diligentiſſime reſpicie-

bant

bant cum ad ſententiarum concinnitatem, tum ad caſtitatem ornatumque ſermonis, beneque et adcurate elaborata recitabant amicis, obſeruationes eorundem expendebant, emendabant opus, poliebantque denuo, donec illud venuſtum ſatis atque in ſuo genere exactiſſimum crederent. Sic multum temporis tribuerunt vel pangendo verſui, vel ſcribendae hiſtoriae, vel rebus aliis ſtilo Romano pertractandis. Virgilius, quem Bucolica triennio, Georgica ſeptem, Aeneida duodecim annis perfeciſſe demum, DONATVS atque SERVIVS in *eius vita* memorant, quo modo verſus compoſuerit ſuos, nemo ignorat. Quos enim multo mane dederat larga manu, eos totum per diem recognoſcebat, et ad pauciſſimos redigebat, teſtatique ſunt olim tanti poetae familiares, dicere eum ſolitum fuiſſe, parere ſe verſus more atque ritu vrſino; namque vt illa beſtia foetum ederet ineffigiatum informemque, lambendoque id poſtea, quod ita edidiſſet, conformaret et fingeret; proinde ingenii quoque ſui partus recentes rudi eſſe facie et imperfecta, ſed deinceps tractando colendoque reddere iis ſe oris et vultus lineamenta. Quae reliquit igitur perfecta expolitaque, quibusque impoſuit cenſus atque dilectus ſui ſupremam manum, omni poëticae venuſtatis laude florent: ſed quae procraſtinata ſunt ab eo, vt poſt recenſerentur, et abſolui, quoniam mors praeuerterat, nequiuerunt: nequaquam poëtarum elegantiſſimi nomine atque iudicio digna ſunt. Itaque quum morbo oppreſſus aduentare mortem videret, petiuit orauitque a ſuis amiciſſimis impenſe, vt Aeneida, quam nondum ſatis elimaſſet, abolerent. Haec Phauorini, Philoſophi apud GELLIVM verba ſunt *Noct. Attic. lib. XVII. cap. 10.* Cf. clariſſimus FVNCCIVS *de virili aetate Lat. linguae, P. I. cap. 1. p. 55.* et *cap. 3. p. 215.* Vt recentiora quaedam exempla adiiciamus, quadraginta, vel vt alii, triginta annorum opus ſunt *Hier.*

Pradi

Pradi et *Ioh. Bapt. Villalpandi* in Ezechielem Explanationes et Apparatus Vrbis ac Templi Hierosolymitani, Commentariis et imaginibus illustratus, *Romae an. 1596. Tom. III. in fol. mai.* GOETZIVS tamen in *den Merckwürdigk. der Koenigl. Biblioth. zu Dresden T. I. Collect. 5. p. 409.* contendit, viginti tantum ac duos annos in rarum hoc et pretiosum Opus fuisse insumtos. De Annalibus suis ipse refert BARONIVS in *Dedicatione ac Praefatione Tomi I.* se triginta circiter annos in his insudasse. Iacob. Gussetius in Commentariis suis linguae Ebraeae profitetur, quod huic labori triginta annos consecrauerit. Claudius Faber de Vaugelas sex itidem lustrorum spatium sumsit ad versionem Curtii de rebus Alexandri M. adornandam. Vid. *Praefatio*, editioni tertiae Parisiensi huius versionis praefixa, quae et in exemplaribus, *Hagae Comit. a. 1727. in 12.* excusis, reperitur. Qui vero tradunt, Paul. Aemilium totidem annos in historia de rebus gestis Gallorum contriuisse, iis merito contradixit BAELIVS in *Diction. v. P. Emile, litt. c.* Octo per annos Ioh. Lundius occupatus quondam fuit in conscribendis Antiquitatibus sacris Iudaicis, quae nunc, titulo *Iüdische Heiligthümer* insignitae, omnium ante oculos iacent. Hispanis etiam plerisque illud solemne fuit, vt, pro ingenio suo, libros non praepropere scriberent, sed cum iudicio elaboratos per plures annos, tamquam pullos, fouerent, expolirent, emendarent, adaugerent. Inde factum, vt multa opera ederentur postuma, quibus auctores immortui sunt, antequam ea ad iustam maturitatem perduxerint. Cf. GVNDLINGII *Otia P. I. cap. 1. de Temperamento Hispanorum, p. 70.* Quantum autem in excessu, vt vulgo dicimus, peccant Hispani, tantum in defectu non pauci Germanorum delinquunt, qui praecipiti cursu ad librorum feruntur editionem, vt iam laudatus GVNDLINGIVS conquestus est *Obseru. select. Halens. Tomo II. obseruat. 1. de intempestiuo libros*

scriben-

ſcribendi et diſputandi pruritu, quae et legi poteſt in *Obſeruationibus* eius *ad rem litterar. ſpectant. Tomo II. p. 23. ſq. Germanorum*, ait inter alia §. 26, *multos adeo ſcribendi prurigo corripuit, vt, ſingulis fere menſibus concipientes, ſe ipſos nemine vrgente praecipitent, coecosque catulos pariendo in hoc ſolum glorientur, nullis ſibi doloribus enixos foetus conſtitiſſe, digni propter ea, vt confeſtim fides habeatur; ne ſibi ipſis adulantes perſuadeant, ſe grande aliquid atque ſublime dediſſe, quod in aliis vix ac ne vix quidem pulmo animae praelargus anhelaret, aut circumſpectiſſime adhibita induſtria produceret.* Non ignoramus multa virorum celebrium exempla, qui, dum hac noſtra aetate nullam partem neque diurnae, neque nocturnae, quietis impertiunt ſibi, nouisque ſemper libris, inſatiabili famae cupiditate inflammati, tabernas implent, omnino deberent GROTII verba repetere, ad Scriuerium ſcripta, quum Auctores de re militari ab eo accepiſſet. Ita vero ille: *Quo rependam, non habeo, ex qua tandem reſipiſcere coepi ab ea inſania, quae mihi cum aliis non nullis communis fuit, vt coeca quadam innoteſcendi libidine nihil niſi infamiam meam publicarem, daremque ea mundo ſpectanda, quae nunc ne ſolus quidem apud me ſine magno pudore, et acri doloris ſenſu, conſpicio. Tu vero, (dicam, non vt blandiar, ſed vt raram animi fortitudinem, quam, ſi poſſim, imitari velim, ſane, quod poſſum, probem atque commendem,) in annos non doctrinae tantum, ſed et ſapientiae capaces, tibi te et publico ſeruaſti; et quo nullum maturae mentis certius eſſe ſignum poteſt, auſus es ita vtilitati aliorum ſtudere, vt adpareret, priorem tibi huius eſſe, quam gloriae tuae, rationem.* Vid. BAELIVS in *Dict. hiſt. et crit.* v. *Thomaeus, nota D.* Attendant ad haec, quorum nimius eſt ſcribendi pruritus, ſuperbamque ſequantur virginem, quae, vt GVNDLINGIVS *l. c. §. 23.* loquitur, non prius in aliorum conſpectum prodire ſuſtinet, quam cum ſplendidiſſime exornata,

nata, nec in facie maculam, nec inconcinni quidpiam in habitu, deprehendit. Aeque tamen damnanda eſt iuſto ſcrupuloſior aliorum diligentia, qualis erat Pauli Manutii, qui tanto ſaepe ſtudio exarauit Epiſtolas ſuas, vt menſes aliquot vni impenderit, ac ſine dubio in chartam primum animi ſenſa coniecerit, poſt ſepoſuerit haec in dies non nullos, tum relegerit ter et amplius, formularum, ex Tullio ſuo excerptarum, indices conſuluerit, verterit ſtilum, deleuerit, mutauerit, addiderit. Vid. Editoris *Oratio de Ciceronomania eruditorum*, *Weiſſenfelſae a. 1744. in 4. p. 13.* De Iſocrate PLVTARCHVS in *Commentariolo bellone an pace clariores fuerint Athenienſes*, *T. II. opp. Frf. a. 1620. editorum p. 350.* memorat, eum tres pene Olympiades conſumſiſſe ſcribenda panegyrica Oratione. Cf. de eruditis cunctatoribus IOH. CHRISTIANI ERNESTI *Diſſ. duae de cunctatione eruditorum in componendis libris*, *Vitemb. a. 1717.* IOH. PHIL. SCHMIDII *Foetus eruditorum, difficili partu notabiles*, *Roſtoch. a. 1724. in 8.* (quo de libro recte iudicat STOLLIVS in *den Nachrichten von den Büch. ſeiner Bibliothec*, *P. V. p. 530*;) GVIL. SALDENVS *de libris, varioque eorum vſu et abuſu, lib. I. cap. 3. p. 65. ſq*; VIGNEVL-MARVILLE *Melang. d'Hiſt. et de Litterat. Vol. I. p. 213. ſq. edit. ſecundae*; BAELIVS in *Dict. hiſt. et crit.* voce: *Guarin, nota G.* et v. *Malherbe, nota G*; itemque IOH. CHRISTOPH. WOLFIVS in *Hiſtor. Lexic. Ebraeor. p. 121.* vbi inter alia haec etiam leguntur: *Nec fieri poteſt profecto, quin illa ſcripta, quae aetatem ferre debeant, per aliquod temporis ſpatium deliteſcant, et praeſtat certe opera limare, et lambere foetus, quam vno quaſi impetu effundere, quod vitio verti ſolet Salmaſio* caet. Is enim extemporalis fuit in omni lectione ſua, ſtatimque ad typographum miſit, quae ſemel conceperat, memorante MORHOFIO in *Polyhiſt. Tomo I. lib. 1. cap. 24. p. m. 290.* Cf. etiam *T. II. lib. 2. Parte I. cap. 2. §. 3. p. 151.* ac TENTZELII *Mon. Vnterred. a. 1689.*

a. 1689. pag. 975. Idem dicendum de Rich. Bentleio. Vid. CLERICI *Bibl. Choisie, T. XX. p. 219.* Non nulli facere id per arrogantiam ſolent, vtque feliciſſimi homines ingenii habeantur, ſaepe breui tantum temporis ſpatio ſcripta ſe compoſuiſſe adfirmant. Talis erat Franc. ab Amaya, qui in libro Obſeruationum ſuarum, vbi materiam quandam ſingularem finit, haec ſe apis inſtar intra viginti quatuor horas ex ſcriptoribus delibaſſe, ſubiungit. Ita quidem Struuius de ICto Hiſpano, haud contemnendo ſane, iudicat; ſed inique mea ſententia, nec ipſum inſpexiſſe librum videtur. Illa enim, quae adduxit, verba, ſemel tantum inueni *lib. III. cap. 5. in f. pag. 409. edit. Geneuenſis a. 1633 in 4. adornatae.* Facile tamen Auctor excuſandus erit, ſi quis legerit dicta ab eo *pag. 389.* in Prooemio huius Capitis, quod agit de *Maiuma. Lib. II. cap. 5. p. 155.* ſcribit, Legem Iuliam et Papiam, circa matrimonia Senatorum et Patronorum cum libertabus, intra viginti quatuor horas, ex Academiae Salmanticenſis ſtatutis, a ſe fuiſſe illuſtratam; ſed addit etiam haec: *quod tunc in ſubitario illo tempore collegi, nunc maturius in lucem prodit reſecatis multis, quae ab aliis tamquam recte notata, pro more noſtro, omittimus.* In argumento autem de partus ex ancilla furtiua editi vſucapione ſeptem ſe menſes conſumſiſſe, octo licet plagulas vix illud excedat, ingenue profitetur *lib. III. cap. 1. p. 338.* Haec de criterio boni libri, a tempore ducto, quod Auctor in eius elaboratione poſuit. Neque tamen exempla deſunt, quae tritum ſermone prouerbium, nullam regulam eſſe ſine exceptione, comprobant luculenter. De Nicolao Riccardio, viro docto et in primis diſerto, ERYTHRAEVS in *Pinacotheca imaginum* caet. *P. I. p. m. 45.* ſic ſcribit: *Omnium confeſſione magnum exiſtimationis ſuae damnum fecit in eo libello, quem paucis ante mortem annis edidit. Nam cum aſſiduam multorum annorum operam ſtudium-*

que collocasse diceretur in refellendis, quae contra sacrum Concilium in celebri vulgatoque libro scripta essent, cumque eximium aliquod Opus ab eo, singulari doctrina et eruditione refertum, exspectaretur; ecce tibi, ex tanta hominum exspectatione, quam de se concitauerat, tamquam ex parturientium montium aluo, vix paucae chartulae, veluti ridiculus mus, prodiere. Quam parum spei, de se conceptae, responderit Iohannes Capellanus, vir alioquin non mediocriter litteris tinctus, postquam poema suum de Puella Aurelianensi diuulgauerat, nota res omnibus et manifesta est. Praeclare PLINIVS *lib. IX. Epist. 35.* ad Oppium: *Diligentiam tuam in retractandis operibus valde probo. Est tamen aliquis modus: primum, quod nimia cura deterit magis, quam emendat: deinde quod nos a recentioribus reuocat, simulque nec absoluit priora, et inchoare posteriora non patitur.* Media igitur via est capessenda. Quemadmodum enim carbone notari debent, qui nimia celeritate, velis quasi remisque ad librorum suorum editionem properant, ideoque ad scopulos saepius alliduntur; sic ii quoque laudari nequeunt, quorum tam morosa est diligentia, vt sine fine premant suas lucubrationes, semper addentes aliquid, adimentes, vel immutantes, et hoc ipso peccantes maxime, quia nihil peccare volunt. Vid. ERASMVS in *Adagiis* titulo: *metus poenae p. m. 502.* et BAELII *Diction.* voce: *Linacer, nota F.*

§. VI.

Quarto iudicare de libro licebit ex *Auctoris aetate.* Adcuratiori plerumque diligentia elaborantur scripta illa, quae multi sudoris sunt, aetate adhuc integra viridique, quam in senectute, in qua et corporis vires se subducunt plane, et ingenium, euanescente calore naturali, simul tepescere solet. Augentur etiam negotia, corpori plus indulgemus, iudicio nimis

mis fidimus, ita, vt ſenes facti deſinamus minutius omnia et ſcrupuloſius perſcrutari, rectaque mentis trutina examinare. Maiorem animi ardorem obſeruamus in Lutheri ſcriptis, quae annis vigore florentibus compoſuerat, paullo poſt Reformationis initia, quam in iis, quae non ita longo ante mortem tempore publicauit. Si tamen quaedam iudicii vis in libro requiritur potiſſimum, tunc bene ſcripta iuuenilia ſunt reſpicienda, vbi illud raro eſt maturum ſubactumque. Vrget non nunquam impetus et ſcribendi pruritus, vt quae nondum ſatis ſumus praemeditati, proferamus in lucem: ex quo poſtea curae ſecundae, libri retractationum, emendationum, additionum, et ſimiles oriuntur. Mouerunt ea Mich. Ettmüllerum, celeberrimum ſuperiori ſaeculo apud Lipſienſes Medicum, vt non niſi prouectior aetate ad libros conficiendos adpelleret animum, intereaque temporis ſubſidia congereret, quae experientia diuturnior, Auctorumque plurium lectio ſubminiſtrant. Vid. *Acta Erud. Lat. a. 1685. p. 342.* Nicol. Leonicus Thomaeus etiam iuueniles libros de varia Hiſtoria ſeptuagenario maior, alia tamen ex cauſſa, edidit. Audiamus ipſum in *Epiſtola dedicatoria* ad Epiſcopum Dunelmenſem, Cutbertum Tonſtal! *Commentariolos*, ait, *de varia Hiſtoria, quos alias iuuenis admodum multiplici cum Graecorum, tum Latinorum lectione confeceram ſepoſueramque, nunc edendos excudendosue curaui: vt quando maturioris aetatis pleraque iam a me de omnimoda philoſophia exierunt opera ex Academicorum Peripateticorumque fontibus hauſta, haec quoque iuuenilia ſtudia noſtra ſua aliquando mercede non defraudarentur.* Quod conſilium vehementer probat BAELIVS, voce *Thomaeus*, vbi dicit: *Voilà un Auteur, qui eut la prudence, de n'expoſer pas au jugement du public les productions de ſa jeuneſſe, avant que de ſ'être aquis une grande réputation par les livres qu'il compoſa*

dans un âge plus avancé. Cette conduite est judicieuse. -- Il est constant, qu'au bout d'un certain dégré de reputation, les Auteurs trouvent du débit et de l'encens pour des Ouvrages mediocres, qui seroient siflez, si des inconnus les mettoient au jour. Sed hoc pacto decipiuntur lectores, nec semper res ex sententia auctoris cadit, vt ipse Baelius in sequentibus negare non audet. Dantur interim, quibus experientia velox ante pilos venit, quique iam in prima adolescentia ingenio acri, et scriptis bonis admirationem sui cuiuis eruditorum iniecerunt. Magnum illud litteratae rei publicae decus, Daniel Heinsius, anno aetatis decimo et octauo publice Latinos primum, deinde Graecos Auctores interpretatus est, teste ANTON. THYSIO in WITTENII *Memor. Philos. Decade VI. p. 176.* Salmasius, quum vix viginti annorum esset, Nilum, Archiepiscopum Thessalonicensem, et Barlaamum, Monachum, de primatu Papae cum versione Latina recensuit, notisque illustrauit, ac paullo post Florum foras dedit, adiectis obseruationibus et castigationibus. Hugo Grotius ante annum aetatis nonum versus elegantes fudit: Martiani Capellae, scriptoris difficillimi, Satyricon, seu de nuptiis Philologiae et Mercurii libros duos, ac de septem artibus liberalibus libros totidem, emendauit, et notis instruxit decimo quinto anno, quae iam rarius occurrit editio: sexto autem ac decimo supremos in vtroque Iure honores consequutus est. Cf. *Manes Hug. Grotii ab iniquis obtrectatoribus vindicati, p. 15. sq.* itemque *p. 665. sq.* et *p. 843.* Excusus est insignis liber ille *Delphis Batauorum*, seu *Lipsiae* potius, *a. 1727. in 8. mai. Partibus II.* Petrus Lambecius Prodromum lucubrationum criticarum in Gellii noctes Atticas decimo octauo aetatis anno composuit. Exstat in Bibliotheca Academica Ienensi libellus iste, cui sua manu sequentia inscripsit Lambecius: *Egregiae indolis et optimarum artium studiosissimo iuueni,*

Iohan-

Iohanni Plocio, primum hunc ingenii foetum, decimo octauo aetatis anno a se editum, donauit Petr. Lambecius, Hamburgensis. Iulio 1651. De Iohanne Meursio legimus apud WITTENIVM *l. c. Decade IV. p. 478.* quod ad Graecae linguae studium natura pronior vix tredecennis carmen Graecum condiderit: anno aetatis decimo sexto in Lycophronem, obscurissimum totius Graeciae poetam, commentari instituerit: decimo septimo autem in Theocriti Idyllia, post Henr. Stephanum, Isaac. Casaubonum, et Ioseph. Scaligerum, viros in litteris omnibus maximos, Spicilegium scripserit. Quare etiam Gillotius in *Epistola ad Meursium nec te*, inquit, *nec Grotium sileo, portentosi iuuenes ingenii, quod de Scaligero tunc iuuene, magnum Turnebum dicentem iuuenis audiui.* Addendi ex hoc saeculo Ioh. Guil. Hoffmannus, Historiarum quondam in Acad. Vitembergensi Professor, qui ea aetate iam scripta politissima edidit, qua plurimi alii vix perceperunt altiorum disciplinarum principia; itemque amplissimus vir, Gerard. Meermanus, hodie Rei publicae Roterodamensis Syndicus meritissimus, a quo, decem octoque annorum adolescente, perdoctam iustaque libri magnitudine conspicuam accepimus Diatribam antiquario-iuridicam, exhibentem non nullas de rebus mancipi et nec mancipi, earumque mancipatione, coniecturas, in Dissertationis inauguralis modum *Lugd. Bat. a. 1741. in 8. mai.* publice propositas. Adiunxit anno sequenti *ibid. eadem*que *forma* Specimen calculi fluxionalis, merito laudatum in *Actis Erud. Latinis a. 1743. p. 509. sq.* Cf. idem Diarium *a. 1742. p. 701. sq.* Plura exempla nolumus coaceruare, quum de eiusmodi, imo etiam puerorum, qui scriptis, vel doctrinae saltim laude, inclaruerunt, ingeniis singulares prostent libri et opuscula. Primus, data opera, hoc argumentum excoluit ADRIAN. BAILLETVS in *Traité historique des Enfans devenus celebres par leurs études,*

ou par leurs écrits. Parif. a. 1688. in 8. qui Tractatus recufus eft in noua editione Operis, *Jugemens des Savans* infcripti, de quo infra *Tomo II.* pluribus agetur.*) Poftea DAVID SCVLTETVS differtatione Academica, *Vitemb. a. 1702.* praefide Henr. Klaufingio defenfa, duos et quinquaginta *doctos praecoces* exhibuit, a Bailleto non memoratos. Idem omnem praecocium hiftoriam, qui vel a Bailleto aliisque, vel ab ipfo Auctore cum in Differt. adducta, tum poft eius editionem, detecti fuerant, ordine alphabetico exponere conftituit. Ea mente *Hamburgi a. 1708. in 8.* excufum eft lingua Germanica *Theatrum Iuuentutis eruditae*, (*Schau-Bühne der gelehrten Jugend*) cuius tamen *Scena* faltim *prima*, litteram A. continens, oculis fubiicitur. Reliquae, Auctore anno fequenti viuis erepto, non accefferunt. Eodem *a. 1708. Hamb. in 4.* prodiit IOH. CHRISTOPH. WOLFII *Orat.* inauguralis, Flensburgi recitata, *de praecocibus eruditis*, et alia *Flensburgi a. 1713. in 4.* a viro clariffimo, IOH. HENR. von SEELEN, edita, *qua Bailleti, Sculteti et Wolfii fcripta huius argumenti fupplentur.* Quae Oratio, vna cum *Paralipomenis*, recufa nunc exftat in illius *Mifcellaneis*, *P. II. art. 4. et 5.* Ex horum virorum Collectaneis integram *Bibliothecam eruditorum praecocium* adorna-

*) Adiunxit quoque Bailletus exempla eorum, qui exacta demum aetate ad ftudia litterarum accefferunt, quorum quum praetermififfet multa alia, SEBASTIANVS KORTHOLTVS, in Academia Kilonienfi Philofophiae moralis, Eloquentiae ac Poefeos Profeffor, *Diff. de ftudio fenili, feu viris doctis, qui ad ftudia litterarum fe tarde contulerunt, Kilon. 1701. in 4.* diuulgauit. Nota eft etiam DAN. GVIL. MOLLERI *de Opfimathia Diff. Altorf. 1694. 4.* et PETRI ADOLPHI BOYSEN *Comment. de viris eruditis, qui fero ad litteras admiffi, magnos in ftudiis fecerunt progreffus, Vitemb. 1711. 4.* Fuit talis eruditus ὀψιμαθής, vt hoc vnum exemplum ex hiftoria litteraria adferamus, Iuftus van den Vondel, Belgarum poeta, de quo vid. *Journal litteraire Tom. III. p. 195.*

ornauit, multosque articulos nouos addidit, IOH. KLEFEKER, grauiſſimus hodie Hamburgenſium Syndicus, ipſe ingeniis praecocibus adnumerandus. Lucem adſpexit liber ille *Hamb. a.1717. in 8.* meritoque laudatur in *der Neuen Hälliſchen Bibliothec, P. LIX. pag. 721. ſq.* Add. *Journal des Savans, a.1717. m. Sept. artic. I.* THEOD. CRVSII *Vergnügung müſſiger Stunden, Parte XIV.* et REIMMANNI *Catalogus Bibl. ſuae, Tomo II. p.512.* Sic etiam KORTHOLTVS, ſupra nominatus, *Diſſ.* Academicam *de puellis poetriis, in tenerrima aetate eruditis, et omiſſis a Bailleto, Kilon. a.1700. in 8.* GE. HENR. GOETZIVS *Elogia praecocium quorundam eruditorum Lubecae a.1709. in 8.* atque GE. LVDOVIC. GOLDNERVS *Diſſ. de ingeniis praecocibus Gerae a.1730. in 4.* ediderunt. De infante Lubecenſi, Chriſt. Henr. Heinecke, rariſſimo praecocis ingenii exemplo, ERNEST. LEOPOLD. FRIDERIC. BEHM eleganter commentatus eſt *Lubecae a.1725. in 4.* Accedit doctiſſimi von SEELEN *Relatio de eodem puero*, cuius et *Elogium* inſeruit ſecundae editioni *Selectorum litterariorum pag. 719. ſq.* Nec ſileri debet ſcriptum Germanicum CHRISTIANI a SCHOENEICH, hoc titulo, cum laudati SEELENII *Praefatione, Hamb. a.1726. in 8.* diuulgatum: *Merckwürdiges Ehren-Gedächtniß des weyland klugen und gelehrten Lübeckiſchen Kindes, C. H. Heinecken*, caet. Cf. *Bibliotheque German. T. IX. p. 206. ſq.* De Ioh. Phil. Baratier videatur *Nachricht von einem ſehr frühzeitig gelehrten Kinde, Sedini et Lipſ. a.1728. in 4.* IOH. PETRI a LVDEWIG *Hälliſche gelehrte Anzeigen, T. II. p. 91. ſq.* ERNEST. LVDOVIC. RATHLEF *Geſchichte ieztlebender Gelehrt. Parte II. p.521. ſq.* et praecipue *La vie de Mr. I. P. Baratier, par Mr.* FORMEY, *Vltraiecti a.1742. in 8.* Addidit COLERVS in *Analectis ad Struuium*, rarum eſſe libellum, et forte in Germania non niſi in Bibliotheca Regia Berolinenſi obuium, cuius inſcriptio: *Oeuvres diverſes d'un*

Auteur de sept ans, eamque in rem prouocauit ad *Nouvelles de la Republique des Lettr. m. Fevr. a. 1685.* Caeterum Venerabilis GOETTENIVS in *dem ieztlebend. gelehrt. Europa Tomo I. p. 207.* inter ſcripta Kortholti retulit librum *de pueris doctis, a Bailleto omiſſis, Kilon. a. 1703.* typis impreſſum. Et recte ſe haec habere, credi facile poſſet, ſi quis *Noua litteraria Maris Balthici a. 1704. m. Maio, p. 153.* inſpexerit, quo loco ita diſſerunt Auctores: *Sub prelo ſudat Sebaſt. Kortholti, Profeſſoris Academiae Kilonienſis*, Ανδρόπαις *i. e. puer doctus, ſiue de praecocibus eruditis, ab Adr. Bailleto in ſcripto eiusdem argumenti omiſſis, liber. Accedit altera editio opuſculi de puellis, a tenerrima aetate litteratis, itemque* ὀψιμαθὴς *i. e. diſcipulus ſenex, ſiue Diſſ. de viris illuſtribus, qui ad ſtudia ſe tarde contulerunt. In praefatione, quae lucem iam adſpexit, Auctor ait, litteras nuper Pariſiis datas ſe docuiſſe, Bailletum alteram opuſculi ſui de pueris doctis editionem haud publicaturum, quocirca laborem ſuum ante plures annos promiſſum luci exponat. Monſtrat autem errores, a Bailleto dicto libro commiſſos.* Quumque liber nondum prodiret, rationem huius morae reddunt eadem *Noua litteraria m. Decembri a. 1705. p. 374.* verbis, quae ſequuntur: *Stare his promiſſis non potuit, quod occupationum multitudo non ſinit pertexere telam, quam dudum exorſus eſt. Iam vero trecentos pueros doctos a ſe collectos poſt Bailletum luci publicae exponit. Quibus adiunget Diſſertationes iam publicatas, quarum iamiam iniecimus mentionem.* Sed partim ANCILLONIVS *en Memoires concernant les vies et les ouvrages des pluſieurs modernes, celebres dans la Republique des Lettres, p. 279.* iſthunc de pueris doctis librum editum eſſe negat, partim ipſe KORTHOLTVS in *litteris ad La Crozium*, a. 1719, adeoque duobus luſtris poſt Ancillonii Vitas ſcriptis, diſerte profitetur, ſe adhuc publicaturum eſſe illam Commentationem. Vid. *Theſaurus epiſtolicus La Crozianus*

Tomo

Tomo I. p. 215. Id vero ad hunc vsque diem factum non esse, constat.

§. VII.

Quintum de libro iudicium suppeditabit *scriptoris patria.* Non enim omnis tellus eadem ingenia fert, belleque BARTHOLINVS *de libris legendis, Diss. II. p. 43. edit. Meuschen. in historiis,* inquit, *satyrisque conscribendis non nulli felicius versantur. Alii artes mechanicas bellandique gloriam praeferunt. Mathematica hi sectantur genii quadam inclinatione, illi sacra, medicinam isti, plures amoeniora studia, alii per experimenta naturam venantur, alii ratione, singulae nationes suo modo Palladi procantur. Cuiusque Auctoris genium, si in vniuersum consideremus, saeculum et patria prodit.* LVSITANI mercaturae faciendae potissimum intenti pauca olim in litterarum studiis praestiterunt, si ICtos quosdam, v. g. Anton. Goueanum, Eman. Costam, Ariam Pinellum, et Ioh. Garciam, qui satis illustres sunt, exceperis. Ampliss. OTTO in *Notit. Rerum publ. Cap. V. §. 15. p. 359. edit. quartae Belgicae.* Imperante tamen Iohanne V. institutae sunt Academiae litteratae, de quibus alio loco, hisque effectum est, vt nunc maiori feruore Musarum castra sequantur, eorum licet conatus parum adhuc genio saeculi respondeant. Exempla vide in *den Hamburg. freyen Vrtheilen a. 1753. p. 313. sq.* et *p. 376. in fine.* Maxime placet iis studium historicum, quod complures libri, in hac eruditionis parte editi, luculenter comprobant. Cf. *Biblioth. historica Struuio-Buderiana, Tomo I. p. 233. sq.* item RATHLEFII *Geschichte ietzlebend. Gelehrt. Parte VIII. p. 241. sq.* In poesi etiam Latina inclaruerunt, vt ex *Corpore* perspicitur *illustrium Poetarum Lusitanorum, qui Latine scripserunt.* Prodiere *duo,* quantum sciamus, Operis huius *Volumina Lisbonae a. 1745. in 4.* studio Patris MONTEIRI, qui post primi colle-

ctoris mortem, ANTONII ſcilicet des REYS, incitatus ab ipſo Rege plura promiſit. Adiunctae ſunt Poetarum iſtorum vitae. Cf. *Goetting. gel. Zeit. a. 1749. p. 947.* Diſciplinas philoſophicas vix mediocriter intelligunt propter praeciſam ſentiendi libertatem. Add. *die Hamb. freyen Vrtheile dicto a. 1753. p. 348.* vbi de Logica Abbatis Verneii, a ſtulto quodam Luſitano perperam exploſa. HISPANIS magna eſt imaginationis vis, ſed eadem non aeque naturalis et facilis, neque eadem apte cogitandi atque dicendi facultate conſpicua, abſtruſior paullisper atque affectatior, ad grandiloquentiam quippe et ampullas magis, quam natiuam dictionis fertilitatem atque amoenam iucunditatem prona, flumini profundo quidem, ſed non ſatis limpido et claro, quin turbido potius, ſimilior, eademque non tam ingenii luminibus blande micans, quam aeſtu potius vltra modum feruens, flammisque voracibus vndique ſaeuiens, quae DAN. MAICHELII verba ſunt in *Diſſ. de ingenio Gallorum, Tubingae 1736. 4. p. 10.* In Philoſophia Scholaſticos amant: vltra non ſapiunt. Potiſſimum apud eos diſciplina, quae ad mores emendandos facit, in pretio eſt. In Theologicis nimis ſunt creduli, rarius polemici, ob inquiſitoris haereticae prauitatis fulmina, interim caſibus proponendis admodum delectantur. A Iurisprudentiae ſtudio eos nunquam fuiſſe alienos, luculenter docet GER. ERN. de FRANCKENAV in *Sacris Themidis Hiſpanae arcanis, Hanouerae 1703. 4.* meritoque praeclaris inſeri debent ingeniis Anton. Auguſtinus, Ioh. Suarez de Mendoza, Ioh. Franc. Ramos, Anton Perez, et Gregor. Maianſius. Caeterorum e contrario praecipua plerumque ars eſt, aliorum ſcrinia compilare, magnaque Volumina paucis rebus implere. Hanc tamen et alias ſcientias *Graeca Latinaque eruditione mitigari indignantur, putantque hoc modo fucum addi, quo virilium litterarum lineamenta elangueant*, vt loquitur BARCLAIVS

CLAIVS in *Icone animor. Cap. VII. p. m. 196. edit. Grabeneri.* Ad hiſtoriam quoque Conciliorum ſuas non nulli ſymbolas contulerunt, pluresque ad ciuilem gentis hiſtoriam, quam e. g. Ambroſius de Morales, Ioh. Mariana, Hiſpanorum Liuius, Stephan. de Garibay, et Hieron. Zurita feliciter excoluere. In litteris autem elegantioribus fere ſunt hoſpites. De Latina lingua, apud ciues ſuos neglecta, ita ſcribit vir doctiſſimus, EMANVEL MARTINI, in *Epiſtolis, Mantuae Carpetan. a. 1735. in 8.* editis, *T. II. p. 56: Latine loqui, inſanire eſt. Si admirationi eſſe cupis, famaque vigere, tertio quoque verbo ſoloeciſmi atque ſtribiligines effutiendae ſunt. Hac via itur ad immortalitatem. Caetera omnia quisquiliae, ac merae nugae. Quo fit, vt ſi aliquando in eas anguſtias deuenerint, vt vel tria verba Latine proferre debeant, huc illuc in caſſum ſe verſent, tamquam mus in matella.* Plura eiusmodi loca ſilentio praeterimus. Quid de poetis Hiſpanorum ſentiat MVRETVS, videmus in *Epiſtolis* eius *lib. II. Epiſt. 10. Praecipue,* ait, *et Romani ſermonis elegantiam contaminarunt, et cum inflatum quoddam, et tumidum, et gentis ſuae moribus congruens inuexiſſent orationis genus, auerterunt exemplo ſuo caeteros a recta illa et ſimplici, in qua praecipua poetarum laus eſt, et in quam ſuperiores omni ſtudio incubuerant, imitatione naturae.* Noui etiam libri eorum plerumque veteris ſcholae ſtercus redolent, et maiorum ineptias proponunt. Vno vt rem omnem verbo expediamus, pauciſſimi ſunt Martini apud Hiſpanos, pauciſſimi Maianſii, cuius inopiae cauſſam indicat celeberrimus HEVMANNVS in *Conſp. Reipubl. litt. cap. IV. p. 198. edit. nouiſſ.* ſcilicet tam parum temporis tribui litteris, vt ſingulis annis Profeſſores Academici, quorum ingens eſt multitudo, inde a Paſchate vsque ad exitum menſis Octobris ſcholas ſuas habeant clauſas. Quae iuuenes igitur Muſis addicti didicerunt per hiemem, ea rurſus aeſtate conſequenti dedi-

dediſcunt. Cf. ad hoc argumentum GVNDLINGIVS in *Otiis P. I. cap. 1. p. 48. ſq.* SALOM. IAC. MORGENSTERNII *Neueſte Staats-Geographie, Ienae 1735. in 8. p. 376. ſq.* IOH. ANDR. BOSIVS in *Notit. imperii Hiſpanici, Sect. III. cap. 1. p. 72.* itemque NICOL. ANTONIVS in *Praefat. de Hiſpanorum doctrina, Bibliothecae Hiſpanae* praefixa, vbi tamen patriae amori nimium dediſſe videtur. Generatim autem de iudicio ex ſcriptoris patria legi poſſunt non ſine fructu HEVMANNVS in *Actis Philoſoph. T. I. p. 633. ſq.* ac *T. III. p. 817. ſq.* BAILLETVS in *Jugemens des Savans T. I. cap. 7.* IOH. GVIL. BERGERVS in erudita *Praefat. Commentarii de naturali pulchritud. orationis*, ac denique COLERVS in *Diſſ. Analectis* eius ad *Introductionem Struuianam* olim adiecta *de praeſenti rei litt. ſtatu §. IV. ſq. p. 186.* Nec tamen negandum eſt, quod IVVENALIS *Sat. X. v. 50.* ſapienter canit:

Summos poſſe viros, et magna exempla daturos
Veruecum in patria, craſſoque ſub aëre naſci.

Quam in ſententiam Seneca quoque cenſet *Ep. LXVI.* poſſe ex caſa virum magnum exire.

§. VIII.

Apud GALLOS vltra ſaeculi ſpatium litterae florent, quum regali munificentia ita ſint excultae, vt paucae diſciplinae reſtent, in quibus illi non ſingulare quidpiam praeſtiterint. Vix numerari poſſunt gentis huius eruditi; in plurimis tamen ſolida et exquiſita doctrina deſideratur. Excelluerunt adhuc, et reliquis nationibus palmam praeripuerunt fere, in ſtudiis elegantioribus, edito cumulo ſcriptorum, quae magno ſunt vſui. Quantum ad eruendas Antiquitates Francicas contulerint Pithoeorum, Baluzii, Mabillonii, Montfauconii aliorumque labores, in propatulo eſt. Graecas item Romanasque Antiquitates excellenter

eos illustrasse optime docet multorum Tomorum Opus, *Histoire de l'Academie roiale des Inscript. et des belles lettres*, nec non MONTFAVCONII *l'Antiquité expliquée et representée en figures.* De priscis Auctoribus, quos vulgo classicos dicimus, varii praeclare sunt promeriti. Pertinent huc Lucretius Lambini, Solinus Salmasii, stupendae eruditionis Opus, quamquam multa quoque in hac editione vituperari possunt, Ouidii Epistolae Heroidum, Gallico Bachetii commentario explanatae, Persius Casauboni, et Plinii Historia naturalis, in vsum Delphini ab Harduino luci exposita, de qua tamen editione vid. *Lettre d'un Professeur de l'Université de Paris* (quem CREVIERIVM esse constat) *sur le Pline du P. Hardouin, à Paris 1725. 4.* quam Epistolam criticam recensent ex *Histoire litteraire de l'Europe a. 1726. m. Mart. art. 3. die Leipz. gel. Zeitung. a. 1726. p. 370. sq.* Obiicitur ei inter alia plagium, ex MSto quodam, a Guil. Pellicerio, Episcopo Montis Pessulani, Collegio Ludouiciano Societatis Iesu legato. STRVVIVS olim scripsit, pleraque eum ex Cossartii MSto, cui per plures annos insudauerit, desumsisse, quae vnde acceperit Auctor noster, nescire se fatetur FABRICIVS in *Biblioth. Lat. Vol. II. p. 617.* Interim haec ipsa Plinii editio omnium, quotquot in vsum Delphini prodierunt, longe est praestantissima. Reliquis enim editores splendorem potius addiderunt, quam notas, quarum plurimas Germani scriptores sibi vindicabunt, vel Belgae. Cf. Celeb. virorum, IOH. GE. WALCHII *Histor. critica Lat. linguae p. 472. sq. edit. nouae*, et HEVMANNI *Consp. Reipubl. litt. Cap. VI. §. 23. p. m. 354.* Excellunt quoque Galli in Poesi Latina, (quod vel Petri Iusti Sautelii, Ioh. Bapt. Santolii, ac Renati Rapini probari exemplis potest,) non aeque in oratione soluta, quum linguae vernaculae maiestatem euehentes parum curare soleant Latini sermonis elegantiam. In eloquentia vero patria, siue sacra,

siue

ſiue politica, quamquam argumentorum pondere ſuperantur ab Anglis, iam pridem caput extulerunt, adeo quidem, vt nati ad eam factique videantur. Quis ignorat clariſſima Boſſueti, Flechierii, Ludouici Bourdaloüe, Caroli de la Rüe, vt alios taceamus, nomina? Natiuum pariter epiſtolas conſcribendi modum optime callent, dignusque eſt eorum ſtilus, quem Germani ſedulo imitentur. In philoſophicis ſtudiis et mathematicis non pauci vires experiuntur, Phyſicam tamen experimentalem, Architecturam militarem, atque Mechanica felicius excoluerunt, quam caeteras huius campi partes. Raro enim in ſubeundis laboribus difficilioribus multa vti patientia ſolent. In Theologia Scholaſticorum auerſantur methodum, et Codicis ſacri verba interpretantur potius atque excutiunt, eademque variis obſeruationibus criticis illuſtrant, quod et in Iurisprudentia ciuili eos olim feciſſe, ſcripta Cuiacii, Mornacii, Pithoeorum, Hotmani, Merillii, Briſſonii, Petri Fabri, Balduini, Marani, aliorumque teſtantur, quibus carere nequit ICtus elegantioris ingenii. Hodie practica magis amant Galli, nec inuenietur facile inter eos, qui laudatorum virorum ſequi exemplum ſtudeat. Ius Canonicum multum debet eorum induſtriae, primique ſunt, qui de generali Conciliorum collectione fuere ſolliciti. Vid. omnino *Traité de l'étude des Conciles et de leurs Collections, par* FR. SALMON *à Paris 1724. in 4.* et *Lipſiae 1726. in 8.* de quo libro plura dixit COLERVS in *der auserleſenen theol. Biblioth. Tomo II. pag. 496. ſq.* In re medica anatomicam artem atque chirurgicam praecipue ſibi commendatam habent. Praeſtantiſſimis ſplendidiſſimisque Patrum Eccleſiae editionibus immortalem laudem conſequuti ſunt Monachi Benedictini. Cf. IOH. FRANC. BVDDEI *Iſagoge hiſtor. theolog. p. 590. ſq.* Neque hiſtoriam eccleſiaſticam neglexerunt, notumque eſt omnibus, quantum Pontificis

ficis Romani auctoritatem scriptis suis imminuerint, et pro Gallicae Ecclesiae propugnauerint libertate. Cf. illustris OTTONIS *Notit. Rerumpublic. Cap. II. §. 36. p. 178. sq. quartae edit. Belgicae.* Alias vero nimii sunt in defendendis scriptoribus supposititiis. Ad profanam quod attinet historiam, Byzantina certe a solis Gallis ornamentum suum accepit. In patria historia, de qua supra decem ac septem scriptorum millia recenset le LONG in *Biblioth. histor. de la France,* maiori integritate exposuerunt antiquam, quam recentiorem. In hac enim illud agunt potissimum, vt, posthabitis reliquis, suum regnum, tamquam omnibus aliis leges praescribens, laudibus ad coelum extollant. Plerique igitur non veri historici, sed adulatores dicendi sunt, qui facta Regum suorum sine discrimine celebrant, vitia reticent callide, vel colorem iis inducunt. Ex horum tamen numero eximendi sunt iure Thuanus, de Mezerai, Gabr. Daniel, viri hoc in studio plane egregii. Scripta historica minora, qualia apud eos quotidie eduntur, multum saepe redolent ingenii, lectoresque voluptate adficiunt. Iudicii autem vis ex paucis elucet, quumque haud adeo adcurate res gestas commemorent, libellis hisce non semper habere fidem debemus. Sic et in aliis, quae conficiunt, opusculis seueram tetricamque disciplinam defugiunt, eo contendentes duntaxat, vt festiuitate ingeniosa placeant. Sua lingua eiusmodi characterem vocant *un bel-Esprit*, quo nomine plerumque intelligitur, quicquid in cogitationibus facile est, delicatum atque acutum. Cf. supra adducta MAICHELII *de ingenio Gallorum Dissertatio.* Plus iusto tamen tales amant elegantias, aliosque populos, grauiora tractantes, contemnunt, et viles quasi pullos credunt, natos infelicibus ouis. De Germanis saltim crebro vsurparunt olim ignominiosum prouerbium: *Les Allemands sont toûjours Allemands;* qua de re infra *§. XIII.* fusius differemus.

§. IX.

§. IX.

Raros fuiſſe ſcriptores in *Anglia* ante Franc. Baconis de Verulamio aetatem, communis quondam opinio fuit; ſed contrarium patet ex Balei, et, qui hunc exſcripſit, Pitſei Catalogo Scriptorum Anglicorum. Cf. omnino BENTHEMII *Engliſcher Kirch-vnd Schulen-Staat, Cap. XXIX. p. 786. ſq. edit. nouiſſ.* vbi a ſaeculo poſt Chr. natum quarto Angliae eruditos recenſet. Id certum tamen, ſaeculo demum XVI. ſub Henrici VIII, Regis litterarum amantiſſimi, imperio, Muſas colla leuaſſe, et in fortunatiſſima hac Inſula viros produxiſſe omni doctrina ornatiſſimos. Speciatim in Theologia moralem, exegeticam et aſceticam prae caeteris illuſtrarunt. Hiſtoriam atque Antiquitates veteris Eccleſiae in deliciis habent, multumque praeſtiterunt in vtroque ſtudio. In Philoſophia item naturali et Matheſi pro ingenio ſuo, quod ad omnem ſubtilitatem, diligentiamque incredibilem pronum eſt, veluti in fundo ſuo dominantur. Hinc recte iudicat COLERVS in *Diſſ. de praeſ. rei litt. ſtatu, §. IX. p. 195. Analectorum ad Struuium* his verbis: *Non errabo forte, ſi dixero, duo praeſertim ſtudiorum genera quam maxime florere apud Britannos, nempe partim ſtudium profundarum ſpeculationum, praecipue ad phyſicam et matheſin pertinentium, partim hiſtoriae eccleſiaſticae, ſcriptorumque eccleſiaſticorum ſtudium. Vtriusque doctrinae gloria haud dubie inſigniter excellunt Britanni.* Probari haec facile poſſunt Vſſerii, Dodwelli, Cauei, Binghamii; porro Thom. Burneti, Rob. Boyle, Guil. Derhami, Barrouii, Iſaaci Neutoni, Ioh. Walliſii, Ioh. Flamſteedii, Ioh. Keillii, et aliorum plurium exemplo. In Iurisprudentia cedunt Angli aliis nationibus, non item in arte medica, quam permulti ornarunt egregie, v. g. Guil. Haruaeus, Thomas Wharton, Guil. Cowperus, Rich. Lowerus, Thom. Walliſius, Guil. Briggs, caet. Satis quoque notum eſt, quantum debeat

beat Medicorum Ordo Societati Scientiarum Regiae, cuius membra variis experimentis interiora naturae indagarunt. Philologorum praeclariſſimorum ingens ex hoc populo cultiſſimo caterua poſſet produci. Graecas maxime litteras florere inter eos, iam olim SCHVRZFLEISCHIVS obſeruauit. Ita enim ille *Epiſtol. arcanar. Tomo I. Epiſt. 194. p. 320. Paucos*, inquit, *vidi Anglos, qui Latine ſciant, qui pure ſcribant, qui ſcite componant, ſed Graecam linguam exacte calent, et rationes formasque omnes exquiſite norunt. Vſu meo didici, et miratus ſum morem, ab ingeniis multo limatiſſimis abhorrentem.* Idque tot antiquorum Scriptorum editiones, in Anglia adornatae, quibus meliores nondum exſtant, luculentis comprobant argumentis. Pertinent huc Ioh. Hudſoni Dionyſius Halicarnaſſenſis; Ariſtidis Opera omnia, ex editione Sam. Iebb; Homerus et Euripides Ioſuae Barneſii; idem Homerus Sam. Clarkii, patris ac filii; Eduardi Wells Opera Xenophontis; Lycophron et Clemens Alexandrinus Ioh. Potteri; Pindarus Rich. Weſtii et Rob. Welſtedii; Aeſchylus Thomae Stanleii; Longinus Zach. Pearce; Lyſiae orationes et fragmenta editore Ioh. Taylor; Philo Iudaeus Thomae Mangey. Ex editionibus Latii veteris Auctorum hic nominari cum primis debent Iulius Caeſar Sam. Clarkii patris; Horatius atque Manilius Richardi Bentleii. In eruditione orientali praeclara Anglorum eſſe merita, breui Diſſertatione euincere ſtuduit. Ioh. Frid. Pyrethro, ſub quo nomine latet IOH. FRID. BERTRAMVS, Theologus quondam Friſiae orientalis, in PEZOLDI *Miſcellaneis Lipſ. Tomo XI. p. 149. ſq.* Denuo prodiit haec ipſa *Diſſertatio*, mutata paſſim et aucta, *Hal. Magd. a. 1722. in 4.* Hiſtoriae ciuili tantum curae non tribuunt, vt eccleſiaſticae; nec deſunt tamen Miltoni, Verulamii, Camdeni, Echardi et ſimiles, qui plerumque ſunt adcurati. Stilo vtuntur Aſiatico, qui

diſtrahit ſaepe lectorem. Ad hiſtoriam litterariam plures propitia Minerua acceſſerunt, exemploque eſſe queunt Woodii, Smithi, Princii, Maittairii, Wardii, Caſleii. Artis oratoriae peritiſſimi ſunt, ſolique inter hodiernos Europae populos, qui Graecos Romanosque veteres in dicendo ante oculos ſibi ponunt et adſequuntur. Quae enim in aliis regionibus habentur orationes, eae comtae quidem ac teretes ſunt, ſed ſine neruis, et quum deſit libertas loquendi, ob ſolas elegantias et acumina commendantur. At orationes Anglicae, quae in illuſtriſſimo regni Senatu enuntiantur, ad antiquitatis exemplum ſunt expreſſae: nam res maximi momenti continent, et non ſecus ac Graecae Romanaeque ad ſtatum rei publicae ſpectant. Non igitur flumine conturbantur inanium verborum, nec ſubtilitate ſententiarum, Oratores Anglici, neque id opus eſt, quum ſiccitate orationis haud laborent, adeoque ſola Anglia veros hodie oratores alit. Iſta etiam linguae vbertas, cum ſublimi Anglorum indole coniuncta, excellentiſſima peperit poemata heroica, et poſt Homerum ſane Virgiliumque nemo eſt, qui Miltonum ac Popium in hoc ſcribendi genere ſuperauerit. Cf. *Eſſai de la Poëſie dans les Oeuvres melées du Chevalier Temple, à Vtrecht 1693. in 12. p. 393. ſq.* In Comoediis autem Gallos non exaequant, quum profundis meditationibus addictiſſimis feſtiuitas deſit, quae anima eſt Comoediae. Ingentem tamen exiſtimationem Dramatica Poeſis conciliauit Ioh. Drydeno, de quo legi debent *Acta Erud. Lat. a. 1702. p. 34.* et *die neuen Erweiterungen der Erkenntniß und des Vergnügens, Lipſ. 1753. in 4. Parte I. artic. 8.* Caeterum, nulla eſt gens, quae minus in praeiudiciis haereat, quam Angli: nam cerebrum eorum eſt veluti tabula raſa, cui facile poteſt imprimi, quicquid a ratione ac ſano ſenſu non abhorret, quum e contrario vſus et conſuetudo aliis gentibus plerisque

tam

tam crudeliter dominetur, vt non inique altera dici natura debeat. Si v. g. de veritate alicuius dogmatis conuincere Hiſpanum velis, neceſſe eſt, vt inueteratas prius opiniones funditus tollas. Angli vero facile arripiunt, examinant, amplectuntur ac palam docent, quicquid inſolitum audiunt. Hinc iſta opinionum diuerſitas in rebus tam ſacris, quam politicis et moralibus. Nil credunt Angli, niſi quod capiunt, quod autem capiunt, libere profitentur. Quumque libertas cogitandi nullis circumſcripta ſit legibus, quotidie ſententias nouas, paradoxas et improbabiles expromunt. Quae certa eſt cauſſa, cur apud Anglos tot Athei reperiantur, quot alibi ſunt ſimulatores pietatis. Vid. illuſtris HOLBERGIVS in *Opuſc. Latinis*, *Epiſt. III. p. 110. ſq.* et *Epiſt. I. p. 34. ſq.* Add. ANDR. ADAMI HOCHSTETTERI *Orat. de vtilit. peregrinationis Anglicanae*, *Tubingae 1697. in 4.* KÜCHELBECKERI *allerneueſte Nachricht vom Königreich Engelland*, *Cap. XXV. p. 230. ſq.* MVRALTI *Lettres ſur les Anglois et François*, *et ſur les voyages*, *à Geneve 1725. 8.* qui libellus *eodem* adhuc *anno* recuſus eſt in Belgio. Singularia ſunt, quae de Auctore adferuntur in *Biblioth. Françoiſe*, *Tomo IV. Parte 2. artic. 5.* Contra eius dicta *Pariſ. a. 1726. in 12.* prodiit *La défenſe des Anglois et des François*, *ou la refutation des Lettres du Gentil homme Suiſſe*, *ſur les Anglois et les François et ſur les voyages*, *avec une apologie de la ſixieme Satyre de Mr. Deſpreaux*, *que l'Auteur Suiſſe a critiquée.*

§. X.

De ITALORVM ſtudiis litterariis conferatur ſummatim HYACINTHVS GIMMA in *Hiſtoria Italiae litteratae*, quod Opus *Neapoli a. 1723. Tomis II. in 4.* Italice excuſum. In Theologia ad extremum vsque ſuperſtitioſi ſunt, rarique his temporibus Quirini, qui et acutius vident, et veritatem impauide profitentur.

Maxime ibi defideratur Ebraicarum Graecarumque litterarum notitia. Iefuitae, qui reliquis Ordinibus facris effe doctiores folent, Thomae de Aquino et S. Auguftino plus faepe, quam libris diuinis, tribuunt. Hiftoriam Italorum ecclefiafticam fictorum potius miraculorum dixeris hiftoriam. Optimum, quantum fciamus, Opus eft FERD. VGHELLI *Italia facra*, recufum auctius apud *Venetos a. 1717. fq.* Iurisprudentiam ciuilem haud inuita tractarunt Themide, primumque inter eos, elegantiores litteras cum hoc iungens ftudio, priftinum iuri Romano nitorem reftituit Andr. Alciatus, quem poftea fequuti funt Guidus Pancirolus, Marc. Aurel. Galuanus, Ianus Vincent. Grauina, Iofeph. Aueranius, M. Auguftin. Campianus, et, qui hodie patriam fuam mirifice ornat, Iofeph. Aurel. de Ianuario. Iurisprudentiae etiam criminali operam dederunt, eorumque inftitutis Germani noftri olim vfi funt faepiffime, quum tamen tot Rotae Decifiones, ad particulares quasdam conftitutiones directae, parum prudenter adcurateque ad iudicia Germanorum adcommodentur. In re medica praeclare illuftrarunt Anatomiam, meritoque fuperbiunt Paul. Sarpio, Marcello Malpighio, Matthaeo Realdo Columbo, Gabr. Fallopio, Hier. Fabricio ab Aquapendente, Barthol. Euftachio, Ioh. Maria Lancifio, et Ioh. Baptifta Morgagno. Cf. *der Neue Bücher-Saal der gelehrten Welt, Tomo II. P. 19. p. 453. fq.* et BARTHOL. CORTII *Notit. Scriptor. medicor. Mediolan. et de inuentis praecipuis Italorum in Medicina, Mediolani a. 1718. in 4. Italice.* Philofophia parum fani coloris habet, nec facile efflorefcere poteft in regione, vbi facra Inquifitionis tribunalia compedes ingeniis nectunt. De fola Philofophia ciuili optime promeriti funt Itali, quo in ftudio Taciti cum primis, patris quafi Politicorum, praecepta in fuccum et fanguinem conuerterunt. Norunt omnes, quid praefti-

praeſtiterint Nic. Machiauellus, Ioh. Boterus, Frid. Bonauentura, Traianus Boccalini. In Machiauelli quidem ſcriptis horrenda opinionum monſtra obſeruaſſe ſe crediderunt quam plurimi; ſed cauſſam Florentini huius probi honeſtique dexterrime egit V. C. IOH. FRID. CHRISTIVS in *Libris III. de Nicol. Machiauello*, *Halae Magd. a. 1731. in 4.* editis. Mathematicae diſciplinae pulcherrimas debent acceſſiones Ignatio Dantes, Galilaeo Galilaei, Ioh. Bapt. Ricciolo, Ioh. Dominico Caſſino, ac Dominico Guilielmino. Hiſtoriam quoque ciuilem haud reliquerunt intactam, multique horum ſcriptorum magni aeſtimantur, e. g. Victorius Sirus, quamquam nec deſunt inter Italos, quorum fides et integritas ſuſpecta eſt, vel quod nimios agunt praecones, vel quod calamum habuerunt venalem. Iam olim ita iudicauit BARCLAIVS in *Icone animor. Cap. VI. circa finem*, vbi ſic *quid de Italicis*, inquit, *Hiſtoriae ſcriptoribus dicam*, *iſtis quidem ſincera prudentia victuris*, *illis autem tantum nimia eloquentia*, *et partium fauore*, *peccantibus?* In colligendis rerum Italicarum ſcriptoribus, a ſaeculo V. vſque ad ſaeculum XV. claris, aeternam ſibi laudem pepererunt Ludouic. Ant. Muratorius et Philipp. Argelatus. Litterariam hiſtoriam amplificarunt Itali Operibus vtiliſſimis, at non tanto, vt aliae gentes, feruore. In Antiquitatibus eruendis illuſtrandisque eo ſunt alacriores, quo frequentius ipſa, quam poſſident, terra ad hoc eosdem ſtudium inuitat. Rei item numiſmaticae haud parum decoris attulerunt, quod vel ex ſolis variorum illuſtrium virorum de monetis Italiae Diſſertationibus, *Mediol. a. 1750. Partibus III. in f.* a laudato Argelato exhibitis, cognoſci facile poteſt. Humaniores litteras, poſt tot barbarorum ſaeculorum decurſum, primus omni Europae reſtituit Franc. Petrarcha, Florentinus, recte reflorescentis eloquentiae princeps vocatus ab ERASMO in *Ciceroniano p. m. 155.*

Complures deinde viri doctiſſimi prodierunt ibidem, qui elegantia et munditia orationis Latinae, cum ſolutae, tum adligatae metris, priſcorum Auctorum monumenta quam diligentiſſime imitati ſunt. Quod ſi quis vocare in dubium voluerit, eum ne audiuiſſe quidem oportet celeberrima nomina Politianorum, Bemborum, Paleariorum, Manutiorum, Maioragiorum, Caſarum, Folietarum, Ferrariorum, Grauinarum, Flaminiorum, Palingeniorum, Sannazariorum, Vidarum, Molſarum, caet. Hac noſtra tamen tempeſtate, quamquam nondum interierint penitus in Italia eae litterae, quae tantum ipſi olim ornamenti conciliarunt, rarius illarum inueniuntur cultores, et propugnatores ſatis idonei. Non multi certe ſunt ibidem Facciolati, Paullini a S. Ioſepho, et Ianuarii.*) Patriam poeſin expoliuit Torquatus Taſſus, cuius poema heroicum, varias in linguas tranſlatum, inſcriptum eſt *Gieruſaleme liberata.* Paſtoralia, genus Eclogarum dramaticum, quod ignorarunt veteres, primus ſaeculo XVI. induxit Auguſtin. Beccari, Ferrarienſis, cuius deinceps veſtigiis proſpero ſucceſſu ingreſſus eſt ciuis eius, Ioh. Bapt. Guarini. Fabularum, quae muſicis decantantur modis, machinisque decorantur, *(der Opern)* auctor fuit, vel inſtaurator ſaltim, Horatius Vecchi, Mutinenſis, quem aemulatus eſt Octauius Rinuccini, Florentinus. Vid. celeberrimi GOTTSCHEDII *critiſche Dichtkunſt*, *P. II. cap.* 12. §. 3. *p.* 754. *ſq. edit. tertiae.* Alia tamen legimus in ERYTHRAEI *Pinacoth. imaginum*, *P. I. pag. m.* 61. vbi haec memorat vir elegans: *Veterem ac multorum ſaeculorum ſpatio intermiſſum Comoedias et Tragoedias in ſcenis ad tibias vel fides decantandi morem reuocauit magna ex parte Octauius Rinuccinus, nobilis poeta Florentinus: quamquam hanc ſibi laudem vindicare videatur*

Aemil.

*) Vid. de politiſſimo Ianuario illuſtris MENCKENII *Epiſtola* luculenta, *Reipublicae ICtorum* praemiſſa.

Aemil. Cauelerius, patricius Romanus, ac musicus elegantissimus; qui paucis ante annis dramatibus aliquot modos fecerat, perfeceratque, vt ab histrionibus musicis agerentur: verum tum dramatum argumentis, tum scenarum apparatu, tum actorum nobilitate, ita Octauii splendor Aemilianae laudis luminibus officit, vt solus ille hunc morem, iam diu intermissum, reuocasse videatur. Non est spatium ad examinandam eam diiudicandamque dissensionem: sufficit nobis, saluam hanc Italorum ingeniis gloriam manere. Iisdem debetur carminum Madrigalicorum et Sonetticorum inuentio. Cf. IVL. CAES. BECELLI Tract. Italica *de recentiori arte poetica, h. e. de vero genere et singularibus Poetices Italicae elegantiis, Veronae a. 1732. in 4.* quam breuiter recensent *Acta Erud. Lat. a. 1740. p. 281. sq.* Non nunquam tamen amori erga patriam Auctor tribuisse nimium videtur. In vetustioribus Architecturae praesidiis principatum obtinent Transalpini, non quod aliarum gentium viris eruditis scientia et leges artis desunt, sed quoniam Itali quodam nascendi beneficio tales incolunt regiones, quo omnis Graecorum ars ac terrarum orbis elegantia olim confluxerat. Inde fit, vt, quum stipati velut et circumscripti sint Amphitheatrorum, balneorum, templorum, aliarumque aedium, ruinis, multo rectius, quam exteri, de situ, conuenientia partium, quibusdam anaglyphicis operibus, et marmorum indole, iudicare, priscamque aedificiorum imaginem, hostili licet crudelitate et armorum licentia quondam oblitteratam, reducere in vitam possint. Vid. dicta *Acta Erud. anno citato p. 100.* Quid Veneti speciatim praestiterint in Musarum regno, fusius te docebit MARCI FVSCARENI Opus *della Letteratura Veneziana*, cuius *Volumen I. in f. Patauii a. 1752.* lucem adspexit. Cf. de eius praestantia eminentissimi QVIRINI *Epistolae tres ad nobilem virum,*

Andr. Quirinum, Senatorem Venetum, ex Italico Sermone in Latinum conuersae, Brixiae 1753.

§. XI.

BELGAE a duobus, et quod excedit, saeculis eruditioni indulſerunt, quum antea ſub Hiſpanorum iugo rem potius familiarem curarent, doctorumque, ob Academias longe diſſitas, deficeret inſtitutio. Deinceps vero in Iure ciuili, adhibito artis criticae et humaniorum litterarum lumine, inſignes fecerunt progreſſus. Teſtes huius rei ſunt, praeter alios, Iac. Raeuardus, Arn. Vinnius, Ant. Matthaei, Antonii iunioris filius, Vlric. Huberus, Ioh. Voetius, Ger. Noodt, Corn. van Eck, Anton. Schultingius, Corn. van Bynkershoek, Ger. Meermanus, quorum ex ſcriptis vera ratio iuris Romani addiſcitur. In re medica maximum eſt nomen Herm. Boerhauii, et, qui Anatomiam potiſſimum atque Chirurgiam excoluerunt, Ioh. Swammerdamii, Frid. Ruyſchii, Anton. van Leewenhoeck, Henr. Roonhuyſenii, Iobi van Meekren, caet. In Theologia varia habent ingenia. Scripta enim, quae in Academiis prodeunt, ad mentem Synodi Dordracenae plerumque elaborata ſunt. Extra eas multa eduntur, quae videntur paradoxa. Pertinent huc ii praeſertim, qui vulgo dicuntur myſtici, quum libertas religionis liberum reddat de rebus ſacris iudicium. Neque tamen deſunt inter hosce, qui ſuam merentur laudem. Caeterum Belgae a Pontificiorum doctrina ſunt quam maxime alieni. Studia philoſophica non adſpernantur, quamquam pauci ad Anglorum acumen accedunt. Cf. HEVMANNI *Acta Philoſoph. T. I. P. 4. p. 648. ſq.* Solus Hugo Grotius, Polyhiſtor incomparabilis, in Iurisprudentia naturali reliquarum gentium eruditis facem praetulit. Phyſicam, in qua olim ſcientia rarius occupati fuerunt, nunc etiam plerique omnes, cum

cum eruditi, tum mercatores, artifices, et aliorum ordinum homines in deliciis habent, inque nobilioribus oppidis, ſtudio certarum Societatum, naturam machinis tentantium, quotidie illuſtrant. Vid. *Acta Erud. Latina, a.1742. p.515. ſq.* Ad ornandas elegantiores litteras fere nati videntur. Quot enim excellentes philologos non tulit Belgica tellus? Orti ſunt ibidem Deſid. Eraſmus, Guil. Canterus, Ianus Douſa, Iuſtus Lipſius, Paul. Merula, Ianus Gruterus, Ianus Rutgerſius, Petr. Cunaeus, Ioh. Meurſius, laudatus Grotius, Iſaac. Voſſius, Nic. Heinſius, Theod. Rycquius, Iac. Perizonius, Gisbert. Cuperus, Petr. Francius, Petr. Burmannus, Sigeb. Hauercampius, Arnold. Drakenborchius, Petrus Weſſelingius, vt alios taceamus. Nominari tamen exterorum plures etiam poſſent, quos liberaliter receperunt et ciuitate quaſi donarunt Belgae. Ex Germanorum gente ſolos duumuiros Ioh. Frid. Gronouium et Ioh. Ge. Graeuium exempli cauſſa produxiſſe hic ſufficiat. Cf. BENTHEMII *Holländiſcher Kirch - und Schulen - Staat, P. II. c. 4. p.171.* itemque BALTH. GOTTH. NIEDERMEYERI *Orat. de Batauorum coelo, Germanis eruditis maxime propitio, Hildburghuſae 1718. in 4.* Praecipua Belgarum in Muſas manſuetiores merita tot Scriptorum veterum editiones ſplendidiſſimae indicant, quae prioribus omnibus longe multumque anteferuntur. Sic accepimus Thucydidem a Duckero; Strabonem et Celſum de re medica ab Almeloueenio; Diodorum Siculum a Weſſelingio; Lucianum ab Hemſterhuſio et Ioh. Frid. Reitzio; Aelianum ac Tacitum ab Abrah. Gronouio; Heſychium a Ioh. Alberti; Tibullum ac Propertium a Iano Brouckhuſio; Virgilium, Ouidium, Phaedrum, Quintilianum, Suetonium, Valer. Flaccum, Lucanum et Petronium a Petro Burmanno; Silium Italicum et Liuium a Drakenborchio; Vitruuium a Ioh. de Laet; Gellium a Iac. Gronouio;

Corn. Nepotem itemque Auctores Mythographos Latinos ab Augustino van Staueren. Interim negari nequit, Batauos in congerendis lectionibus variantibus supra modum esse non nunquam diligentes, si nouam Scriptorum veterum editionem meditentur. Ad historiarum studium quod attinet, habent Belgae suos Grotios, suos Reidanos, Meursios, Emmios, Aitzemas, quos cum optimis aliarum gentium historicis summo iure comparare licet. Grotius praecipue, Taciti imitator, egregium ingenii historici specimen edidit in Annalibus suis, ex quibus veritas et eloquentia cum neruosa breuitate elucet. In Poesi patria caput extulerunt Iac. Catsius et Iustus Vondelius. Libertatis-alias pileo tecti ad cauillationes maxime propendent, et summorum etiam Principum actionibus per inscriptiones suas et numismata solent illudere. Cf. ad hunc §phum IACOBI BVRCKHARDI *Progr. quid caussae sit, cur humanitatis studiis maius hodieque a Batauis, quam a Germanis, statuatur pretium? Hildburgh. a. 1718. in 4.* nec non DE LA BARRE de BEAVMARCHAIS *Lettres sur la Hollande, à Franckf. 1738. 8. mai. P. II. Lettre 28. 29. 30. p. 171. sq.*

§. XII.

Non tantus est eruditorum in terris Septemtrionalibus, vt apud reliquas gentes, numerus, ii autem, qui nati sunt ibidem ac perpoliti, feliciter litterarum decus ac dignitatem amplificarunt. De ingeniis nationum Borealium philosophicis disputatum est inter Hanium atque Heumannum, occasionem ad id praebente *Actorum Philosoph. Tomo I. p. 634.* et *p. 663.* Scilicet PHIL. FRID. HANIVS contradixit Heumanno, parum honorifice de philosophis harum gentium sentienti, in *Comment. de ingeniis gentium Borealium philosophicis, Rostoch. a. 1724. in 4.* edita, et inserta deinceps *Tentaminibus Philosophiae eclecticae, Rostoch. et Lips.*

Lipſ. a. 1729. in 8. Reſpondit igitur HEVMANNVS in *Tomo III. Actor. Philoſoph. p. 828. ſq.* Add. NETTELBLADTII *Schwediſche Bibliothec, P. I. p. 1. ſq.* Expendat Lector horum virorum rationes, adcurate tamen et ἄνευ παθῶν. Nos enim hanc litem noſtram facere nolumus. Dicendum potius de aliis horum populorum, ac primum de SVECORVM, ſtudiis, ad quae ſero quidem acceſſerunt, quum, introducta Chriſtianorum doctrina, perpetui bellorum ſtrepitus nullum Muſis hoſpitium relinquerent; poſtea vero ſacrorum emendatorum lumine colluſtrati laudabiliter ſeſe adplicarunt, ſub imperio maxime Chriſtinae, quae, vt formari rectius poſſent bona ingenia, varias ſcholas vel condidit, vel inſtaurauit, doctrinaeque inſtruxit ſubſidiis neceſſariis. Vid. *hiſtoriſch - politiſch - vnd Geographiſche Beſchreib. des Koenigreichs Schweden, P. I. cap. 19. p. 534. ſq. ex edit altera anni 1708. in 8.* vbi et complures recenſentur omnium Ordinum eruditi. Auctorem huius libri eſſe GÖLGELIVM, Senatorem Ratisbonenſem, qui diu in Suecia commoratus eſt, indicat *Catal. Biblioth. Rinckianae, p. 348.* Maius aliquando, ſeptem nempe Tomorum, Opus molitus eſt ANDR. ANTON. STIERNMANNVS, Conſiliarius Cancellariae, et Regiis Tabulariis praefectus, cuius ecce! titulum: *Bibliotheca Suiogothica, in qua, praemiſſa de Philoſophia Gothorum, eorumque in litteras meritis, Diſſertatione, Reges, Heroes, Magnates, atque viri ab anno mundi 3362. eruditionis fama clari enumerantur, eorumque ſcripta edita, inedita, deperdita ac affecta, luci reſtituuntur publicae; additis celebriorum Auctorum vitis, epitaphiis, inſcriptionibus ſepulcralibus, epigrammatis, elogiis, et iudiciis eruditorum de illis, hic illicque congeſtis, vt et nummis ſymbolicis, in memoriam eorum cuſis.* Vid. *die Leipz. gel. Zeit. a. 1727. p. 353. ſq.* quo loco viri docti inſtitutum fuſius exponitur. At non niſi *Tomus II.* in quo tempora ſaltim Caroli IX. ac Guſtaui Adolphi, ab

ab a. Christi 1600. vsque ad a. 1632. exhibentur, Speciminis loco prodiit *Holmiae a. 1731. in 4.* eoque magis dolendum, restare adhuc caeteros, quo melius exinde litterarum in Suecia status, cum antiquus, tum hodiernus, cognosci posset. Cf. *Supplem. ad Noua Acta Erud. Lat. Tomus I*, anno 1735. editus, *p. 349. sq.* Speciatim Sueci in theologicis Germanos sequuntur, Orthodoxiae dediti; hinc frequenter eorum iuuentus, sacris addicta disciplinis, ad Vitembergensem confluxit Academiam. In Iurisprudentia Romana tam parum eos esse versatos, vt vix aliquem, qui hunc sibi fundum excolendum sumserit, nominare queant, communis fere exterorum opinio fuit. Sed alia nunc docuit illustris a NETTELBLADT, cuius *Praefatio de Suecorum in Iurisprudentiam Romanam meritis, Themidi Romano-Suecicae* *) praefixa, legi meretur, quamquam aliena multa immiscet, et extra cancellos egreditur, vir ingenio ac fama florentissimus. Interim certum est exploratumque; ius illud in foro perexiguum adferre vsum, Legibus, Constitutionibus, Recessibusque regni sua tantum auctoritate valentibus, quod honori potius, quam probro, habendum. De historiarum, Iurisque publici patrii, studio, a Suecis neglecto, ita differuit vir summus, ERN. IOACH. a WESTPHALEN, in *Schediasmate de patriae Academiarum defectibus et praerogatiuis in Iurisprud. Hal. 1722. in 4. p. 115. Runicae litterae, quibus Rudbeckius olim se totum dedit, mancipauitque, etiam nunc instar historiae monumentorum delectauerunt Ioh. Peringskioldum. Imo, si et doctrinas Iuris publici patrii efflagitaueris, Vlphilam tibi commendabunt; eruntque monitores, vt sitim expleas ac restin-*

*) *Primus Fasciculus*, quem plures sequuti non sunt, prodiit *Gryphisw. 1729. in 4.* merasque CAROLI LVNDII *Dissertationes* continet. Huius igitur ICti nomen, vt emtores deciperentur, in nouo titulo expressit bibliopola, *annumque 1743.* astute adposuit.

restinguas in vetustissimis scriniis cum blattis colluctantibus, non in aeui medii nouissimique documentis. Quae verba stomachum mouerunt NICOLAO OSANDRO, nec temperare sibi potuit, quin *Dissertatione* quadam, *Gryphisw. a. 1725.* luci exposita, recusaque in NETTELBLADTII *Schwedisch. Biblioth. P. V. famam eruditorum in Suecia virorum, praesertim ICtorum ac Historicorum, a contemtu Iuris publici patrii et Documentorum medii ac nouissimi aeui, quem ipsius tribuit E. I. W.* pro viribus vindicaret. In perueſtigandis patriae Antiquitatibus admodum induſtrii fuerunt et adhuc ſunt Sueci, inque his curae eorum debemus plurimum. Cf. *Bibliotheca historica Struuio-Buderiana, T. II. p. 1600. sq.* Rem numiſmaticam inſigniter illuſtrauit Elias Brennerus, qui et in delineandis monumentis vetuſtis laudem ſingularem conſequutus eſt. Graecis in litteris quid praeſtiterint, data opera oſtendit OLAVS PLANTINVS in libello, *Hellas sub Arcto* inſcripto, excuſoque *Vitemb. a. 1736. in 8.* de quo vid. *Acta Erud. Germanica, Tomo XVIII. Parte 207. p. 223. sq.* Hodie curae ipſis praecipue eſſe res phyſicas, oeconomicas atque mechanicas, Obſeruationes illae teſtantur, quas Regia Scientiarum Societas Holmienſis variis iam Tomis diuulgauit, quasque, ob earum praeſtantiam, de Suecico Germanice conuertit clariſſimus Lipſienſium Mathematicus, Abr. Gotth. Kaeſtnerus. Sublimioris Matheſeos ſtudia paucos olim in Suecia inuenerunt, quos vel vtilitate ſua mouerent, vel pulchritudine et oblectatione mentis allicerent, certe, qui tanti ea faceret, vt patria etiam lingua ſuis commendaret ciuibus, cultuque nobiliſſimae artis rem publicam iuuaret, ante Andr. Gabr. Duhrium exſtitiſſe neminem, adſeritur in *Actis Erud. Lat. a. 1720. p. 26.* Multitudine Scriptorum non adeo noti ſunt Sueci, nec frequenter lucubrationes eorum in exterorum perueniunt manus; adcurata tamen eſſe pleraque, quae edide-

ediderunt, certum eſt. Alias in rebus cum ciuilibus, tum militaribus, eximia vtuntur prudentia. His, quae diximus huc vsque, addendae omnino GABR. TIMOTH. LÜTKEMANNI *Diſſ. tres de varia litterarum humaniorum in Suecia fortuna, Gryphisw. a. 1743. et 1744. in 4.* ANDR. WESTPHALII *Comment. hiſtorica de ſtatu rei litterariae praeſenti in Europa, ibid. 1724. in 4. Cap. IX.* et IOH. SCHMIDII *Diſſert. de ingeniis Suecorum ad ſtudia natis factisque, Ienae a. 1735. in 4.* qui vero Auctor ieiunus eſt paſſim, et in laudandis ciuibus ſuis immodicus. Sic *p. 81.* adſerere non erubeſcit, Iſrael. Neſſelium, Prof. Vpſal. aequare ſaltim Homerum et Heſiodum, ſi non ſuperet; et paullo poſt de Fabiani Toerneri eloquentia *quem ſi audiueris*, inquit, *Ciceroni et vultu, et geſtibus, et ſermone, et ſtilo, dixeris, te nunquam quendam ſimiliorem vel audiuiſſe, vel cogitaſſe.* Riſum teneatis amici! De origine et ſtatu rei litterariae in DANIA et Norwegia vsque ad fundatam a Chriſtiano I. Vniuerſitatem Hafnienſem, erudita et copioſa IOH. GRAMMII *Oratio* exſtat in *der Daeniſch. Bibliothec, P. VII. p. 439. ſq.* Ad ſumma profecto enituntur, quocunque ſe conferunt, Danorum ingenia, maxime tamen in Theologia, Medicina, Matheſi, Poeſi, Linguis Orientalibus, Philologia, Hiſtoria et Antiquitatibus patriae inclaruerunt. In Theologia, aeque ac Sueci, Germanos imitantur, eorumque doctrinis ſunt propiores. Multum ab illis exornata eſt dogmatica, hermeneutica, homiletica et catechetica, meritoque ſuos extollunt Hemmingios, Brochmannos, Wandalinos, Steenbuchios, Bircherodios, Reſenios, Trellundos. Iurisprudentiam Romanam non faſtidiunt quidem, nec vnquam tamen de palma in hoc ſtudiorum genere cum aliis nationibus dimicabunt. Contenti ſunt Iure Dano-Norwegico, quod quum neque ſubtilitate, neque multitudine legum laboret, mirum non eſt, cur

nulli

nulli in illud inueniantur Commentarii, interpretationes et ſimilia ſcripta, quae Ius Iuſtinianeum ingenti mole fere obruunt. Vid. SIBBERN *Biblioth. hiſtor. Dano-Norwegica p. 285. ſq.* Medicina ſerius, at eo ſucceſſu, fuit tractata, vt non niſi honorifice de Danorum conatibus loquantur Aeſculapii cultores. Cum primis magno apud eosdem in pretio ſunt Anatomia, Chymia et res herbaria, quod planum faciunt illuſtria nomina Caſp. ac Thomae Bartholinorum, Nic. Stenonii, Olai et Guil. Wormiorum, Andr. Chriſtiani, Henr. a Moinichen, Petri Seuerini, Olai Borrichii et Georgii Fuirenii. Diſciplinis mathematicis, Aſtronomiae ſpeciatim et Geometriae, inde ab initio ſaeculi ſuperioris, poſtquam Tycho Braheus eximium reliquerat exemplum, ardentiſſime addicti fuerunt, nec ſileri hic loci debent Chriſtian. Longomontanus, Ge. Hilarius, Olaus Roemerus, Eraſmus Bartholinus, et Petrus Horrebouius. Cf. MATTHIAE ANCHERSEN *Orat. de Mathematicis Danorum*, in *der Däniſch. Biblioth. P. VIII. p. 701. ſq.* Ad Poeſin naturali quadam propenſione feruntur, et in hac ita eminent, vt caeteris cultioribus populis parum concedant. Vid. OLAI BORRICHII *Diſſertationes de Poetis*, quarum argumenta recenſent *Acta Erud. Lat. a. 1683. p. 281. ſq.* nec non FRID. ROSTGAARDI *Deliciae quorundam Poetarum Danorum, L. B. 1693. in 12. Tomis II.* Hac aetate, illuſtris vir, Ludouic. Holbergius, lepidis Comoediis ſuis, aliisque carminum generibus, plauſu honoratus eſt non vulgari. In litteratura orientali bene exercitati fuerunt Ioh. Saſcerides, Thom. Bangius, Conr. Aſlacus, Nicol. Petraeus, Iac. Bartholinus, Georg. Vrſinus, Sacerdos Naſchouienſis in Lalandia, multoque plures. Iis vero litteris, quae ad Philologiam Graecam Romanamque referri ſolent, quantum operae dederint eruditi Danorum, ſingulari libello aliqua ex parte monſtrauit ALBERTVS THVRA,

isque

isque inſcriptus eſt hoc modo: *Conſpectus Danorum, qui partim Commentariis ſuis eruditis, partim quoque verſionibus Danicis, de linguae Romanae et Graecae ſcriptoribus hactenus optime et praeclariſſime meruerunt. Hafniae 1740. in 8.* Quouis ſane digni ſunt elogio Olaus et Andreas Borrichii, Olaus Wormius, Guilielmi filius, Paul. Vindigius, Vitus Beringus, Stephan. Stephanius, Ioh. Iſaac. Pontanus, Nic. Cragius, Chriſt. Falſterus, Ioh. Grammius, quos vel ſtili Latini elegantia, vel alia merita in humaniores artes dudum immortalitati commendarunt. Cf. *Acta Erud. Lat. a. 1716. p. 134.* In Hiſtoria denique et Antiquitatibus patriae nobilitarunt Danorum gentem Saxo Grammaticus, venuſtiſſimus ſaeculi XII. adhuc barbari ſcriptor, Haraldus Huitfeldus, et, qui eum ſequutus eſt maxime, Pontanus, Nic. Cragius, cuius Annales Ioh. Grammius, ipſe in grege praeſtantiorum hiſtoricorum reponendus, a. 1737. luci expoſuit, Thormodus Torfaeus, Stephan. Stephanius, Olaus Wormius, Thomas Bartholinus, Otto Sperlingius, iunior, laudatus Holbergius, Ericus Pontoppidanus, aliique, de quibus legendus NIC. PETR. SIBBERN in *Biblioth. hiſtorica Dano-Norwegica, Hamburgi a. 1716. in 8.* edita, qui et *p. 316. ſq.* recenſet quosdam de re numiſmatica bene meritos. Vitio quidem a non nullis vertitur litteratis Danis, quod raro ſcribant, raro foras prodeuntes in Auctorum cenſum veniant. At reſpondet, quem de ingeniis ciuium ſuorum conſuluiſſe iuuabit, HOLBERGIVS in *Epiſtola ad Burmannum, Parti I. Opuſculorum Latinor.* adiecta: *Vtinam in ſcribendo aeque parcae eſſent aliae gentes, ita litteris ſuis conſtaret honos, quas ob multitudinem ſcriptitantium vileſcere videmus. Raro ſcribunt Dani, quia raro transſcribunt. Et ſane, ſi cenſus ageretur librorum, qui alibi euulgantur, quique alendis potius ac ditandis plagiariis ac librariis, quam vtilitati Reipublicae litterariae, ſcripti*

ſunt

ſunt et ſcribuntur, vereor, ne repetundarum damnarentur bibliopolae vna cum Auctoribus ob extorta ſplendidis librorum titulis tributa, quae publicis ciuitatum oneribus ſuſtinendis melius impenderentur. Vereor etiam, ne vna cum aliis ſumtuariis legibus, ferenda eſſet haec: ne tot annales Voluſi pellibus aureis et argenteis ſuperbi, aut, vt ait Poeta, cedro peruncti ambularent; ſed vt iuberentur, depoſito ſumtuoſo habitu, cordyllas madida tegere papyro, et thuris piperisque cucullis. Cf. de argumento hoc, quod adhuc tractauimus, BERNH. RAVPACHII libellus *de praeſenti rei ſacrae et litterariae in Dania ſtatu, Hamb. 1717. in 8*; LVDOV. HOLBERGII *Dännemarck. Staats- und Reichs-Hiſtorie, Cap. V. pag. 193. ſq. edit. Germanicae*, vbi tamen varii occurrunt eruditi, qui Dani natione non fuerunt; generatim autem IOH. MOLLERI ampla *Praef. de gentium Borealium in litteras meritis*, qua ſolide refellit Molesworthium, ſuperiori ſaeculo Anglorum in aula Hafnienſi legatum, quippe qui publicis ſcriptis *) Danorum Suecorumque ingenia ab eruditione exquiſita nimis remota, et ad ornandam rem litterariam parum idonea eſſe, diuulgauerat. Praemiſſa eſt haec *Praefatio Molleriana* ALB. BARTHOLINI *de ſcriptis Danorum* et IOH. SCHEFFERI *de Sueciae eruditis* Commentationibus, quas, *Bibliothecae Septemtrionis eruditi* titulo inſignitas, auctiores edidit *Hamb. a. 1699. in 8.* Hodie magis in dies apud vtramque gentem eſſloreſcere litteras, et eo quidem conſilio Academias Scientiarum Hafniae, Vpſaliae Holmiaeque, Maecenatum illuſtrium inſtinctu, a Regibus ſapientiſſimis eſſe conditas, optime norunt

*) Intelligimus illius libellos *de praeſenti regni Danici et Suecici Statu*, quorum hic *a. 1693.* ille *a. 1694.* Anglice *in 8.* prodiit. Vterque recuſus eſt Gallice Belgiceque, prior Germanice etiam *a. 1695. in 4.*

norunt omnes, qui ſolent rerum nouiſſime geſtarum cupiditate inflammari.

RVSSORVM natio, barbara olim et ſtupida, inde a Petri Magni aetate ita fuit perpolita, vt nunc pelliculam veterem pene totam abieciſſe videatur. Romam, quam lateritiam acceperit, ſe relinquere marmoream, iure gloriatus eſt Auguſtus. Sed maiora de ſe praedicare poterat acutiſſimus ille Ruſſorum Imperator, quandoquidem regiones ſuas latiſſimas, luteas antea, magna ex parte reddidit aureas. Immenſis profecto ſumtibus barbariei tenebras ex toto orbe ſuo expellere, ac iuuentutem, languori deſidiaeque deditam, incredibili ardore ad doctrinas liberales incitare ſtuduit. Primum igitur de ſcholis et Academiis inſtituendis fuit ſollicitus, deinceps autem, oblata ſtipendiorum lautiſſimorum mercede, complures viros eruditiſſimos ex cultiori Europa vocauit in imperium ſuum, vt ad humanitatem fingerent immanſueta et fera ingenia, linguisque non ſolum imbuerent, ſed philoſophicis etiam, mathematicis ac medicis diſciplinis. Praecipue illius munificentiae debetur Academia Scientiarum Petropolitana, quam, ne praeſidia deeſſent et proficiendi adminicula, inſtruxit ornauitque Bibliotheca librorum et numero, et bonitate, pretioſiſſima, Muſeo rariſſimis naturae rebus mirabili, inſtrumentorum, arte et magnificentia inſignium, diuite adparatu, Obſeruatorio mathematico, Theatro anatomico, numiſmatum item et antiquitatum collectione exquiſitiſſima. Plura vid. in IOH. PERRY *Staat von Rußland p. 331. ſq. edit. Germ.* et, quae huic libro adiecta eſt Partis II. loco, in *Relatione geograph. hiſt. politica de Imperio Moſchico, p. 459. ſq.* Quos vero Ruſſi his in ſtudiis fecerint progreſſus, paucis adhuc, quantum ſciamus, ſpeciminibus oſtenderunt publice: vnicum duntaxat eloquentiae Latinae ac poeſeos documentum inuenimus in *Actis Erud. Lat.*

a. 1745.

a. 1745. p. 704. sq. vbi THEOPHANIS PROKOPOWICZ *Lucubrationes* recenſentur. Eorum tamen ingenia quum diſcendi cupida dicantur et ad percipiendas artes optimas adcommodata, fore ſpes eſt, vt in poſterum, magis magisque in litteris exercitati, ſcriptioni etiam operam dent crebrius, quidque humeri valeant, exteris nationibus declarent. Cf. HEVMANNI *Conſpect. Reip. litt. Cap. IV. §. 65. p. m. 193.* vbi et memoratur, IOH. PETR. KOHLIVM in *Introd. in hiſtor. litter. Slauorum, Alton. a. 1729. in 8.* de antiqua eruditionis apud Ruſſos facie eleganter egiſſe. Nouiſſime *in dem gegenwärtigen Staat von Rußland*, quem librum V. C. ELIAS CASP. REICHARD *Alton. et Lipſ. a. 1752. in 4.* edidit, SALMONII laboribus fundamento poſitis, *Cap. XII. p. 642. ſq.* de ingenio et doctrina Ruſſorum dictum eſt adcurate, confirmatumque, mathematicarum eos diſciplinarum, Arithmeticae cum primis, Geometriae et Architecturae militaris, nec non Hiſtoriarum, Geographiae ac Genealogiae, eſſe amantiſſimos.

§. XIII.

POLONORVM ſtudia SIM. STAROVOLSCIVS in *Polonia p. 71. edit. Conring. a. 1656. in 4. paratae*, ſic deſcribit: *Teneram aetatulam litteris addiſcendis impendunt, vt vernacula et Latina lingua legere et ſcribere ſciant: vnde ne in medio quidem Latio tam multos reperias, cum quibus Latine loqui poſſis, et vbi tam in Cancellaria Principis, quam in Curiis Parlamentorum, inferiorumque omnium iudicum ſubſelliis cauſſas deciſas, et monumenta Latina lingua deſcripta videas. Adultiores, ſi plebeii ſunt, agrorum cultiuationi, opificio, aut mercaturae ſeſe addicunt: nobiles vero militiae, ſacerdotio et miniſteriis opulentiorum. Vtrique autem libenter peregrinantur, et earum gentium linguas, ad quas perueniunt, cupide et facile diſcunt. Sunt enim docilia hominum*

ingenia, *et valent*, *quocunque intenduntur : ſed tamen alienis inuentis perdiſcendis ea magis accommodant*, *quam vt noui aliquid ipſe excogitent*, *et excellere magnopere ſtudeant. Nihilo tamen minus non defuere nobis inſignes Mathematici*, *Aſtrologi*, *Dialectici*, *Oratores*, *Poetae et Philoſophi; tum Medici*, *Iuris conſulti atque Theologi*, *qui et Rem publicam*, *et Eccleſiam*, *ingenio ſuo atque ſcriptis illuſtrarunt.* Quae dum in chartam coniecit Auctor, ante oculos habuit ſine dubio MARTINI CROMERI verba in *Polonia lib. I. p. m. 92. edit. Elzeuirianae* in *Republica*, *ſiue ſtatu*, *regni Poloniae*, *Lithuaniae*, *Boruſſiae et Liuoniae.* Fuſius haec explicantur in BERNH. CONNORI *Deſcript. regni Poloniae*, Germanice ex Anglico verſa, editaque *Lipſ. a. 1700. in 8. p. 769. ſq.* Lingua Latina Polonos, infimi etiam ordinis, quotidie vti, certum eſt : ſed plurimorum Latinitas culinam, quomodo dicere ſolemus, redolet. Orationes eorum ſemper fere cothurno incedunt, quum tota natio elatiores ſpiritus gerat. Habent tamen varios quoque, qui veterum elegantias et pondus imitando conſequi diligenter conati ſunt, e. g. Staniſlaum Orechouium, Demoſthenis Poloni elogio a multis inſignitum. Alios diſertiſſimos viros cognoſcere licet ex STAROVOLSCII *Tract. de claris Sarmatiae Oratoribus*, *Florent. a. 1628. in 4.* itemque ex *Manipulo Orationum*, *ab eruditis viris Polonicae nationis ſcriptarum*, *Romae 1639. in 4.* editore ANDR. TRZEBICKIO. Vterque autem liber ad rariſſimos pertinet. De noua Oratorum Polonorum collectione vid. *die Leipz. gel. Zeitung. a. 1747. p. 692.* Ad poeticam artem natura videntur propenſi, numerantque inter ciues ſuos Matthiam Caſim. Sarbieuium, quem harum rerum periti non immerito alterum Horatium vocant. Addi huic poſſunt Sebaſt. Acernus, ſeu, quod verum eius nomen eſt, Klonowiczius, Andr. Cricius, Ioh. Cochanouius, Ioh. Dantiſcus, Nicol.

Nicol. Kmicicius, qui fictum sibi Iosaph. Isakowiczii nomen adsciuit, Clemens Ianitius, caet. Cf. *die Leipz. gel. Zeitung. a. 1731. p. 256.* Inter Mathematicos Polonorum excellunt Ioh. Latos, Matthias Miechouius, Albert. Brudzeuius, magnusque illius discipulus, Nicol. Copernicus, Borussus patria, cuius merita celeberrimus GOTTSCHEDIVS exposuit nitida grauique Oratione, in *Orationibus* eius *Germanicis, Lips. a. 1749* editis, *p. 93. sq.* obuia. Hisce iungendus adhuc Ioh. Heuelius, Gedanensis, patriae Ciuitatis olim Consul. In theologicis principatum obtinet scholastica, hinc Thomas Aquinas et Ioh. Duns, Scotus, dulcissima iis nomina sunt, quae colunt mirifice et venerantur. Historiae patriae multum luminis attulerunt Ioh. Dlugossus, qui plenam gentis suae historiam a primis originibus ad suam vsque aetatem deducere tentauit, optime diuulgatam *Lips. a. 1711. et 1712. Tomis II. in folio*, adductus supra Cromerus, Stanislaus Robierzicki, Sim. Okolski, Vespas. Kochowski, Paul. Piasecki, pluresque, quos partim SAM. IOACH. HOPPIVS in *Schediasmate de Scriptorib. Histor. Polonicae, Gedani 1707. in 4.* et in *Tomo I. Operis Dlugossiani* cum additionibus GABR. GRODDECKII, Professoris, et VALENT. SCHLIEFII, Patricii Gedanensis, excuso, partim DAVID BRAVNIVS in *Catalogo de Scriptor. Poloniae et Prussiae, Historicis, Politicis et ICtis, Colon. a. 1723. in 4.* verbosius recensent. Generatim autem de Polonorum eruditione, quae hac nostra aetate Zalusciis, incomparabili Fratrum pari, amplissima incrementa debet, commendari adhuc merentur laudatus STAROVOLSCIVS in *Centuria Scriptorum Polonicorum*, qui libellus, cum duobus aliis, nouissime recusus est *Vratislau. a. 1733. in 4;* IACOB. WOIT in *Diss. de incrementis studiorum per Polonos ac Prussos, Lips. 1723. in 4;* et IOH. DAN. IANOTZKI V. C. *Schediasmata* bina, alterum *de litterarum in Polonia instau-*

 ratori-

ratoribus ibid. a.1744. alterum *de litterarum in Polonia propagatoribus*, *Gedani 1746. eadem forma* typis impreſſum. Add. *Eiusdem Nachrichten von den in der Hochgräflich-Zaluſkiſchen Bibliothec ſich befindenden raren Polniſchen Büchern. Pars I. Dreſdae a.1747. Pars II. Vratisl. 1749. in 8.mai.* prodiit. Vtraque lectu digniſſima continet. Nuper demum is ipſe aliud produxit Opuſculum, ex quo praeſens rei litterariae in Sarmatia ſtatus poteſt intelligi. Inſcriptum eſt: *Polonia litterata noſtri temporis*, eiusque *Pars I.* emiſſa *Vratislau. a.1751. in 8.mai.*

De HVNGARORVM ingenio ſcribere voluit Auctor libri, cui titulus: *Pro cultu litterarum in Hungaria.* Sed ineptum eos nactos eſſe patronum, adcurate docetur in *Actis Erud. Lat. a.1749. pag. 221. ſq.* Latinae linguae vſus ipſi etiam plebi militibusque, vt in Polonia, ibidem communis eſt. Nec defuerunt tamen, qui faſtidio ab inficeto corruptoque vulgi ſermone abalienati multas dicendi Veneres adſequuti ſunt. Hoc laude florent Andr. Dudithius, cuius *Orationes quinque*, in Concilio Tridentino habitas, GODOFRED. SCHWARTZIVS, eruditus iam Academiae Rintelienſis Theologus, ipſe Hungarus patria, denuo edidit *Halae Magd. 1743. in 4*; Ioh. Sambucus; Ianus Pannonicus; Nicol. Iſthuanfius. Hiſtoria cum ciuilis, tum litteraria, ſuperbit clariſſimis Dan. Guil. Molleri, Martini Schmeizelii, et Matthiae Belii nominibus. In litteratura Graeca verſatiſſimus fuit Steph. Berglerus, qui in *Actis Erud. Lat. a. 1715. p. 219.* vbi de Alciphronis Epiſtolis, ab eo adornatis, ſermo eſt, omnes Graecae linguae delicias exhauſiſſe dicitur. Nitidam quoque Homeri editionem, quae *Amſtael. a.1707. in 12.* lucem vidit, ab eodem accepimus. Plures eruditi Hungari occurrunt in DAV. CZWITTINGERI *Specimine Hungariae litteratae*, *Frf. et Lipſiae*, ſeu *Altorfii* potius, *a. 1711. 4.* Caeterum haud iniquum videtur

CONRIN-

CONRINGII in *Thesauro Rerumpublicarum Oldenburgeriano, P. IV. p. 432.* iudicium, quando adserit, vniuersam Europam nullum habere regnum, minus instructum viris eruditis, quam Pannoniam.

TVRCARVM studia exquisiuit IOH. BAPT. DONADVS in libro Italico, supra *Cap. III. §. 1.* iam adducto, *de litteratura Turcica.* Varia, quae ad hoc faciunt argumentum, congessit etiam HEVMANNVS in *Consp. Reip. litt. cap. IV. §. 75. p. m. 235. sq.* Idem in *Actis Philosoph. Tomo I. p. 612.* ex HENRICI BLVNTII *Itinerario Orientali* adfirmat, Turcas esse acutissimos indefessosque in cogitando, sed ob Legis Muhammedanae tyrannidem summa ingenia in occulto latere. Addenda his IOH. CHRISTOPH. CLODII *Praef. Lexico Latino-Turcico-Germanico Lips. a. 1730. in 8.* praefixa *de lingua et litteratura Turcarum.* Nobiliores huius populi in deliciis habent Poesin et Eloquentiam, quae vero turget atque inflata est, item rerum gestarum monumenta, ac disciplinas mathematicas, praecipue mechanicas. Musicam quoque et Medicinam tractant non segniter. Cf. GVER *Moeurs et Usages des Turcs, à Paris 1747. in 4. Tomo I. lib. 3. cap. 4. pag. 442. sq.* et, quod ad Historicos Turcarum attinet, CLODII *Specimen de nonnullis Historicis ac Geographis Arabicis, Persicis, Turcicis, Lipsiae a. 1723. in 4.* Anno 1729. fama percrebuerat, id agere Turcas, vt Academia Scientiarum, Parisiensis exemplo, apud eos constitueretur; sed altum deinceps de consilio hoc, ad exitum rite perducto, silentium fuit.

§. XIV.

At quid de nostris dicendum GERMANIS? Stupida fere habita ab exteris est olim haec natio, ita, vt Perronius, Cardinalis, ac Dominic. Bouhoursius, Ordinis Iesu Sodalis, quaestionem mouerint, an Germanus possit esse *un bel esprit?* Certe in *Perronianis*

p. 16. ſecundum editionem *Amſtael. anni 1694. in 12.* ſic ait PERRONIVS: *La plus enuieuſe et la plus brutale nation à mon gré, c'eſt l'Allemande, ennemie de tous les étrangers. Ces ſont des eſprits de biére et de la poisle.* Et *p. 185.* hoc de Gretſero fert iudicium: *Gretſerus a bien de l'eſprit pour un Allemand.* BOVHOVRSIVS autem ſcripſit *Entretiens d'Ariſte et d'Eugene*, qui Dialogi primum *Pariſ. a. 1671. in 4.* hoc ſaeculo *Amſtael. a. 1703. in 12.* et *Pariſ. 1721. ead. forma* prodierunt. In his, maxime in *Dialogo quarto, le bel eſprit* inſcripto, *p. 197. edit. Amſtael.* rem eſſe ſingularem exiſtimat, ſi quae apud populos Septemtrionales, praeſertim Germanos, quos acute profecto cum Moſchis coniungit, ingenia naſcantur feliciora. Et paullo poſt haud obſcure profitetur, illam ingenii viuacitatem, de qua diſſerit in dicto Dialogo, proprio quodam iure ad Gallos pertinere ſolos, eorumque finibus ita eſſe incluſam, vt ſi forte vltra Rhenum, Alpes, aut Pyrenaeos etiam, velut rara auis reperiatur, non habitare illic putanda ſit, ſed, tamquam per errorem itineris eo delata, peregrinari. Itaque ſi quod ingenium excitatum, ſagax ac plane diuinum deſcribendum ſit, vno vocabulo *Gallicum* dici oportet, aut hominem Gallum digito monſtrari, et dicier: hic eſt! Quae verba deſumſimus ex celeberrimi Hamburg. Profeſſoris, MICH. RICHEY, eleganti *Progr. quo Gallorum quorundam de Germanorum ingeniis iudicia iniquitatis conuincit, Stadae 1705. in 4. pagina*, ſi numeres, *quarta.* Iſthaec vero Bouhourſii inſolentia variis diſplicuit, inter ipſos etiam Gallos. Primum huic obuiam iuit CLEANTES (ſeu, vero nomine, Jean Barbier d'Aucour,) *en Sentimens ſur les Entretiens d'Ariſte et d'Eugene, à Paris 1672. Part. II. in 12.* Deinceps data opera Germanorum patrocinium non ſolum contra Bouhourſii, ſed Perronii etiam, Perralti, aliorumque criminationes abſurdas ſuſcepit IOH. FRID. CRAMERVS,

MERVS, vir tandem infelix, in *Vindiciis nominis Germanici, contra quosdam obtrectatores Gallos*, editis, haud adiecto Auctoris nomine, *Berolini a. 1694. in f.* plagulis decem, eodemque anno recusis *Amstaelodami in 8.* Quo libello lectu dignissimo quidem, at hodie non frequenter obuio, Germanos ingenii et elegantiae laude nihil concedere Gallis, imo superiores esse non nunquam, recte ostendit. Praeter hos Patri illi Ignatiano IOH. BRAVNIVS, Acad. Groningensis quondam Theologus, in *Selectis Sacris, lib. V. exercit. 3. p. 675. sq.* respondet, partim, quod nimias laudes linguae Gallicae in *Dialogo secundo* attribuit, partim ob iniurias, nationi Germanicae impudenter illatas. Nec tamen soli sunt inter Gallos, qui turpissime nobis maledixerunt, Perronius et Bouhoursius. In *Scaligerianis* etiam *alteris*, *pag. 8. edit. Groningensis*, sub voce: *les Allemands* haec leguntur: *Germani hodie valde fatui sunt et indocti.* Eandem inflauit tibiam Steph. du Bois, qui nomine Abbatis de BRETTEVILLE innotescere voluit, in *Tractatu de l'Eloquence de la Chaire et du Barreau*, *edito Paris. a. 1689. in 8. pag. 449.* vbi eius ex opinione Germani omnes fungi sunt bardique, et argutiarum nihil capiunt, adeo, vt viuacissima quaeque eloquendi ratio parum ipsos mouere possit. Quid BAILLETVS de Germanis sentiat, id videre licet in *Jugem. des Sav. Tom. I. P. 1. p. 272. sq. edit. nouae in forma minori.* Odii sane in Germanos eum non esse expertem, STRVVIVS contendit olim hocce *Capite §. 21.* Quod quum ANCILLONVS moleste ferret, illique sine iusta caussa id obiici crederet, in *Memoires concernant les vies et les ouvrages des Savans*, *p. 264.* ita loquitur: *Je dirae, que Struvius n'a pas dû prendre en mauvaise part ce, que Baillet a dit des Allemands* caet. et *p. 271: Je des-approuverois donc, je le répéte encore, et je me suis étendu à en dire les raisons, à fin qu'on doutât d'autant moins que je ne des-approu-*

vaſſe extremement, que Baillet eût parlé des Savans d' Allemagne avec mépris. Mais il ne me ſemble point, que ce, qu'il en a dit, doive être pris en mauvaiſe part. Quelques courtes Reflexions detromperont peut-être ceux, qui l'ont crû. Confirmat Ancillonus illud ex eo, quod quaeuis terra ſua ferat ingenia, et quod Bailletus *l. c. p. 277.* de Bouhourſio ſcribat: *L'Auteur n'a point prétendu ôter aux Allemands la gloire d'être de bons eſprits, la quelle eſt tout autrement ſolide que celle de bel eſprit; qu'il paroît leur vouloir diſputer. Et tout homme de jugement doit convenir, qu'un Allemand, qui ſ'eſt rendu bon eſprit par ſon induſtrie et par ſon travail, eſt beaucoup plus louable, qu'un Italien, ou un François, qui étant né bel eſprit, n'a ſoin de l'entretenir, que dans la vanité, ou dans l'oiſiveté.* Verum enim vero, negandum licet non ſit, Gallorum plerosque ob coeli ſolique naturam Germanis eſſe viuaciores, accedente potiſſimum nationis genio; exinde tamen non ſequitur, Germanos plane non eſſe *beaux eſprits*, et ex ea quidem ſolida ratione, quam addit Bouhourſius: *parce que c'eſt comme un prodige, qu'un Allemand fut fort ſpirituel.* Praeterquam enim quod Gallia ſuos etiam alat Boeotos, quos craſſo ſub aëre natos eſſe, Iouem lapidem iurares, certe tam prodigioſum non eſt, viros apud Germanos reperire, qui de viuacitate ingenii certare cum Gallis, iisque palmam eripere e manibus queant. Vel ad ſolam aulam Regiam Berolinenſem prouocamus. Quot non in eadem fuerunt, et adhuc viuunt, qui prudentia, doctrina, ingenii cultura, morumque elegantia, illuſtre reddiderunt nomen ſuum! His profecto, vt alios taceamus, Ancillonus cum Bouhourſio et Bailleto haud diſputabit venuſtatem ingenii. Hodie ipſe Rex auguſtiſſimus, Fridericus, in huius laudis poſſeſſionem venit. Quid autem, ſi dicamus, Germanos ea vinci a Gallis? Nullo modo ſtudiis eorum grauiori-

uioribus hoc oberit, quod ipſe Bailletus negare non audet. Quamquam enim tot iucunda Schediaſmata, quae laeui calamo ſcripta apud Gallos quotidie in lucem prodeunt, vix euulgentur in Germania; neque tamen ciues noſtri natura ita ſunt comparati, vt a Muſarum ſacris abhorreant, quin potius permulti, non alieno impulſu, ſed ſua ſponte, concitati, per varios caſus, ac per tot rerum diſcrimina, ſummum Heliconis iugum adſcenderunt. De doctorum ruſticorum multitudine, qui ſuo ducti genio etiam inter agrorum culturam litteras tractarunt, his nihil immiſcebimus, ne facere ex muſca elephantem videamur. Maioris longe momenti ſunt exempla eorum Germanorum, qui, vel ruſticorum, vel opificum, vel mercatorum proletariorum filii, ad alia prorſus, quam ad liberales doctrinas, deſtinati fuerunt, poſtea vero in his ipſis mirabiles fecerunt progreſſus. Legant, qui talia noſſe voluerint, CHRISTIANI FEVSTELII *Schediaſma ad Henr. Pippingium*, in quo *generatim de eruditorum Germanorum vitis contra iniquas Gallorum cenſuras, ac ſpeciatim de Germanorum Biographis, contra Rol. Mareſii iudicium*, egit. Prodiit libellus vtilis hoc loco, alias a naeuis non vacuus, *Lipſ. a. 1707. in 8.* et recenſetur in *Actis Erud. Lat. a. 1708. p. 182. ſq.* Eiusmodi viros ipſe genius et natura honeſtiſſimis illecebris ad Muſarum attraxerunt ſocietatem, quamquam earum ſtudia magno deinceps labore coluerunt, ſine quo ſane nec Germani, nec Galli, aliquid praeclari perficient. In ſolis forte adminiculis, quae ſaepe apud nos deficiunt, cedere debemus exteris, Gallis et Anglis praecipue, in ipſa ſtudiorum ratione non item: vt infra euidenter adparebit. Iam, redeuntes ad Bailletum, videbimus adhuc, an non aliis in locis Germanorum famam laedat. Scribit de iisdem: *On peut dire, que nos Rois y ont fait entrer les belles Lettres, les Sciences, la Police, et les Sentimens de l'humanité avec*

avec les lumiéres de l'Evangile, quum tamen Francorum Reges originis fuerint Germanicae, vt potius dici debeat, Germanos haec ſingula in Galliam introduxiſſe. Conſtat quoque, Chriſtiana ſacra iam ante Francorum coalitionem apud Germanos haud fuiſſe inuſitata. Bergit Bailletus: *C'eſt pourquoi les Allemands ſont toûjours Allemands dans leurs ecrits. C'eſt à dire, que, quoiqu'il n'y ait point de Science ſi difficile et ſi abſtraite, à la quelle ils ne ſoient parvenu par leurs travaux immenſes, par leurs longues meditations, et par leur induſtrie perticuliére, tant de peines et tant de merites n'ont pas pû leur acquerir des qualités, que la nature n'a point jugé à propos d'accorder aux eſprits, qu'elle a renfermé dans des corps robuſtes et environnés d'un air froid et grosſier. Ainſi il ne faut point chercher dans les Ouvrages de la plus grande partie des Allemands la gentilesſe, la ſubtilité, le brillant, la vivacité, la délicatesſe, la politesſe, l'air enjoûé, l'ordre, la méthode, et toutes les beautés, qui ſe trouvent dans les écrits des Grecs et des Romains, et l'on ne doit point exiger d'eux autre choſe, que de la ſolidité, de l'exactitude, du jugement, et de l'erudition.* Gratias quidem agimus Gallo, quod Germanis tribuat eruditionem atque iudicium exactum. In plerisque tamen eorum ſcriptis deſiderari alacritatem animi, lepores, ingenii lumina, iuſtum ordinem methodumque, falſa et iniqua eſt inſimulatio, ad ſolam ſpectans eruditorum plebem, cuius non minor forſitan apud Gallos, quam in Germania, cogi exercitus poſſet. Illud vero, quod Galli *l'air enjoûé* vocant, quodque in libris ipſorum amatoriis, et caeteris opuſculis leuidenſibus, dominatur, Germani, qui nucleum cortici praeferunt, non dolebunt admodum ſibi deeſſe, re licet vera nullius foret negotii, eiusmodi etiam exempla, quae gloriae nobis ornamentoque ſummo ſunt, omnium ante oculos proponere. Ridet Germanos deinceps Bailletus, et his quidem

dem verbis: *C'eſt pour cela qu'un rieur d'Italie voiant combien cette Nation eſt laborieuſe, ne pût s'empêcher de dire, autant par admiration, que par raillerie, que les Allemands ont l'eſprit non pas dans la cervelle, comme les autres hommes, mais ſur le dos, et que Minerve avoit ſes Mulets dans les Ecôles et les Academies de ce pais, comme la ville de Rome avoit autrefois entretenu les Mulets de Marius dans ſes Armées.* Lepide profecto, vt nihil ſupra! Nugas iſtas, et inficetas cauillationes dignari reſponſo, idem eſſet, ac laureolam in muſtaceo quaerere. Audiamus, quae porro diſſerit Auctor. *On ne doit donc pas s'etonner*, inquit, *de ne point trouver dans les Ouvrages en vers, que les Allemands ont produits, ce genie heureux de la Poeſie, que l'on admire dans les Italiens modernes, et dans les anciens Grecs et Romains.* Verum, qui Germanos parumper nouerit ſaltim, reperiet inter eosdem poetas, genio iſto inſtructiſſimos. In Poeſi Graeca habemus Laur. Rhodomannum, cuius vitam, optimamque in Graecis litteris eruditionem, eleganti libro expoſuit clariſſimus vir, CAROL. HENR. LANGIVS, *Lubecae a. 1741. in 8.* Habemus etiam Paul. Dolſcium, Ioh. Poſſelium, Mich. Neandrum, Ioh. Godofr. Cyrillum, ſiue Herrichen, et alios, de quibus v. GEORG. LIZELII *Hiſtor. Poetar. Graecor. Germaniae a renatis litteris ad noſtra tempora, Frf. et Lipſ.* (ſeu *Ienae* potius) *a. 1730. in 8.* Latinam Poeſin feliciſſime, Muſisque ipſis adplaudentibus, excoluerunt Petrus Lotichius, Ge. Sabinus, Conrad. Celtes, Nicod. Friſchlinus, Paul. Meliſſus, ſiue Schedius, Iacob. Balde, Caſp. Barthius, Eobanus, Heſſus, Ioh. Stigelius, Georg. Fabricius, Ferdin. L. Baro a Fuerſtenberg, Epiſcopus Monaſterienſis, de quo legantur PETRI FRANCII *Poſtuma*, in *Orat. pro Poetica, p. 138*, et plures, quorum Hiſtoriam a laudato Lizelio fruſtra ad hunc vsque diem exſpectauimus. Vid. *die Leipz. gelehrten Zeitung. a. 1730. p. 350.* Hac

aetate

aetate inſignis ad verſus faciendos indoles magnam apud omnes auctoritatem conciliauit Chriſtiano Gottlieb Schwartzio, Ioh. Matthiae Geſnero, Frid. Ottoni Menckenio, Michaeli Richeio, viris ingenio doctrinaque praeſtantiſſimis. Germanici Carminis conditores elegantiſſimi ſunt Mart. Opitius, (de quo exſtat GOTTSCHEDII noſtri, non vulgaris itidem poetae, *Oratio* grauis et polita in eius *Orationibus Germanicis pag. 175. ſq.*) Paul. Flemmingius, Ioach. Rachelius, Chriſtian. ab Hofmanswaldau, Frid. Rudolph. Ludouic. a Canitz, Ioh. a Beſſer, Ioh. Chriſtian. Güntherus, Barthold. Henr. Brokeſius, Ioh. Vlric. a Koenig, Alb. ab Haller, Frid. ab Hagedorn, Richeius, iam memoratus, Ioh. Ge. Bockius, Chriſtian. Fürchtegott, Gellertus, item ſublimis ille Meſſiae Auctor, Klopſtockius, cuius virtutes poeticae nuper praeconem nactae ſunt, praeter alios, IOH. CHRISTOPH. DOMMERICHIVM in *Proluſ. de Chriſteidos Klopſtockianae praecipua Venere, Guelpherb. a. 1752. in 4.* In Tragoedia Ioh. Elias Schlegelius, Profeſſor Soranus, alter euaſiſſet Cornelius, *(Corneille)* niſi praematura morte diem ſupremum obiiſſet. Cf. de Poetarum Germanicorum excellentia BENIAM. NEVKIRCHII *Praefatio, Domini ab Hofmanswaldau, aliorumque Germanorum, Carminibus ſelectis* praefixa, quae primum prodiit *Lipſ. a. 1695. in 8.* Ad artem dicendi ſolutam quod attinet, non melius cenſoris partes agit Bailletus. Sic enim ille de Germanorum eloquentia: *Ils ne ſont pas beaucoup plus heureux dans les piéces d'eloquence, qui ne demandent guére moins de feu, de vivacité et d'imagination, que la Poëſie.* Quae ſane in mentem ipſi non veniſſent, ſi legiſſet vnquam Ioh. Caſelii, Aug. Buchneri, Ioh. Henr. Boecleri, et Caſp. Corberi Orationes. De Caſelio videri meretur IOSEPHI SCALIGERI teſtimonium eo magis honorificum, quo minus domeſticum eſt, in *Epiſtolis lib. III. epiſt. 270. p. 516. edit.*

edit. Francof. vbi haec ad eundem: *Quantum me orationis tuae indoles, pura, casta, Romana, affecit! Multi enim Latine, pauci Romane loquuntur; et si qui forte Romane, at raro illum Ciceroniani saeculi genium assequuntur. Qui hunc leporem in tua oratione non agnoscit, is, quid sit Latine scribere, nescit.* Buchneri autem dictione nihil potest esse splendidius, nihil vberius, quamquam illam, ne quid dissimulemus, a castitate tersae Latinitatis recedere interdum largimur. Neque hi soli sunt, quorum apud Germanos facundia eluxit. Nolumus in scenam vocare Philipp. Melanchthonem, et alios, qui tenui plerumque stilo vtuntur, omni orationis ornatu, tamquam veste, detracto. At eos silere hoc loco nefas esset, quibus praesens aetas non temere se iactat, homines eloquentissimos, scilicet Conr. Sam. Schurzfleischium, Ioh. Casp. Khunium, Christoph. Cellarium, Iust. Christoph. Boehmerum, Nicol. Hier. Gundlingium, cuius tamen dictio, perinde ac Buchneriana, non vbique veterem illam elegantiam redolet, Ioh. Gottlieb Heineccium, Christian. Gottlieb Schwartzium, Ioh. Guil. a Berger, Ioh. Matthiam Gesnerum, Ioh. Dan. Schoepflinum, Christian. Frid. Boernerum, Ioh. Erh. Kappium, Ioh. Aug. Ernesti, et Ioh. Nicol. Funccium. In patria lingua quantum dicendo valeant, monumentis pucherrimis probarunt Sam. a Koenigsdorf, decus quondam Vratislauiensium, Ioh. Laur. a Mosheim, Ioh. Carol. a Kirchbach, Ioh. Ernest. Schubertus, et, quos iam laudauimus, Canitius, Gundlingius, Gottschedius. Alios, quamquam in promtu essent, nominare non attinet. Pergimus potius ad Bailletum, visuri, quae eius sit de studio Germanorum historico sententia. *Leurs Historiens*, ait, *ne sont pas non plus fort reguliers pour la plû-part. Car sans parler ici de leur peu d'exactitude, de la partialité et de la mauvaise foi des uns, de la simplicité et de la credulité excessive des autres, on peut dire avec Barth.*

Kecker-

Keckerman, qui étoit Allemand lui-même, qu'ils ſont remplis de trop de verbiage et de fatras, qu'ils rétardent mal à propos et qu'ils jettent dans l'impatience un Lecteur, qui ne cherche que le ſolide, et qui veut aller droit aux faits, qu'il y cherche. C'eſt ce, qui a fait dire au Pere Rapin, que les Allemands ont des vaſtes projets ſur leurs Hiſtoires, mais rien de reduit dans l'ordre naturel, que demanderoit un deſſein exact. Verum, ſi Gallorum Hiſtoricos conferamus cum Germanis, multos reperiemus, qui Pithoeum induſtria, Thuanum prudentia, Aemilium ſermonis elegantia, Varillaſium, Grammondum, Priolum, et eiusmodi generis Hiſtoricos, fide ac integritate longo poſt ſe interuallo relinquant. Sunt certe veraces Germani, Proceres tamen veritatem non ſemper tolerare poſſunt. Vbi enim ratio eius habetur, et opprobria domus deteguntur, vel alias damni non nihil inde oriri videtur, ſupprimuntur talia ſcripta, prohibentur grauiter, vel ſaltim immutantur, quo ipſo hiſtoricae veritati vis maxima infertur. Nota ſunt eiusmodi Opera complura, quorum varia nominarunt SCHELHORNIVS *Amoenit. litter. Tomo. II. p. 341. ſq.* et HEVMANNVS in *Conſp. Reip. litter. Cap. VI. §. 21. p. m. 347. ſq.* Sed nec aliarum gentium Hiſtorici mitiora hac in re fata experti ſunt. Exempli loco eſſe poſſunt Camdeni Annales, de quibus teſtatur BVRNETTVS in *Replicat. ad Varillaſium p. 59.* Auctorem Thuano eſſe confeſſum, quod Iacobus I. Anglorum Rex Annales eius neceſſario reuiſere voluerit, eosdemque tradiderit poſtea in manus Comitis Northamptoni; inde plurima ex iis eraſa, plurima mutilata fuiſſe. Proſtat STRVVII noſtri *de meritis Germanorum in Hiſtoriam Oratio*, editis olim ad hunc librum *Supplementis* adiecta, quae exilis tamen, et nimia breuitate laborat, adeoque operae facturus eſſet pretium, qui ad pertractandum argumentum tam illuſtre maiori cura et ſtudio accederet. Vt paucis, quan-

quantumque nostri instituti ratio permittit, rem expediamus, sciant exteri, qui gentis nostrae Historicos vel ignorant plane, vel nullius fere momenti esse arbitrantur, produxisse Imperium Germanicum Ioh. Auentinum et Christoph. Lehmannum, Scriptores in medio aeuo vtilissimos, Ioh. Sleidanum, cuius *Commentarii de statu religionis et Reipublicae Germanicae sub Carolo V.* in multas Europae linguas conuersi sunt, Marc. Velserum, Carolum Ludouic. Tolnerum, Franc. Christoph. Comitem a Kheuenhüller, Sam. L. B. a Pufendorf, Conr. Sam. Schurzfleischium, Godofr. Guil. Leibnitium, Ioh. Ge. Eccardum, Ioh. Dauid. Koelerum, Henr. Comitem a Bunau, et Ioh. Iac. Mascouium, quorum Duumuirorum Opera historica hunc solum naeuum habent, quod vix poterunt ad finem perduci a calamo eorum longe praestantissimo. De reliquis, et iis etiam, qui in conquirendis Diplomatibus Actisque publicis, nec non in colligendis Scriptoribus rerum Germanicarum ineditis admodum industrii fuere, copiosius agit *Bibliotheca historica Struuio-Buderiana, Cap. XVI. sq. p. 651.* De magna Germanorum fama in re diplomatica vid IVVENEL de CARLENCAS *Versuch einer Geschichte der schönen und anderer Wissenschaften, Parte II. p. 101.* ibique celeb. KAPPIVS in *notis.* Geographia antiqua quantum a Cellario, et Chronologia quantum a Setho Caluisio, nostraque aetate a Leonh. Offerhaus, Westphalo, lucis acceperit, constat inter omnes. Historiam et Antiquitates ecclesiasticas prospero apud nos coluerunt successu Ioach. Hildebrandus, Thomas Ittigius, Vitus Ludouic. a Seckendorf, Ioh. Andr. Schmidius, Ioh. Franc. Buddeus, Vrban. Godofr. Siberus, Moshemius, et Ioh. Georg. Walchius. Litterariam vero, ad quod nobilissimum studium Germani, sine controuersia, facem praetulerunt aliis gentibus, tot viri doctissimi suis lucubrationibus exornarunt, vt, si

vlla in re, certe in hac noſtris ſuperbire copiis queamus. Non repetemus hic praecipua nomina, iam laudata quippe in *Capite I. §. 5.* id ſaltim obſeruaſſe iuuabit, MORHOFIVM *Polyh. Tomo I. lib. 1. cap. 18. § 50. p. m. 207.* poſtquam haec ſcripſerat: *Certe vel ipſe liuor fatebitur, absque Germanis vix tantos in re litteraria progreſſus facturas caeteras nationes, quae Germanos quadantenus Paedagogos nactae ſunt*, ſingularem promiſiſſe Diſſertationem *de meritis Germanorum in rem litterariam.* Sed, quod eſt dolendum omnino, illud Opuſculum, lectionibus Academicis proponi coeptum, abſoluere viro laborioſiſſimo haud licuit, ſolumque eius exordium, inter ſchedas litterarum ſtudioſi, qui ex dictantis id ore exceperat, repertum, in *Diſſertationum Morhofianarum* Volumine *Hamb. a. 1699. in 4. p. 612. ſq.* excuſum eſt. Cf. MOLLERI *Prolegomena, Tomo II. ac III. Polyhiſtoris* praefixa, *p. 64.* Particulam quidem hanc, multis modis perfectiorem, et ex Auctoris autographo mire locupletatam, in *Praef.* ad MORHOFII libellum *de legendis, imitandis et excerpendis Auctoribus, Hamb. a. 1731. in 8.* pollicitus eſt, ſed nondum edidit, clariſſimus KOHLIVS. Add. venerabilis WALCHII *Progr. Lipſ. a. 1715. in 4.* diuulgatum *de Germania, hiſtoriae litterariae ſplendore noſtra in primis aetate illuminata,* in quo tamen vir, de his etiam ſtudiis optime meritus, varia nunc eorum nomina deleret forſitan, quorum ſcripta patriae noſtrae non adeo honorifica eſſe arbitramur. Hactenus de Bailleto, caeteriſque Gallis, Germanos indigne ruſticeque vellicantibus. At his opponimus, praeter iam dicta, humanius longe iudicium VRBANI CHEVREAV in *Chevraeanis Tomo I. p. 91.* his verbis expreſſum: *Tilenus pour un Allemand parle et écrit bien François, dit Scaliger, Gretſerus a bien de l'eſprit pour un Allemand, dit le Cardinal du Perron; et le Pere Bouhours met en queſtion, ſi un Allemand peut être un bel eſprit? On ne doit*

doit juger ni bien, ni mal, d'une Nation par un particulier, ni d'un particulier par ſa Nation. Il y a des Allemands comme des François, qui n'ont point d'eſprit; des Allemands, qui ont ſçû plus d'Hebreu, plus de Grec, que Scaliger, et le Cardinal du Perron. J'honore fort le Pere Bouhours, qui a du merite: mais j'oſe dire, que la France n'a point de plus bel eſprit, que Madame la Ducheſſe de Hannover d'aujourd'hui, ni de perſonne plus ſolidement ſavante en Philoſophie, que l'étoit Madame la Princeſſe Eliſabeth de Boheme, ſa ſoeur; et je ne crois pas, que l'on refuſe le même titre à beaucoup d'Academiciens d'Allemagne, dont les Ouvrages meriteroient bien d'être traduits. Il y a d'autres Princeſſes en Allemagne, qui ont infiniment de l'eſprit, mais on s'eſt mis en tête, qu'elles n'en ont point, parcequ'elles ne ſont ni enjoüées, ni coquettes, et qu'en France on juge ſouvent du bel eſprit par la belle humeur. Les François diſent, c'eſt un Allemand, pour exprimer un homme peſant, brutal; et les Allemands, comme les Italiens, c'eſt un François, pour dire un fou et un étourdi. Nous diſons encore, c'eſt un Italien, pour marquer un fourbe; et un Anglois, pour marquer un trâitre. C'eſt aller trop loin, et il eſt certain, qu'il y a en France des gens fort ſages; des gens éclairez et penetrans en Allemagne; d'autres de fort bonne foi en Italie; et en Angleterre des gens de bien. Ainſi le Cardinal du Perron n'avoit plus qu'à dire, le Pere Gretſer avoit bien de l'eſprit, c'eſt dommage, qu'il fut Allemand, comme le Prince de Salé dit de Ruyter, il eſt honnête homme, c'eſt dommage, qu'il ſoit Chrêtien. STEPHANVS item BALVZIVS in *Epiſtola ad Frid. Bened. Carpzouium* ſic ſcribit: *Ego ingenia veſtra non ſolum non deſpicio, ſed plurimi facio, vt qui multa bona didicerim in libris Germanorum, quorum ſatis magnam copiam habeo.* Addit tamen in alia *Epiſtola ad Ioh. Schilterum*: *Qui in gratiam eruditorum ſcribunt, debent, vt ego quidem arbitror, abſtinere a laudandis lucubrationibus illis, quae in praeſens ſcriptae, ad*

 aucu-

aucupandam nimirum auram vulgarem, non pertinent ad posteritatem. In quo saepe labi vestrates Scriptores, iam questus sum apud eorum nonnullos. Vid. SCHELHORNII *Amoenit. litterar. Tomo VIII. p. 624.* et *p. 632.* Quid de Germanorum ingeniis sentiat eminentissimus Quirini, iudex sane congruus, haud ita pridem docuit clarissimus ROTHFISCHERVS in Relatione *de transitu suo ad coetum Lutheranum*, Germanice typis impressa. Dixit nimirum, anno 1748. quum Ratisbonae commoraretur, eximius ille Maecenas: *O, eruditissimi nostrorum non sunt aequiparandi mediocribus ipsorum!* Cf. quoque BAELII *Diction. histor. et critique*, v. *Gretserus*, vbi inter alia de viro hoc docto: *Le Cardinal du Perron*, inquit, *lui accordoit la loüange d'avoir de l'esprit; mais il ajoûtoit une clause très-malhonnête, puisqu'elle choquoit une très-illustre et très-savante Nation.* Donzellini, Sepulvedae, Erasmi et Bodini elogia Germanorum adfert litteratissimus HEVMANNVS in *Poeciles Tomo I. p. 643.* Idem de ingeniis eorum, speciatim philosophicis, copiose agit in *Actis Philosophor. Tomo I. p. 709. sq.* ac *Tomo III. p. 838. sq.* Quum antea plerique cum Aristotele ambularent, primus deseruit castra Scholasticorum et Sectariorum omnium, rectioremque ad veram Philosophiam, maxime practicam, perueniendi viam patefecit, et animose, concoctis, quae deuorandae ipsi erant, obstinatorum ineptiis, persequutus est circa saeculi superioris finem Christian. Thomasius, de quo plura lectu dignissima occurrunt in IACOBI BRVCKERI *Histor. critica Philosophiae*, Opere vniuersis exterorum, in hoc studio, conatibus longe anteferendo, *Tomi IV. Parte altera, p. 451. sq.* Quantopere eodem tempore Godofr. Guil. Leibnitius, ac deinceps Christian. Wolfius, viri summi, disciplinas philosophicas illustrarint reddiderintque perfectiores, vel praetextati hodie pueri non ignorant. Cf. SAM. CHRISTIANI HOLLMANNI, qui

ipſe inter meliores Germaniae philoſophos locum occupat, *Diſſert.* elegans *de Reformatione philoſophica, Vitembergae a.* 1730. *in* 4. §. *IX. ſq.* ac de Leibnitio ſolo BRVCKERVS, *l. c. pag.* 373. *ſq.* Diuerſa fuit illius a Thomaſii principiis philoſophandi ratio. Tantum enim abeſt, vt eius, aliorumque recentiorum, doctrinas ſuo prorſus calculo probauerit, vt veterum potius, Scholaſticorum etiam, horum licet naeuos ſatis perſpectos haberet, laudarit methodum, eorundemque auctoritatem, fractam aliquamdiu et conculcatam maxima ex parte, in priſtinum reſtituere ſtatum laborauerit. Inde mirum non eſt, varia antiquae Philoſophiae cum gentilis, tum ſcholaſticae, in eius, quod formare coeperat, ſyſtema confluxiſſe. Poſſemus facile plures egregios, quos patria noſtra peperit, philoſophos ſubtexere, e. g. Sam. Puſendorfium in Philoſophia practica, Ioh. Henr. Wincklerum in naturali, et Ioh. Martin. Chladenium, qui multa in Logicis fuſius ſolidiusque, quam ante eum factum, pertractauit; ſed properandum eſt ad caetera, ne nimis diu huic de Germanorum ſtudiis argumento inhaereamus. Praetermiſſa ſupplebit haud dubie IOH. ZACH. HILLIGERI *Oratio de meritis Germanorum in Philoſophiam, vindicatis contra Gallos*, quam in *Actis Academ. Vitemberg.* exſtare integram, doctiſſimus teſtatur STROODTMANNVS in *den Beyträgen zur Hiſtor. der Gelahrheit, Hamb.* 1748. *ſq. in* 8. *Parte II. pag.* 230. Coeli mathematici apud nos ſidera ſunt clariſſima Georg. Peurbachius, eiusque diſcipulus, Ioh. Regiomontanus, porro Chriſtoph. Clauius, Simon Marius, Ioh. Keplerus, Otto Guericke, Erh. Weigelius, Ioh. Chriſtoph. et Leonh. Chriſtoph. Sturmii, pater ac filius, Ehrenfr. Waltherus a Tſchirnhauſen, Iacob. Leupoldus, Godofr. Guil. Leibnitius, Chriſtian. Wolfius, Leonh. Eulerus, Ioh. Frid. Weidlerus caet. De Leibnitio ſane, viro inter maximos aetatis recentioris

Polyhiſtores collocando, veriſſimum eſt laudati BRVCKERI iudicium *l. c. p. 379.* vbi ſic ſcribit: *Nulla in ſcientia vel ingenii vaſtitatem, vel cogitationum ſublimitatem, vel meditationum felicitatem magis prodidit, quam in artibus mathematicis. In quibus difficillimas arithmeticae et geometriae diſciplinas perficere aggreſſus, ſupra omnem exſpectationem ad humani intellectus apicem progreſſus fuiſſe recte cenſetur. Non prouocabimus ad vniuerſi orbis mathematici ſententiam et conſenſum, quem conſpirare amice in hac Leibnitiani nominis gloria, nemo eſt rerum litterariarum tam ignarus, vt neſciat: ſed ipſa viri maximi ſpecimina Actis Eruditorum et Ephemeridibus Pariſienſibus pleraque inſerta, in partes vocamus, quibus tantum Matheſin ſublimiorem iuuit, quantum ab humano ingenio proficiſci potuit.* Cf. GE. ALB. HAMBERGERI *Progr. de meritis Germanorum in Matheſin, Ienae a. 1694 in 4.* BONIFAC. HENR. EHRENBERGERI *Diſſ. de temperamento mathematico, ibid. 1710. Cap. II. §. 8.* MICH. GOTTLIEB HANSCHII *Praefat. Epiſtolis ad Ioh. Keplerum ſcriptis*, ac *Lipſ. a. 1718. in f.* editis, praefixa, in qua idem argumentum attigit, nec non IOH. GABR. DOPPELMAYR *hiſtoriſche Nachricht von den Nürnbergiſch Mathematicis und Künſtlern, Norimb. a. 1730. in f.* Studia philologica omni contentione, et velis, vt ita dicam, remisque ad ſummum a Germanis euecta faſtigium eſſe, ſequentia indicabunt. Scilicet *de Germanorum in litteraturam Orientalem meritis Diſſertatio* diuulgata eſt *Altorfii a. 1698.* auctore RVDOLPHO MART. MEELFÜHRERO, de quo legatur *Lexicon Eruditorum Menckenio-Ioecherianum.* Add. IOH. CHRISTIANI CLODII *Progr.* quo ad audiendam *de Germanorum in linguas Orientales meritis* Orationem inuitauit, *Lipſ. a. 1728. in 4.* ac ſigillatim *de eximiis Sueuorum in litteraturam Orientalem meritis* doctiſſimi SCHELHORNII *Schediaſma* in ipſius *Amoen. litterar. Tomo XIII. artic. 3. pag. 197. ſq.* Hac

noſtra

noſtra aetate maxime inclaruerunt his litteris Henr. Opitius, laudatus Clodius, Ioh. Andr. Dantzius, Ioh. Chriſtoph. Wolfius, Ioh. Dauid Schieferdeckerus, Conr. Ikenius, et Andr. Georg. Waehnerus. In Graecam Philologiam quanto ardore incubuerint ciues mei, eleganter oſtendit CONR. SAM. SCHVRZFLEISCHIVS *Diſſ.* ſingulari *de meritis Germanorum in Graecas litteras*, quae primum excuſa *Vitemb. a.1697.* poſtea in *Diſſertationibus eius Lipſ. a. 1699. in 4.* iunctim exhibitis locum vltimum obtinuit. Lectu quoque digna eſt IOH. BALTH. BERNHOLDI *Diſſ. de Profeſſoribus Altorfinis, qui Graece doctiſſimi fuerunt, Altorfii a.1732. in 4.* pariterque LAVR. REINHARDI *Orat. de incrementis, quae Philologia Graeca inde ab anno 1701. vsque ad annum 1727. opera Germanorum cepit*, quae eiusdem acceſſit *Inſtitut. ſtili Latini, Frf. et Lipſ. a. 1728. in 8. p.161. ſq.* Ne quis deſiderare poſſit exempla, nominabimus ſaltim, inter tot alios, Ioach. Camerarium, Hieron. Wolfium, Mart. Cruſium, Ioh. Leunclauium, Dauid. Hoeſchelium, et Eraſm. Schmidium, optimum ante Oxonienſium conatus, Pindari editorem, qui poeta quum prodiret in lucem, obſtupuerunt fere eruditiſſimi Belgarum, vt ſponte ſint faſſi, tantum in difficili non modo, verum etiam inquinatiſſimo mendis, auctore praeſtitum eſſe a Schmidio, quantum praeſtari ab vllo eruditorum poſſe vix credidiſſent. Vid. SCHVRZFLEISCHII *Diſſ. cit. §. V.* et GOETZII *Merckwürdigk. der Königl. Bibl. zu Dreſden, Vol. II. p. 467.* Alias non minores laudes tribuendae ſunt editionibus antiquorum Muſicorum VII. ac Diogenis Laertii a Marco Meibomio; Pauſaniae a Ioach. Kuhnio; Suidae, Ariſtophanis, et Iamblichi de vita Pythagorae a Ludolpho Küſtero; Philoſtratorum a Godofr. Oleario; Epiſtolarum Libanii a Ioh. Chriſtoph. Wolfio; Sapphonis a fratre illius, Ioh. Chriſtiano; Sexti Empirici, a Ioh. Alb. Fabricio; Dionis

Caſſii ab eodem et Herm. Sam. Reimaro; Luciani a Ioh. Matthia Geſnero ac Ioh. Frid Reitzio; item Theophili, Inſtit. Iuſtinianearum interpretis, a Guil. Ottone Reitzio adparatis. Latini pariter Scriptores varii, Germanorum induſtria copioſe ornati, eruditorum ante oculos iacent, quod planum faciunt Plautus Frid. Taubmanni, Claudianus ac Statius Caſp. Barthii, Florus Laur. Begeri, quamquam non integer, Salluſtius Gottlieb Cortii,*) Plinii Epiſtolae eiusdem et Pauli Dan. Longolii, Rei ruſticae Scriptores Ioh. Matthiae Geſneri, et Plinii Panegyricus Chriſtiani Gottlieb Schwartzii. In Taubmanni tamen Barthiique editionibus cum nitor externus, tum adcurata typographicorum errorum emendatio, deſideratur. Artis etymologicae ſcientiſſimus fuit Theod. Haſaeus, nec vixiſſe hac noſtra aetate maiorem in hoc ſtudio acutioremque, HEVMANNVS ſcribit in *Conſpectu Reip. litt. Cap. V.* §. *10 p. m. 255.* Inſcriptionum variarum collectores et explicatores eruditos, quos vindicat ſibi Germania, recenſet KAPPIVS V. C. in *notis ad* IVVENELII *Verſuch einer Geſchichte der ſchönen Wiſſenſchaften, P. II. p. 158. ſq.* Lexica vero Latinae linguae, Fabrianum ac Stephanianum, ſi adſpiciamus, nonne ſtatim elucet exinde diuturnus et incredibilis Geſneri, noſtratis, labor? Addatur generatim LAVR. REINHARDI *Orat. de incrementis, quae Philologia Latina in Germania ſaeculo XVIII. cepit,* in eius *Inſtit. ſtili Latini, pag. 118. ſq.* et IOH. GODOFR. OLEARII *Progr. de meritis Germanorum in ſtudia humanitatis, Sangerhuſae 1730. in 4.* vbi paucis pertractauit Auctor, quae totum certe librum depoſcerent. Accedimus ad tres ſuperiores eruditorum Ordines, quos vulgo Facultates dicunt. Inter Theologos praeſtantiſ-

*) Nouiſſima quidem Salluſtii editio eſt Belgica, quam *a. 1742. in 8. mai.* curauit SIGEB. HAVERCAMPVS; ſed quid de ea ſit ſentiendum, docent *Acta Erud. Lat. a. 1743. p. 193. ſq.*

ſtantiſſimos merito primas tenet Martinus Lutherus, ingenium maxime heroicum. Huic iungendi Martin. Chemnitius, Ge. Calixtus, Philipp. Melanchthon, Ioh. Gerhardus, Salomo Glaſſius, Sebaſt. Schmidius, Auguſt. Pfeifferus, Ioh. Franc. Buddeus, Ioh. Guſtauus Reinbeckius, Valent. Erneſt. Loeſcherus, et, qui hac noſtra aetate Scriptorum ſuorum gloria viui adhuc florent, Ioh. Laur. Moshemius, Salomo Deylingius, Ioh. Ge. Walchius, Sigism. Iac. Baumgartenius, aliique bene multi. Cf. IOH. CHRISTOPH. WENDLERI *Diſſertatio*, Praeſide Sontagio, *Altorf. a. 1710. in 4.* defenſa, *de praecipuorum quorundam ſaeculi XVI. et XVII. Theologorum Lutheranorum eruditione, in Eccleſiam meritis et ſcriptis;* itemque BERGERI *Stromateus Academicus p. 852. ſq. De meritis Germanorum in Iurisprudentia Diſſertationem*, Praeſide Guil. Hieron. Bucknero, Anteceſſore Ienenſi, primum *Ienae a. 1714.* habuit, poſtea, non adiecto anno, auctiorem *in 4.* edidit NICOL. PRAGEMANNVS. *) Sed in hoc Opuſculo de Iurisprudentia tantum naturali ſermo eſt Auctori, aliis etiam ingenii monumentis clariſſimo. Induſtriam Germanorum, in Iure ciuili poſitam, non attigit, cauſſam reddens hanc ſub tractationis finem: *Et haec ſpeciminis loco ſufficiant. Licet enim merita Germanorum in Ius ciuile huic ipſi ſpecimini adiicere ab initio conſtitutum fuerit; tamen et plagularum ſpatium et fata huius ſpeciminis varia et ſingularia id iam non admittunt.* Si quis nouerit ſpectatiſſimos viros, Vdalric. Zaſium, Bened. Carpzouium, Dauid. Meuium, Ioh. Strauchium, Coldicenſem patria, Wolfg.

*) In STOLLII *Hiſtorie der philoſoph. Gelahrheit, Parte III. cap. 2. §. 3. p. 657. edit. nouiſſ. Bibliotheca philoſoph. Struuio-Kahliana, Tomo II. p. 318.* et *Catalogo Biblioth. Bunauianae, Tomo I. vol. 1. p. 565.* Diſſertionem illam *Ienae a. 1718. in 8.* prodiiſſe memoratur, quam vero editionem nunquam videre contigit.

Adam. Lauterbachium, Ge. Adam. Struuium, Ioh. Schilterum, Sam. Strykium, Henr. a Coccei, Ioh. Nicol. Hertium, Christian. Thomasium, Ioh. Henr. a Berger, Gottlieb Gerhard. Titium, Nic. Hieron. Gundlingium, Iust. Henning. Boehmerum, Ioh. Balth. a Wernher, Ioh. Gottlieb Heineccium, Augustin. a Leyser, Christian. Godofr. et Ioh. Guil. Hoffmannos, fratres, statim suffragabitur nobis, eosdem in Themidos castris duces exercitatissimos, maximaeque auctoritatis, fuisse. Elegantiorem quoque, vt vocari solet, Iurisprudentiam a Germanis pulcherrimum vestitutum ornatumque accepisse, propediem singulari Dissertatione ostendetur, *Opusculis Reinoldianis* praemittenda. Ius Canonicum et ecclesiasticum Protestantium quam acute apteque illustrarunt et ad sincera reduxerunt principia Ioh. Brunnemannus, Casp. Zieglerus, Thomasius, Boehmerus, eiusque Discipulus, Ioh. Ge. Pertschius! De Boehmero digna sunt, quae hic recitentur, verba illustris a BIELEFELD ex libello, *Progrès des Allemands dans les Sciences, les belles Lettres et les Arts, particuliérement dans la Poesie et l'Eloquence* inscripto, excusoque *Amstaelodami* seu *Berolini* potius, *a. 1752. in 12.* vbi *pag. 43.* haec exstant: *Il est remarquable, que Mr. le Chancelier Boehmer aiant fait parôitre en l'année 1747. son Droit canon sous le tître de* Corpus Iuris Canonici caet. *qu'il dedia, dis-je, cet important Ouvrage au Pape Benôit XIV. qui occupe aujourd'hui la saint siége. Ce savant Pontife a reçu avec une bonté singuliére, et comme un présent agréable le livre de Mr. Boehmer. On allégue même dans quelques païs catholiques cet Ouvrage; et l'auteur a acquis une si grande réputation en Italie, qu'on envoioit assez fréquemment des procès difficiles et compliqués à la decision de la faculté de droit à Halle, dont Mr. Boehmer étoit le doien: j'en ai été témoin oculaire.* In Iure Imperii Romano-Germanici publico, itemque beneficiario, saeculorum

rum omnium posteritas grato animo nomina prosequetur Ioh. Limnaei, Herm. Conringii, qui primus Historiae patriae ac Philosophiae ciuilis in Iure publico vsum indicauit, Ioh. Strauchii, Ioh. Schilteri, Ge. Adami et Burc Gotthelfii Struuii, Ioh. Frid. Pfeffingeri, Iac. Caroli Speneri, Ioh. Petri a Ludewig, Mich. Henr. Gribneri, Nic. Hier. Gundlingii, Gottlieb Sam. Treueri, Henr. Christiani a Senckenberg, Ioh. Iac. Mascouii, Christiani Gottlieb Buderi, Ioh. Ge. Estor, caet. Cf. CLERICI *Biblioth. choisie*, *Tomo VII. p. 382.* et viri celeberrimi, GOTTLOB AVG. IENICHEN, *Oratio de insignibus commodis, quae Iurisprud. feudal. Academiae Gissenae debet*, praemissa *Tomo I. Thesauri Iuris feudalis*, *Frf. ad Moen. a. 1750. in 4. mai.* edito. *De Germanorum meritis in rem medicam* habemus *Progr.* IOH. IAC. BAIERI, *Altorfii a. 1704.* ac speciatim *de Germanorum in Anatomiam meritis Orationem* IOH. ANDR. SCHMIDII, *Helmst. 1723. in 4.* cuius summa capita legi possunt in *Annalibus Acad. Iuliae, Semestri VII. p. 154. sq.* Accessit nuper PHIL. CONR. FABRICII, Medici experientissimi, *Oratio de praecipuis Germanorum in rem herbariam meritis, ibidem a. 1751. in 4.* Credidit olim STRVVIVS, in medicis Germanos scriptores vltra Galenum quidem sapere, nouandi tamen studio parum capi, quin potius praeceptorum institutis gnauiter inhaerere, nisi forsan quis, ambitione ductus, alia proponat. Verum enim vero Daniel Sennertus, Mich. Ettmüllerus, Ge. Wolfg. Wedelius, August. Quirin. Riuinus, Ioh. Godofr. Bergerus, Ge. Ernest. Stahlius, Frid. Hoffmannus, Laur. Heisterus, Christian. et Abrah Vaterus, Ioh. Zach. Platnerus, Bernh. Siegfried. Albinus doctrina sua, nouisque inuentis, adeo nobilitarunt amplissimum Medicorum Germanicorum Ordinem, vt in hoc etiam agro patria nostra messem honorum metere maximam queat. De horum, et plurium, scriptis vid. passim CHRISTIAN.

GVIL.

GVIL. KESTNERVS in *Bibliotheca medica.* Mechanicis tandem, aliisque artibus, in primis lanae, ferri, aerisque tractandi, et per mille artificia ducendi, peritia mirabiliter excellunt Germani, ingeniosaeque eorundem manus prouerbio celebrantur. Ioh. Guttenberg ac Petr. Schoefferus artis typographicae, Berthold. Schwartz pulueris pyrii, alii bombardarum, horologiorum et artis vitriariae fuerunt inuentores. Cf. OCTAVII FERRARII *Prolus. XVIII. de Germaniae laudibus, T. I. p. 238. sq. Operum a Ioh. Fabricio editorum,* EVER. OTTONIS *Notit. Rerumpublic. Cap. I. §. 30. p. m. 82. edit. quartae,* GOTTSCHEDII *Orationes Germanicae p. 130. sq.* itemque BERNH. PETRI KARLII *Diss. de Germania artibus litterisque nulli secunda, Rostoch. 1698.* de quo scripto REIMMANNI in *Catalogo Biblioth. suae, T. II. p. 353.* hoc est iudicium: *Actor merita Germanorum litteraria per omnes scientias et disciplinas ita asseruit et vindicauit, vt dolendum sit admodum, eum non perrexisse hac linea, qua coepit, et ex hoc vrceo non fecisse amphoram, et rudimenta huius aedificii ad fastigium non perduxisse.* Addi merentur plures Scriptores, qui faciunt ad amplificandam Germanorum in litteris artibusque gloriam. Tales vero sunt IOH. PHIL. SLEVOGTIVS, elegans quondam Academiae Salanae Antecessor, cuius *Progr. de ingeniis Germanorum, Ienae 1694. in 4.* prodiit, sed hodie in paucorum est manibus; IOH. GODOFR. WALTHERVS in libello *de certaminibus ingenii, maxime inter gentes, Guelpherb. 1720. in 8.* vbi *p. 68. sq.* nationem Germanicam a stupiditatis obtrectatione Rich. Steelii, Angli, vindicare studuit; IOH. CHRSTOPH. GOTTSCHEDIVS, a quo *Lips. a. 1734. in 4.* diuulgatum est *Progr. de iniquitate exterorum in ferendo de eruditis nostratibus iudicio, illustrium virorum, Ioh. Lockii, et Guil. Molynaei exemplis confirmata;* WOLFG. BALTH. ADOLPHI a STEINWEHR in *Orat. pro ingenio Germanorum, temere*

mere

mere iis a Gallorum Germanorumque nonnullis, ac per grande nefas abiudicato, Frf. ad Viadr. 1750. in 8. mai; nec non BIELEFELDIVS, cuius Opuſculum, de meliori commendandum, ſupra iam adduximus. Agit hic quidem de meritis Germanorum in doctrinas liberales generatim, praecipue tamen cogitationes eius in Poeſi et Eloquentia defixae ſunt. Satis diximus, credo, de virtutibus Germanorum: indicanda etiam noſtrorum vitia, ne partium ſtudio abrepti videamur. Ad omnia certe praeclara nati ſunt, verum in multis nimia vituperatur feſtinatio. Metiuntur plerumque famam Operum et magnitudine, et numero, ac plura, quam legerint, ſcribunt, vt BARCLAIVS ait in *Icone animor. Cap. V. p. m. 138.* Quot Magiſtelli huc atque illuc oberrant, qui prius Auctores fiunt, quam diſcipuli! His ſcilicet ingenium, et rerum prudentia velox ante pilos venit. Vbi ad virilem progrediuntur aetatem, quotidie creſcit ſcribendi pruritus, ſtimulat lucri cupiditas inexplebilis, adeoque mirum non eſt, ſi tabernae librariae ſingulis annis plauſtra ineptiarum euomant, quas mox vides, pernicioſo fato, thuris piperisque cucullos, celeberrimorum Auctorum ſapientiam, quum doctiores eandem non agnouerint, ſtupidorum ex infima plebe hominum oculis ſubiicientes. Nec laudi nobis eſſe puto innumerabilem eorum, qui litterarum ſe cultores profitentur, turbam. Iam olim hoc deplorauit Scriptor quidam anonymus in libello, cuius titulus: *Germania milite deſtituta, et litteratis ſua ceu mole laborans.* Editus is eſt *a. 1677. in 12.* recuſusque deinceps in GROSCHVFFII *noua librorum rariorum Collectione, Hal. Magd. a. 1709. in 8. Faſc. II. p. 283. ſq.* Largior facile, non omnia, quae diſſeruit Auctor, eſſe probanda; iuſto durius tamen iudicant, mea quidem ſententia, viri non nulli clariſſimi, qui nil niſi ieiuna eum protuliſſe contendunt. Cf. HEVMANNI *Conſpect. Reip. litt. Cap. IV. §. 55. p. m. 169.* Verum

rum eſt profecto, quod, pluribus ad ſtudia ſe transferentibus, plerique de pane lucrando cogitent, nec ſolidam quaerant eruditionem. Accedit et hoc, quod de ingeniorum delectu minus ſolliciti ſint Germani. Dantur, quos fere natos dixeris ad ſingularem quandam diſciplinam, ſed ii ipſi vel in puluere ſcholaſtico deſudare coguntur, vel rebus tractandis praefici ſolent, quas leui admodum cura attigerunt. Aliis docendi partes, cum in cathedra ſacra, tum Academica imponuntur, qui, ad has non idonei ſatis, felicius totam conſumere aetatem ſcribendo poſſent. Eiusmodi quoque munera quia perpetuos ſaepenumero labores a mane ad noctem vsque poſtulant, ſupprimunt ſcriptionis incitamenta, imo plane exſtinguunt. Taceo, ſalaria plurimis conſtituta eſſe tam exigua, vt vel aegritudine, vel oeconomicis, aliisque rebus quibuscunque, tempus perdere debeant, quod alias Muſis conſecrarent egregie, ſi ab omnibus hisce ſoluti forent. Deſunt denique variis in locis Bibliothecae publicae, libris pretioſis ac rarioribus bene inſtructae: deſunt Maecenates, qui eruditorum ardorem honoribus opibusque augeant et ſuſtentent. Quae quum ita ſint, optandum eſſet *primum*, ne omnes apud Germanos promiſcue admitterentur in ciuitatem litterariam, ſed inſtituto potius ingeniorum delectu ii tantum ſegregarentur a reliquis, quorum excellentes animi dotes exſpectationem concitant ampliſſimam. Non enim ex quouis ligno Mercurius fit, atque ſic deſinerent de tot inutilibus terrae ponderibus, iis nimirum, qui vix a limine litteras ſalutarunt, querelae; *) *deinde*, vt illi, qui exploratis rite mentis facultatibus, natu-

*) Sapienter Auctor *Germaniae milite deſtitutae* caet. *p.* 298. in *Collect. citata Groſchuſſiana doleo certe*, ait, *vicem iſtorum parentum, qui ſuo miſere defraudantes genio, vnde filio ad ſtudia ſumtus erogentur, in emendicandis vndiquaque ſtipendiis, iſtis luxu-*

naturali ad certam quandam diſciplinam, prae multis aliis, dexteritate pollent, ad excolendam hanc ipſam diſciplinam, neceſſariis a ſuperioribus fulti ſubſidiis, firmaque futurorum emolumentorum ſpe incenſi, accederent; *poſtremo,* vt eius generis homines, ſi praeſtanda praeſtiterint, laudabilemque vitae rationem ſequantur, anteferrentur omnibus, et prima quaque occaſione, aequa laborum praemia acciperent, ne alias, diuturnis pollicitationibus ſpeque inani producti, demittant animum, et in Muſarum cultu paullatim negligentiores fiant.

§. XV.

Poſt longos, haud iniucundos tamen, ni fallimur, ſermones de quinto libri criterio ex Auctoris patria, pergamus ad ſextum, quod dabunt typographi et bibliopolae, quorum impenſa ſcriptum aliquod prodiit, ipſaeque eiusdem editiones. Admodum hoc fallax credit et ambiguum COLERVS in *Analectis ad hunc locum*, niſi forte non tam de materia, quam de forma libri externa, illud intelligere velis. Prouocat ad GROSCHVFFII *Praefationem,* quae praemiſſa eſt *nouae librorum rarior. Collectioni.* Statim is in principio ſcribit: *externae librorum ſpecies ſaepe fallunt, et a facie magis, quam a cura et ſolidiori ſtudio, nobis commendantur.* - - - *Proſtant ſaepe in officinis libri, qui auguſta forma, eleganti charta, litterisque nitidiſſimis expreſſi oculos noſtros perſtringunt, ac vehementer adficiunt, ſed interiora voluminum vbi adcuratius inſpexeris, et iudicio ſaepe et ſolidiori doctrina vacant, mendisque adfluunt pene innumeris.* Idque deinceps exemplis probat Groſchuffius,

luxuriae interdum Academicae inſtrumentis, indefeſſi, poſtmodum filios, ex Academiis in patriam reduces, ipſam parituros Mineruam ſtolida vanitate augurantur, quos tamen, domum reuerſos, Reipublicae, ſibi, ſuisque oneri eſſe plerumque, videmus.

ſius, petitis ex Scriptoribus Romanis, qui in vſum Delphini excuſi, et ex Graeuii Theſauro Antiquitatum. Cauſſa nulla eſt, cur litem inferamus Colero, propterea, quod iam in *§pho III. huius Capitis* ingenue fuerit dictum, omnes eas, quibus libri iudicantur, notas non ſemper probas eſſe, et extra aleam poſitas. Hoc tam nemo temere negabit rei librariae paullo peritior, ſaepe ad meliorem librorum cognitionem feneſtram aperiri, ſi quis ſciat, ex qua officina ii prouenerint, quaenam editiones caeteris palmam praeripiant. Exemplum ſuppeditat MAICHELIVS in libello *de Biblioth. Pariſ. Parte II. cap. 2. p. 140.* vbi monet, in Dupinii Bibliotheca Scriptorum eccleſiaſticorum, quae a. 1690. ſq. recuſa eſt, deficere multa, quae antea ibi exſtiterint; atque inter alia ſententiam eius de Neſtorianiſmo, quod ſit mera Logomachia, quam a. 1693. retractare coactus fuerit. Quod ad typographos ac bibliopolas attinet, eorum multi ſane non rudes olim erant et ſordidi, ſed homines eruditiſſimi, qui vel cum celeberrimis noſtrae aetatis Profeſſoribus de fama et doctrina inire certamen potuiſſent. Gallia nouit ſuos Stephanos, Italia Manutios, Belgium Plantinos, Germania Wechelios et Commelinos, Heluetia Frobenios et Oporinos, de quibus infra ſpeciatim *Cap. XI.* Cf. FRID. CHRISTIANI LESSERI *Typographia iubilans*, vbi *Cap. VII. a p. 295.* vsque ad *p. 347.* iucunda de *typographis eruditis* digreſſio reperitur. De his et ſimilibus iure adfirmatur, quod ſcripta in lucem ab iis protracta ſuam laudem mereantur, cum ob ſummam errorum typographicorum emendationem, tum ob ſingularem argumenti chartae litterarumque praeſtantiam. Conſulatur celeb. WALCHIVS in *Hiſtor. crit. Lat. linguae, Cap. VII. §. 3. p. 451. edit. nouiſſ.* Noſtro autem tempore typographi varii Latinum vocabulum vix iungere, bibliopolae vix legere norunt. Vid. hic IOH. CONR. ZELTNERVS in *Correct. erud.*

Centur.

Centur. p. 23. Vnde ſit, vt tot vulgaria, tot ludicra, tot ſcriptorum quiſquiliae, tot excrementa edantur. Sufficere nimirum putant bibliopolae, ſi modo titulus ſit magnificus, vel ipſe liber tabula aenea ornatus: haec hedera eſt. Vbi officinas librarias ingredimur, quot, quaeſo, pro ſaeculi genio, iacent hic Poſtillae, vt ſic loquamur, quot libelli amatorii, quot peſſimi, et humillimi ſpiritus, poetae, quot Logicae, quot praecepta homiletica, quot inferorum in campis Elyſiis dialogi, quot Iuris compendia, quot Lexicographi et Grammatici, qui libri, mendoſiſſime ſimul maximam partem exſcripti, alios meliores de loco ſuo detrudunt! Vix vnus atque alter interiectus eſt, qui ſolidam ſpiret eruditionem. Ruditas hoc facit et inhoneſta quaeſtus cupiditas librariorum, qui de facili tantum et expedita mercium ſuarum venditione ſolliciti ſunt, lucri enim bonus odor ex re qualibet. Editiones librorum ſi ſpectemus, conſtat inter omnes, quod antiquiſſimae e. g. Romanae Venetaeque, Aldinae cum primis, MStorum propemodum fidem habeant. Ita Plinius, maior, Venetiis a. 1469. Romae a. 1470. et Parmae 1476. Quintilianus Venet. 1471. Celſus Florentiae 1478. Liuius Romae 1470. Lucanus ibid. 1469. Silius Italicus ibid. 1471. Homerus Florent. 1488. aliique, hoc ſaeculo editi, cum MStis certant, et iisdem aequiparari ſolent, quoniam ex vetuſtiſſimis optimaeque notae Codicibus manarunt. Cf. SCHELHORNII, V. C. *Amoenit. litterar. Tomo II. p. 330. ſq.* vbi plures eiusmodi editiones laudantur, hodie rariſſimae. Illae igitur recentioribus, ſi nihil in his ſit additum, plerumque debent praeferri. Splendidae ſunt permultae Gallorum, Anglorum, Belgarumque editiones, ſuperiori et hoc ſaeculo adornatae. De Belgicis e. g. vid. *Acta Erud. Lat. a. 1702. p. 458.* quo loco Dauid Hoogſtratani Phaedrus recenſetur, chartae forma, typorum elegantia,

et iconum ſingulis ſabellis additarum nitore, maxime commendabilis. De eodem libro CLERICVS *en Biblioth. choiſie, Tomo IV. p. 261.* ſic ſcribit: *L'edition eſt auſſi en gros caracteres, et auſſi belle, qu'elle peut l'être. Il n'y a aucun lieu, où l'on imprime mieux qu'en Hollande, lors que l'on veut; et l'on a peu vû de livres auſſi bien imprimez, que celui-ci.* Idem tamen largitur *l. c. Tomo XI. p. 134.* inter Germanos quoque reperiri libros elegantiſſime ac perquam emendate excuſos, celebratque ſigillatim Thomam Fritſchium, ob curatam ab ipſo egregiam Pauſaniae editionem. Nec tacenda Gleditſchii merita, quippe qui Sexti Empirici Opera tam ornate pulchreque typis imprimenda curauit, vt facile omnem exterorum ſplendorem exaequaſſe videatur. Cf. ZELTNERVS *l. c. p. 25.* Huiusmodi exempla olim erant apud nos paullo rariora. Vere omnino MORHOFIVS *Polyh. litt. Tomo I. lib. 1. cap. 4. §. 29. p. m. 33. Germania,* inquit, *olim noſtra curioſiſſima, quae quum typos prima inueniſſet, eos dedit quam ornatiſſimos, hodie multis in locis adeo ſordida excudit volumina, vt, ſi ad chartam ſpectes, ſterquilinio videantur effoſſa; ſi typos, non impreſſa, ſed atro colore oblita credas.* Add. *Ausführlicher Bericht von neuen Büchern, Parte VII. p. 712.* At nunc longe aliter ſe res habet, quum non Lipſiae ſolum, quae mater eſt elegantiarum, ſed in plurimis etiam Germaniae Academiis, vrbibusque nobilioribus, typographi ad priſcam maiorum ſuorum virtutem laudabiliter adſpirent, variique eorum venuſta litterarum forma, ac diligentiſſima ſcripturae typis compoſitae emendatione nemini Belgarum, Anglorum, Gallorumue cedant. Agemus hac de re fuſius infra, ſub finem *Capitis XI. de Typographia.* Iam ſufficiet prouocaſſe ad Geſneri Scriptores rei ruſticae, Chronicon Gottwicenſe, Ioh. Godofr. a Meiern Acta Pacis Weſtphalicae, Wachteri Archaeologiam nummariam, Erneſti Opera Ciceronis, Bruckeri Hiſtoriam Philoſophiae

phiae criticam, itemque Dionem Cassium, nuper a doctissimo Reimaro Hamburgi editum, et Constantinum Porphyrogenitum de caerimoniis aulae Byzantinae. Venetorum econtrario, Coloniensium ac Geneuensium libri, quoniam plerique non adcurati sunt nitidique satis, pessimarum editionum in seriem vulgo transferuntur. In eo tamen nobis profuere Geneuenses, quod Opera quaedam egregia, non sine magno pretio alias comparanda, suis prelis subiecerint, adeoque manum commodarint ad faciliorem eorundem vsum. Cf. GROSCHVFFII *Praefatio laudata pag. 9.*

§. XVI.

Septimum de libro iudicium petere licebit ex Scriptoris statu. Sic in Historicis plurimum auctoritate valent, qui oculati testes fuerunt, qui negotia publica tractarunt, quibus patuerunt sanctiora Tabularia, vel alia subsidia accesserunt, ex quibus plenior rerum, quae exposuere, notitia colligi possit. Nefandas Catilinae artes Sallustius et Cicero detexerunt optime, quod ipsi praesentes erant. Xenophon, publicis Lacedaemoniorum rebus adhibitus, belle de Republica eorundem egit. Ludouic. ab Auila, Philipp. Cominaeus, et Francisc. Guicciardinus ipsi, quae descripsere, bellis interfuerunt. Amelot de la Houssaye postquam per aliquot annos apud Venetos commoratus fuerat, horum arcana penitus communicauit cum exteris in libro bonae frugis pleno, qui saepius editus est, hoc insignitus titulo: *Histoire du Gouvernement de Venise.* Camdenus Annales rerum, suo tempore gestarum, composuit. Thuanus vbiuis terrarum cum scriptoribus optimis commercia habuit litteraria. Pufendorfius in Tabularia fuit admissus. Quare tantum argumentum sumitur ex coaeuis, quibus haud facile denegari fides solet. In processu Ca-

merali plus credimus ipſis illuſtriſſimae huius Curiae Senatoribus et Aduocatis, vſu quotidiano exercitatis, quam caeteris. In Theologia practica principatum obtinent, qui munere ſacro funguntur, et ex eodem quidem fundamento. In re litteraria illi praeferendi, qui vel Bibliothecis praeſunt, vel eas frequentandi excutiendique facultate pollent. Et ſic porro de aliis iudicandum. Scripta Principum, perſonarum illuſtrium, doctarum mulierum, doctorum ruſticorum, doctorum mercatorum, licet non ſummam ſemper eruditionem redoleant, ob exemplorum tamen raritatem notari merito aeſtimarique debent. Ita Roma ſuum Iul. Caeſarem, Octav. Auguſtum, Traianum, et M. Anton. Philoſophum; Graecia Mauritium, Conſtantinum Porphyrogenitum, et Iohannem Cantacuzenum, Imperatores; Germania noſtra Carolum M. Carolum IV. Fridericum III. et Maximilianum I. Imperatores, pluresque Principes eximiae doctrinae praedicat. Anglia oſtendit Henricum VIII. Iacobum I. et Carolum I; Gallia Ludouicum IX. Franciſcum I. et Henricum IV; Hiſpania Alphonſum X; Suecia Ericum XIV. et Carolum IX. Fuſius hanc materiam pertractarunt ſequentes. Nimirum VALENT. ERNEST. LOESCHERVS in *Bibliotheca purpurata*, ſeu *Diſſert. de ſcriptis Principum, praecipue Germanorum, Vitemb. 1698. 4.* CHRIST. SIGISM. GAMMERSFELDERVS in *Orat. de Caeſaribus Romanis, qui ſcriptis ab ſe editis immortalem ſibi pepererunt gloriam, Altorfii 1708. in 4.* quod argumentum, quum Auctor tantum perueniſſet ad Carolum M. vsque, ſingulari *Programmate*, hac occaſione edito, continuauit MAGN. DAN. OMEISIVS, teſte IOH. FABRICIO in *Hiſtoria Biblioth. ſuae, Parte VI. p. 94.* LVDOVIC. IACOBVS a St. CAROLO in *Biblioth. Pontificia*, AVGVSTIN. OLDOINVS in *Athenaeo Romano*, et GE. IOS. ab EGGS in *Pontificio docto* eruditionem ac ſcripta Pontificum Romano-

manorum commemorarunt, de quibus Auctoribus infra *Tomo II. Cap. 7.* data opera differemus. *De eruditis Hassiae Principibus* elegantem, quae multa eiusmodi scripta longo post se interuallo relinquit, *Dissertationem* IMMAN. WEBERI, *Gissae a. 1707. in 4.* et IOH. GE. LIEBKNECHTII *Progr.* quod exhibet *Hassiam mathematicam, ibid. eod. anno in 4; de litteratis Marggrafiis Brandenburgicis Orationem* IOH. GE. DIETERICI, *Baruth. 1711. in 4; de eruditis Principibus Mecklenburgicis Dissertationem epistolicam*, Germanica lingua exaratam, HENRICI NETTELBLADTII, *Rostoch. 1746. in 4;* ac *de libris Ducum Brunsuico-Luneburgicorum* adcuratum in *Bibliotheca historica Brunsuico-Luneburgica, Guelpherb. a. 1744. in 8.* excusa, Indicem *p. 502. sq.* habemus. Add. ANDR. WEBERI *Progr. de Principibus Brunsuico-Luneburg. litteratis, et horum meritis in rem litterariam, Helmst. 1713. in 4.* POLYC. LYSERI *Diss. duae de Domus Br. Luneb. meritis in rem litterariam, Vitemb. 1717.* itemque HENR. IOH. BYTEMEISTERI *Commentar.* historicus, eodem titulo insignitus, *Helmst. 1730. in 4.**) *De Principibus Saxoniae eruditis,* quorum scripta enumerare olim voluerat CHRISTIAN. IVNCKERVS, vti perspicimus ex eius *Notitia historica Biblioth. Gymnasii Isenacensis p. 69*, ego ipse, huius libri editor, Pertractationem Germanicam *Lips. a. 1740. in 8.* diuulgaui, quam forte aliquando dabo locupletiorem. Generatim *Principes theologos* IOH. CASP. LOESCHERVS recensuit *im Verzeichniß durchlaucht.*

*) Non vidimus Dissertationes Lyserianas. Quum tamen in vtraque Bytemeisteri, vtpote Respondentis, nomen expressum fuerit, sine dubio illae et huius Commentarius vnum sunt scriptum. Nec a veritate alienum videtur, Bytemeisterum nouissimam Opusculi sui editionem adornasse ex schedis Lyseri, qui integrum Tractatum, Dissertationibus, eius argumenti, antea euulgatis longe auctiorem, ipse promisit in *Conspectu scriptorum editorum et edendorum, Helmst. a. 1719. in 4. pag. 7. num. 11.*

Perſonen, die ſich in theolog. Wiſſenſchaften mit Schriften hervorgethan, Lipſ. a 1713. et auctius *Dreſdae 1719. in 8.* de quo tamen Opuſculo recte iudicare videtur REIMMANNVS in *Catal. Biblioth ſuae, Tomo I. p. 140. Principes Concionatores Annaebergae 1700.* et *Principes Commentatores Biblicos Lubecae 1706. in 4.* GE. HENR. GOETZIVS, idemque *Principes Ebraice doctos Lipſ. 1702.* et *Principes Graece doctos ibid. 1704* collegit. Prius etiam ſcriptum, cum illo de Principe Concionatore, in eius *Meletemata Annaebergenſia* immigrauit.*) *Principes Mathematicos* SAM. REYHERVS in *Matheſi Regia, Kiliae 1693 4; Principes Oratores* HERM. BECKERVS in *Diſſertatione, Suada purpurata* inſcripta, *Vitemb. 1711. 4.* et IVST. CHRISTOPH. BOEHMERVS in *Programm.* quodam *Helmſt. 1701. 4; Principes Hiſtoricos* LOESCHERVS, paullo ante nominatus, breui *Diſſert. Vitemb. 1700. in 4.* edita; *Principes Poetas Diſſert. duabus, Lipſ. 1709.* IOH. CHRISTIAN. BLVMIVS, et IOH. ALBERT. SPIESIVS in *Progr. de Poetis auguſtis primorum poſt Chr. natum ſaeculorum Altorf. 1736. 4.***) in ſcenam produxerunt. De *Principe* tandem *Muſico* V. C. IOH. HENRICI VON SEELEN *Commentatio*, ex ſacra profanaque Hiſtoria illuſtrata, legitur in eius *Miſcellaneis, Lubecae 1736. in 8. Parte II. Exerc. 7. p. 340. ſq.* Cf. *Catalogus Biblioth. Bunauianae, Tomo I. Vol. 1. p. 611. ſq.* vbi alia

*) Non nulli Scriptorum de eruditis Principibus Catalogo inſerunt etiam DAN. GE. MORHOFII *Diſſ. de Principe Medico*, quae in *Diſſertationibus* viri doctiſſimi iunctim excuſis *p. 127. ſq.* occurrit; ſed agere eandem de mirabili potius ſtrumarum et aliorum morborum curatione, quae a Regibus Galliae Angliaeque inſtituitur, ſole clarius eſt.

**) CHRISTIANI GRYPHII Tractat. *de Poetis purpuratis*, quam *Lexicon Eruditor. Menckenio - Ioecherianum Tomo II. p. 1225.* ad iam editas refert, rectius ab Auctore vel prelo paratam, vel adfectam tantum, dicunt *Acta Erud. Latina a. 1706. p. 239.*

alia non nulla, quae huc pertinent, inueniuntur. De Nobilibus eruditione claris varii quoque ſcripſerunt. Prouocamus ad MICH. de MAROLLES Opuſculum: *Le Roi, les Perſonnes de la Cour, qui ſont de la premiere qualité, et quelques uns de la Nobleſſe, qui ont aimé les lettres, ou qui s'y ſont ſignalez par quelques ouvrages conſiderables*, (ſine nota loci anniue *in 4. mai.*) obuium in *Catal. Bibl. Bunauianae, l.c. pag. 591.* ad ADAMI RECHENBERGII *Diſſert. de Nobilitate Miſniae litterata, Lipſ. 1694.* ad ADAMI PANTKII *Diſſert. de Nobilitate Vratislauienſium erudita, ibid. 1694. in 4.* quae, notis et XV. nouis exemplis a THEODORO CRVSIO adaucta, recuſa eſt in eius *Miſcellaneis Sileſiacis continuatis, Lignitii 1728. in 8. artic. VII.* ad REINHARDI HENRICI ROLLII *Bibliothecam nobilium Theologorum ſelectam, Roſtoch 1709. in 8.* de quo libello proxime *Tomo II. cap. 7.* plura dabimus, et ad viri illuſtris, GE. CHRISTIANI GEBAVERI, *Mantiſſam de Georg. Acacio Enenckelio L. B. Hoheneccio*, Diſſertationi egregiae *de priuilegiis, Gottingae a. 1749.* editae, *p. 94. ſq.* adiunctam, quo in ſcripto ſingularem plane in Graecis Latinisque litteris, Legum item ſcientia, tanti Equitis doctrinam eleganter expoſuit. Addimus his HERM. KIRCHNERI *Orationem de Ducibus, Principibus, Comitibus, Baronibus, et Nobilibus Germaniae, qui Doctores et Magiſtri in Academiis publice promoti, Marburgi anno 1608. in 4.* et in *Orationibus* eius *Erfordiae a. 1626. in 8.* coniunctim excuſis, *Vol. II. pag. 65. ſq.* CHRISTIANI MEISNERI *Equites Sileſios, honoribus Academicis fulgentes, ac Decadibus III. comprehenſos, Vitemb. 1706. in 4.* laudati GEBAVERI *Progr.* Diſſert. inaugurali illuſtriſſimi viri, Burch. Chriſtiani Behr, *Gottingae a. 1738.* praemiſſum *de Sigiſmundo L. B. Herberſteinio*, aliud eiusdem, quum anno 1741. perilluſtris Bremeri honores Academicos indiceret, *de praecipuis exemplis Nobilium, qui dignitate Doctorali ſe condecorari paſſi ſunt*, quod etiam argu-

 mentum

mentum iam *a. 1710.* IOH. CAROL. NAEVIVS, ICtus Vitembergensis, attigerat, in *Progr.* quo ad Diss. inauguralem Caroli Ottonis Rechenbergii, viri postea celeberrimi, inuitarat Musarum cultores. Inter mulieres eruditas eminent apud veteres Septimia Zenobia, Palmyrenorum Augusta, de qua legatur clarissimi ERN. FRIDERICI WERNSDORFII *Lips. a. 1742.* edita Dissertatio, §. *VI. p. 25. sq.* et ABRAH. SELLERVS in libro Anglico, *the Antiquities of Palmyra* inscripto, *Londini 1696. in 8. cap. XVIII;* Hypathia, Philosopha Alexandrina, cuius doctrinam luculenter ostendit IOH. CHRIST. WERNSDORFIVS in *Diss. I. de Hypathia, Vitemb. 1747. §. VII. sq;* Sappho, Poetria, cuius fragmenta IOH. CHRISTIAN. WOLFIVS *Hamb. a. 1733. in 4. mai.* optime in lucem protulit; Sulpicia, femina Romana, de cuius reliquiis poeticis v. *Miscellan. Obseruat. criticae in Auctores veteres et recentiores, Vol. VII Tomo 3. Amstael. 1736. in 8. artic. II. p. 329. sq;* Briscilla, Aquilae vxor; Alexandra, Iudaeorum Regina; Beruria; Rebecca Polona; et Ialtha, de quibus feminis, e gente Ebraea eruditis, singulares notae sunt GVST. GE. ZELTNERI *Dissertationes, Altorfii* hoc saeculo typis impressae, adcurateque nominatae in *Catalogo Bibl. Bunauianae, Vol. II. p. 1718. sq.* Recentiori autem aetate inclaruerunt Elisabetha, Regina Magnae Britanniae; *) Christina, Sueciae Minerua; Olympia Fuluia

*) Notabilis est locus in GE. LVDOV. GOLDNERI *Dissert. scholasticis selectis, Lips. 1704. in 8. p. 165.* de hac Regina. *Si permitteret,* ait Auctor, *instituti ratio, possemus prolixe Elisabethae, linguarum litterarumque scientia ad miraculum exornatissimae, exponere hac in parte laudes: quae etiam, cum iam ad clauum sederet regni, versare praestantissimos Latii ac Graeciae Scriptores, ac inde expolire linguam, animum salubribus pascere praeceptis exemplisque fuit solita; quae de consolatione Boetium, de arte Horatium, de Iugurtha Sallustium, de curiositate Plutarchum, Anglice vertit, et ab his laboribus leuamentum grauissimarum curarum et refectionem petiuit.*

Fuluia Morata, de qua docte egit GE. LVDOV. NOLTENIVS in *Dissert. de eius vita, scriptis, factis et virtutibus, Frf. ad Viadr. 1731. 4.* addatur SCHELHORNIVS *Amoenit. hist. eccles. et litterar. Tomo II. p. 647. sq*; Elisabetha Iohanna Westonia, cuius scripta *Frf. a. 1724. in 8.* recudenda curauit IOH. CHRISTOPH. KALKHOFFIVS; Anna Maria Schurmannia, cuius Opuscula prosaica et metrica recensuit, ac *Lips. 1749. in 8.* denuo edidit CHRISTIANA DOROTH. LOEBERIA, ipsa eruditionis laude florens; Anna, Tanaquilli Fabri filia, Andr. Dacerii vxor; Gabrielis Carola Patina, eiusque soror, Carola Catharina, de qua vid. *Acta Franconica erudita et curiosa, Collect. VII. pag. 491. sq.* Doctae virginis, Annae Christinae Ehrenfried a Balthasar, quae summum in Academia Gryphica ICtum patrem veneratur, perpolitum liberalibus studiis ingenium praedicarunt publice *die Götting. gelehrt. Zeit. a. 1750. p. 712.* Silemus exempla plura, quae exstant cum apud HEVMANN. in *Consp. Cap. VII. §. 37. p. m. 477.* tum in dicto *Vol. II. Biblioth. Bunauianae p. 1718. sq.* Adducuntur etiam *ibidem pag. 1715. sq.* Scriptores de feminis eruditis generales. En! eorum plurimos: IOHANNES BOCCACIVS Opus composuit *de claris mulieribus*, quod *Vlmae a. 1473. Louanii a. 1487. Bernae 1539. in f.* excusum, pariterque in Hispanicam, Italicam, Gallicam et Germanicam linguam translatum est, quae omnes, Latinae in primis, editiones, parum sunt obuiae. Laudat Auctor tamen feminas potissimum factis heroicis illustres. Rarum est itidem FRANCISCI AVGVSTINI della CHIESA *Theatrum mulierum litteratarum*, quod Italice diuulgatum est *Monte regali (Mondoui) a. 1620. in 8.* IOH. PEREZIVS de MOIA *de claris Hispaniae mulieribus* egit *Madriti a. 1583.* Plenior vero et adcuratior est NICOL. ANTONIVS in *Biblioth. Hispana noua, Tomo I. p. 337. sq.* vbi *Gynaeceum Hispanae Mineruae* pandit. IVLII CAESARIS CAPACII

Elogia illuſtrium mulierum et illuſtrium litteris virorum Neapoli 1608. et *1609. Tomis II. in 4.* et HILARIONIS de COSTE *Elogia et vitae Reginarum, feminarumque Principum ac nobilium, pietate, fortitudine doctrinaue illuſtrium*, Gallica lingua *Pariſ. 1647. Voluminibus* itidem *duobus in 4.* prodierunt. IOH. MATTHAEI, Lunenſis, Opus *de claris mulieribus*, ob eruditionem non vulgarem, et non iniucundam rerum varietatem commendat MICH. NEANDER in celeberrima illa Praefatione, *Erotematibus Graecae linguae* praefixa, *p. 155.* Haud ſubiungit tamen locum, tempus, formamque editionis. G. MARTINI a BALDHOFEN *Catalogus doctarum virginum et feminarum* ſubiectus eſt WESTONIAE *Opuſculis, Pragae in 8.* ſuperiori ſaeculo editis, recuſus poſtea in *den Deutſchen Actis litterariis, Lipſ. 1715. 8. Parte II. p. 120.* IACOBI PHILIPPI, BERGOMENSIS, *de plurimis claris ſelectisque mulieribus* Opus *Ferrariae a. 1497. in f.* lucem vidit. Occurrit idem quoque inter *Opera diuerſorum Scriptorum de memorabilibus et claris mulieribus, Pariſ. 1521. in f.* Alias editiones memorat celeberrimus IOECHERVS in *Lexico Eruditor. Tomo I. p. 997.* De Collectione autem, quam adduximus, Pariſienſi, hodie rara, vid. SALLENGRE *Memoires de Litterature, Tomo I. p. 165.* Praeter hosce accepimus a IOH. HERBINIO *Diſſert. duas de feminarum illuſtrium eruditione, Vitemb. 1657. in 4;* a IOH. SAVERBREY II. itidem *Diſſertationes,* quarum priori Praeſes adſcriptus eſt Iac. Thomaſius, *de feminarum eruditione, Lipſ. 1671.* reuiſas, et emendatiores editas *ibid. 1676. in 4;* a CHRISTOPH. CHRISTIANO HAENDELIO *Diſſ. de eruditis Germaniae mulieribus, Altorf. 1688.* Praeſide Magno Dan. Omeiſio; a IOH. PASCHIO *Gynaeceum doctum,* quae Diſſertatio, *Vitemb. 1686.* publice propoſita, iterum typis impreſſa fuit *ibid. a. 1701.* denuoque, quamquam mendoſe admodum, praefixo IOH. ANDR. PLANERI, Reſpondentis antea, nomine, *a. 1715. in 4;*

ab AEGID. MENAGIO *Hiſtoriam mulierum philoſopharum*, *Lugduni 1690. in 8. Amſtael. 1692. in 12.* excuſam, paulloque poſt nouae *Diogenis Laertii editioni Amſtaelodamenſi* adiunctam. Congeſſit is ex antiqua hiſtoria mulieres, quae diſciplinis philoſophicis ſeſe dederunt, de iisdemque erudite egit. Mentionem huius libelli facit, at non niſi contemtim, Pſeudonymus ille, VIGNEVL-MARVILLE, *Melang. d'Hiſtoire et de Litterature Tomo II. p. m 30.* vbi exilis ac macer dicitur, ex quo Auctoris cognoſci ſenectus queat. IOH. ALB. FABRICIVS autem *Bibl. Gr. Vol. III. lib 4. cap. 19. p. 608.* malignum hoc vocat iudicium, Menagiumque laudat, quem tamen plagii forſan accuſari poſſe, quoniam infinita ex IONSII Tract. *de Scriptoribus Hiſtoriae philoſophicae* decerpſerit ac delibarit, nomine rarius adiecto, exiſtimat ampliſſimus KAHLIVS in *Bibliotheca philoſophica Struuiana, Tomo I. pag. 13.* Interim per plures annos e tabernis librariis ſubduxit ſe libellus, editio etiam, quae Laertio acceſſit; ideoque doctiſſimus WOLFIVS ſuo *Scriptorum de feminis eruditis Catalogo* inſeruit omnia, a Menagio de mulieribus philoſophis in medium prolata, et Auctorem ſimul contra Maruillium, quique ſequutus erat eundem, Niceronium in vita Menagiana, defendit. Incepta Menagii continuauit quaſi celeberrimus HEVMANNVS, erutis ex medio ac recentiori aeuo mulieribus philoſophis quam plurimis, qua de re euoluenda ſunt *Acta Philoſophorum, Tomo II. Parte 12. p. 833. ſq.* Ad ſupplendas autem Sauerbreii, Paſchiique, ſiue Planeri, Diſſertationes CHRISTIAN. IVNCKERVS collegit *feminarum eruditione et ſcriptis illuſtrium*, quae adpendicis loco cum *Schediaſmate hiſtorico de Diariis Eruditorum Lipſ. a. 1692. in 12.* edita eſt. Aliqua adhuc in *duabus Diſſertationibus de feminis, prima aetate eruditione ac ſcriptis illuſtribus et nobilibus, Vitemb. a. 1702. in 4.* ſuperaddidit DAVID. SCVLTETVS, ſed pau-

ciores

ciores erunt nouae acceſſiones, ſi demſeris, quae iam ab aliis plus vice ſimplici relata fuerunt, quam ſententiam nobiſcum fouet REIMMANNVS in *Catal. Bibl. ſuae, Tomo II. p 367.* CHRISTIAN. FRANC. PAVLLINI confecit: *das hoch-und wohlgelahrte Frauenzimmer,* quod Opuſculum, partim in eiusdem *Zeitkürtzender erbaulich. Luſt, Norimb. a. 1695. in 8. Parte. II. p. 1097. ſq.* partim in *dem philoſophiſchen Feyerabend, Frf. ad M. 1700. in 8. Cap. V.* primum exhibitum, iterum *cum additamentis* prodiit *Francofurti a. 1705.* ac tertium, interpoſitis nouis exemplis, *ibid. a. 1712. in 8.* Germanas hic mulieres, vti Haendelius, ſtudiis ſcriptisque claras, ordine alphabetico perſequitur. Praeferendus tamen eidem IOH. CASP. EBERTVS, qui *Francof. et Lipſ. 1706. in 8.* diuulgauit *das eröffnete Cabinet des gelehrten Frauenzimmers.* Partim enim comtiori vtitur ſcribendi genere, partim in conquirendis ſubſidiis meliorem nactus eſt adparatum, maioremque in digerendis adhibuit diligentiam, quamuis nec naeuis careat. Cf. REIMMANNVS *l. c. p. 591.* ac TENTZELII *Curieuſe Bibliothec, Repoſitorio II. p. 905.* et *Repoſ. III. pag. 339. ſq.* Eodem *anno 1706. Frf. in 8.* edidit IOH. GERH. MEVSCHENIVS *Curieuſe Schaubühne durchlauchtigſt-gelahrter Dames.* Auctori ordo geographicus et chronologicus placuit, quumque de feminis tantum ſermo ei ſit regia vel principali ſtirpe genitis, facile patet, inſtitutum hoc ab aliorum laboribus non nihil eſſe diuerſum. Fuſius de illo ipſo libello agitur a TENTZELIO, *dicto Repoſit. III. p. 346. ſq.* De HERM. CHRISTIANI ENGELKENII *Diſſ. qua ſexum ſequiorem, eruditionis fama coruſcum, Roſtoch. 1707. in 4.* produxit, legatur REIMMANNVS *l. c. p. 386.* Singulari Opuſculo, lingua Germanica conſcripto, *Sileſiae feminas litteratas Vratislauiae 1727. in 8.* laudatus ſupra EBERTVS, Daniaeque claras mulieres alio Latino, quod, *Gynaecei Daniae litterati* titulo ſignatum, *Altonae*

toniae 1732. in 8. prelo exiit, ALBERT. THVRA complexus eſt. Iam ante hunc in *Nouis litterariis Maris Balthici a. 1700. p. 209. ſq.* MATTHIAS HENR. SCHACHTIVS breui *Schediaſmate ſpecimen* dedit *de eruditis feminis Danis*, quarum triginta ſex recenſet. Gallorum doctas mulieres ab initio Monarchiae, vsque ad noſtram aetatem, in medium reuocauit Anonymus quidam, cuius *Almanach des Dames ſavantes Françoiſes* indicant *die Leipz. gelehrten Zeitungen a. 1736. p. 94.* Add. alius Anonymi Tractatus, *Vertus du beau Sexe* inſcriptus, *Hag. Comit. a. 1733. in 8. pag. 280. ſq.* nec non *Bibliotheque Italique, Tomo II. p. 40. ſq.* In hoc libro doctarum Italiae mulierum a ſaec. XV. vsque ad noſtrum: in illo talium apud Gallos feminarum nomina proferuntur, teſte HEVMANNO in *Conſp. Reip. litter. Cap. VII. §. 36. p. m. 476.* De recentiori mulieris in Anglia egregie philoſophantis exemplo inſpici merentur *Acta Erud. Lat. a. 1734. p. 557. ſq.* Quae dum in chartam coniicimus, ex Diario quodam innoteſcit nobis, GEORG. BALLARDVM *Oxoniae a. 1753. in 4.* Anglico ſermone exbibuiſſe *Specimina Hiſtoriae de variis Magnae Britanniae feminis, vel ſcriptis, vel linguarum artiumque peritia, clariſſimis.* Nec tacendus inter hosce Scriptores eſt IOH. CHRISTIAN. WOLFIVS, vir doctiſſimus, qui, quum *Graecarum mulierum, quae oratione proſa vſae ſunt, fragmenta et elogia Gottingae a. 1739. in 4. mai.* luci exponeret, ampliſſimum, lectuque digniſſimum omnino, adiecit *Catalogum feminarum, ſapientia, artibus, ſcriptione, apud Graecos, Romanos, aliasque gentes, olim illuſtrium*, in quo etiam, vt ſupra monuimus, Menagiana mulierum philoſopharum Hiſtoria quaſi recuſa fuit. Eas ſpeciatim mulieres, quae Poëticen attigerunt, delineandas ſibi ſumſerunt SEBASTIAN. KORTHOLTVS in *Diſquiſitione*, alio loco adducta, *de puellis poetriis, Kilon. 1700. 8;* IOH. CHRISTIAN. BLVMIVS in *Diſſertatione*, Prae-

ſide

ſide Godofr. Oleario *Lipſ. a. 1708.* defenſa, *de poetriis Graecis*, quam variis auctam obſeruationibus et ſupplementis, ita quidem, vt ſtatim ab initio, vbi Praefatio legitur, pleniorem longe et adcuratiorem Auctorum de feminis doctis Indicem ordine litterarum videre poſſis, denuo edidit WOLFIVS in *fragmentis poetriarum Graecarum octo, Hamb. 1734. 4. mai. p. 117. ſq.* *) et GE. CHRISTIAN. LEHMIVS, Conſiliarius quondam ac Bibliothecarius Haſſo-Darmſtadienſis, in ſcripto Germanico, quod nominauit: *Deutſchlands galante Poetinnen, mit ihren ſinnreichen und netten Proben; nebſt einem Anhang ausländiſcher Dames, ſo ſich gleichfals durch ſchöne Poeſien bey der Welt bekannt gemacht, Frf. ad M. 1715. in 8.* Stilo tamen ſatyrico hanc Syllogen diiudicarunt Auctores *der Deutſchen Actorum Eruditorum, Parte XXXI. pag. 590. ſq.* Add. EBERTVS in libello antea producto, cuius titulus eſt: *Schleſiens hoch- und wohlgelehrtes Frauenzimmer*, vbi varias poetrias intermiſcet. *Feminas ex arte medica claras Diſſert.* hiſtorico-critica *Lipſ. a. 1738.* repraeſentauit POLYC. FRIDER. SCHACHERVS. Hi ſunt praecipui de doctis mulieribus Scriptores. At nouimus etiam tales, de quibus, ſi vnquam prodierunt, ob ſummam raritatem vel nihil certi conſtat, vel qui ſaltim in promiſſis ſubſtiterunt. Ita IVNCKERVS *l. c. p. 11.* meminit Diſſertationis *de virginitate erudita, Pariſ. 1651. in 4.* a IOH. FRONTONE editae. Idem ex GHILINI *Teatro d'huomini letterati, P. I. p. 96.* docet, I. B. FREGOSVM

*) Conſulas hic *Acta Erud. Lat. a. 1738. p. 536.* quo loco haec dicuntur: *In ipſa Diſſertatione,* (Blumii ſeu Olearii,) *Cl. Editoris opera eo potiſſimum reſpexit, vt locos veterum Graecorum in primis, quos Olearius quidem indicauerat, non autem adcurate adpoſuerat, adiungeret, et ex Auctoribus vberius recitaret. Deinde varia profert, quibus dicta ab Auctore poterant illuſtrari, confirmari, et certiora reddi. Multas praeterea poetrias addidit, quae Auctori, vt in eiusmodi rebus fieri olet, ignotae fuerant.*

SVM (vel Fulgoſum) *de feminis, quae doctrina excelluerunt*, fuiſſe commentatum, et ex GREGORIO LETI in *Italia regnante, Parte III. lib. 2. p. 183. et 185.* refert, LAVRENT. LEGATVM diuulgaſſe *Muſei poetriarum primitias ad Ouidium Montalbanum*, cum iconibus, quas deinceps ſequutum fuerit integrum *Muſeum poetriarum.* De Iacobo Carmelita teſtatur MENAGIVS in *Hiſtoria mulierum philoſopharum p. 66. edit. primae*, quod grandi volumine, nondum publici iuris facto, nomina et opera mulierum doctarum congeſſerit. LVDOVIC. IACOBVS a ST. CAROLO in *Biblioth. Pontificia p. 302.* promiſit Bibliothecam ſeminarum ſcriptis inſignium, quam Latino elaboratam ſermone in eius ſe vidiſſe muſeo, ait Brantomius, lucem tamen adſpexiſſe nunquam, Menagius et Baelius confirmant, vti legimus in *Praefat. Diſſ. Blumianae de poetriis Graecis.* BAELIVS ſane in *Dictionario ſuo voce:* Zuerius, *nota I)* poſtquam ſcripſerat, Boxhornium quoque molitum eſſe feminarum eruditione ac libris illuſtrium Bibliothecam, eamque a non nullis falſo ac temere editam credi, haec addit: *Je dirai par occaſion, qu'un Carme François, nommé le Pere Jacob, avoit compoſé un ſemblable Livre: quantité de gens le citent et y renvoient; et néanmoins il n'a jamais été imprimé, et ne le ſera jamais, car le Manuſcrit s'en eſt perdu.* Apud Danos eidem argumento manum admouerunt Ioh. Iſaac. Pontanus, Otto Sperlingius, Andr. Bordingius, Seuerin. Lintrupius ac Thomas Broderus Bircherodius; ſed nihil ab his perfectum, quoniam inſtitutum hoc aut ipſa mors, aut officinarum typographicarum difficultas, aut ſumma negotiorum moles, impediuit. Vid. ALB. THVRA, in *Praef. Gynaeceo Dan. litt.* praefixa, *p. 3. et 4.* Sperlingiani Operis mentionem iam iniecit ECCARDVS in *den monathlichen Auszügen, menſe Martio anni 1700. p. 71.* et *menſe Ianuario a. 1701. pag. 23.* item MORHOFIVS *Polyhiſt. Tomo I. lib. 1, cap. 19.* §. 59.

vbi

vbi et Vincent. Placcium de ſcriptis Scriptoribusque iuuenilibus ac mulieribus promiſiſſe librum, obſeruat. Similem olim laborem ſuſcipere voluit Cornel. a Beughem, quippe qui in *Catalogo librorum*, *Bibliographiae ſuae iuridicae* praepoſito, exſpectare iuſſit *t'Lof der geleerde Vrouwen Zynde en korte hiſtoriſche Verhandeling van alle geleerde en beroemte Vrouwen, en der ſelver Schriften* caet. Sic etiam Georg. Matthiam Koenigium, Profeſſorem Altorfinum, de eruditis mulieribus librum confeciſſe, diſcimus ex MEELFÜHRERI *Acceſſionibus ad Almeloueeni Biblioth. promiſſam ac latentem p. 49.* et ex APINI *Vitis Profeſſor. Philoſoph. in Acad. Altorfina p. 197.* Sed ohe! ſatis de his. Vel tribus verbis adhuc alia ſubiiciemus, quae perturbare ordinem non videntur. Scilicet IOH. ESBERGIVS *Vpſal. a. 1699. in 8.* edidit Diſſertationem *de mulieribus philoſophantibus*, *Vitemb. a. 1700 in 4.* admodum vitioſe recuſam, in qua potiſſimum demonſtrare ſtuduit, quod mulieres ad colendum quoduis ſtudiorum genus idoneae ſint. Quis vero hoc vnquam negabit? Cf. quoque *Lettres curieuſes de Litterature et de Morale par l'Abbé de* BELLEGARDE, *Lettre IV. p. m. 148. ſq. edit. 1729. in 12.* Maioris momenti eſt quaeſtio, quam DANIEL HOYNOVIVS *Regiomonti a. 1696. Diſſertatione* quadam *in 4.* tractauit, *num Reipublicae expediat, habere feminas eruditas?* Riſum excitat lectu perquam digna MOLIERII *de feminis doctis* Comoedia, inter *Opera eius Tomo V. 1549. ſq. edit. Pariſ. 1716. in 12.* et in nouiſſima *Verſione Germanica Hamburgenſi Parte IV. p. 267. ſq.* Cf. CHRISTIANI MASECOVII *Diſſ. de curioſitate, ibid. 1705. in 4.* AVG. BVCHNERI *Epiſtolae, P. III. p. m. 837. ſq.* et IOH. GVIL. BERGERI *Stromateus Academicus p. 614. ſq.* quo loco pauca, ſed eleganter, diſſerit vir praeſtantiſſimus *de exiſtimatione vxoris eruditae.* Huc porro referri debent Anonymi *Les femmes ſavantes, ou Bibliotheque des Dames,*

Amſtael.

Amſtael. a. 1718. in 12. mai. ex quo Opuſculo plura docent *Acta Erud. Lat. a. 1718. p. 226. ſq.* A Doctoris honoribus non eſſe arcendum ſexum femininum, data opera euicit CAROL. ANTON. MACCHIAVELLI in *Diſſ. de mulierum Doctoratu, Bonon. 1722. 4.* quam recenſent *Acta Erud. Lat. 1724. p. 239.* Quid boni complectatur ANDR. WESTPHALII *Progr. de Doctoratu mulierum, Gryphisw. 1734. in 4.* ii videbunt, quorum in manibus eſt Academicus iſte libellus. Ad ruſticos denique eruditos quod attinet, haud deſunt, qui, ſi non ipſis hisce hominibus, ſibi ſaltim, eorum deſcriptione, non nihil adquirere laudis voluerunt. Primus, ni fallimur, hoc egit ſeparatim CHRISTOPH. IAC. SCHROEDERVS in *Diatribe de ruſticis eruditione claris, Ien. 1707.* et, ex altera editione, *ibid. 1717. in 4.* Familiam ducunt Adamus, Cainus, Sethus, Iacobus, Patriarcha, et alii, qui tibi vix hoc loco in mentem venerint; vnde facile perſpicitur, quam egregie Auctor ruſticorum eiusmodi Catalogum amplificarit. Sub idem tempus GE. HENR. GOETZIVS, micrologiae litterariae amantiſſimus olim, *de ruſticis eruditis* effudit quaedam. Prodiit ſcriptum *Lubecae 1707. in 4.* eique adhuc madido fere *Analecta de ruſticis eruditis* ſtatim acceſſerunt, quae, ne quid periret bonae frugis, a. *1708. ibidem Auctarium* excepit, Analectis iſtis adiectum. Idem *de mercatoribus eruditis Diatriben ibid. 1705. Spicilegium poſt meſſem,* ſeu additamenta ad hanc Diatriben, *1706.* eaque omnia *a. 1709. in 4.* vni incluſa faſciculo, in quo et ſutores ſartoresque triumphant, luci expoſuit. Scilicet occurrunt in *Selectis* his *ex hiſtoria litteraria* Cap. I. *mercatores,* Cap II. *ruſtici,* Cap. III. *ſutores,* Cap. IV. *ſartores,* et Cap. V. alii *viri eruditi, qui ab opificiis ad litterarum ſtudia reuocati fuerunt.* A PAVLO IACOBO MARPERGERO proſtat etiam *mercatorum eruditorum Centuria, Dreſdae a 1718.* Germanice *in 8.* typis exſcripta. Inter cunctos nemo forſi-

forſitan maiorem collegit famam Frid. Bened. Carpzouio, Lipſienſi, de quo adeas *Lexicon Erud. Menckenio-loecherianum, Tomo I. p. 1693.*

§. XVII.

Octauum boni libri criterium cognoſcendum eſt ex adplauſu non communi quidem et vulgari, ſed hominum eruditiſſimorum. Sedulo ergo animaduertendum erit ad iudicia virorum celebrium, eorum praeſertim, qui nihil indulgere ſolent animi adfectionibus, et in hac diſciplina, ad quam liber pertinet, ſunt exercitatiſſimi. Quare ipſos domi, imo et Bibliothecas ac librarias officinas, in quibus conueniunt ſaepiuſcule, adire ne pigeat, vt ex ſermonis, quam libri varii praebent, materia proficias. Caute tamen circumſpecteque hic erit agendum. Multi enim, eruditione licet praeclara inſtructi, non nunquam libros nec legerunt totos, nec examinarunt adcurate: nihilominus iudicant de iisdem, opinioni ſubſcribentes aliorum, quos auctoritas et admiratorum multitudo commendat. Vnde fit haud raro, vt libro valde mediocri ingens ſtatuatur pretium, ſi ſcilicet, quacunque de cauſſa, laudator ei contigerit, qui ſummae eſt in Re publica litterata dignitatis; ſcriptum e contrario aliquod melioris metalli perſaepe vilipendatur ab omnibus, poſteaquam contemtim de ipſo ſenſit vir magnus et celeberrimus. Sic v. g. vbi Morhofius librum quendam vel laudat et ſuſpicit, vel adſpernatur, et in quiſquiliarum numerum refert, caeteri eruditi eius iudicium coeco ſequuntur impetu, adeoque et ſe, et alios, fallunt. Vid. HEVMANNVS V. C. in *Conſp. Reip. litt. Cap. VI. §. 10. p. m. 327.* Optime igitur ſuis conſulet rationibus, librique cuiusdam virtutes naeuosue intelliget, qui, eo ipſo probe inſpecto, perpenderit 1.) vtrum argumenta, quibus commotus vir, huius diſciplinae ex-

acte

acte peritus, laudem aliquam libro tribuit, firma et explorata ſint, an minus; 2.) an a laudatione nihil commodi, a reprehenſione nihil periculi damnique ipſi immineat; 3.) an libri laudator Auctoris ſit amicus, vel ſecta ſiue religioſa, ſiue philoſophica, cum eo coniunctus, item an forte ſit inimicus, cuiusmodi encomium maximi eſſe ponderis, conſtat inter omnes; 4.) an liber laudetur vno ore vel nemine, vel minus eruditis diſſentientibus, ex quo non inepte colligi poteſt, librum illum bonae eſſe notae, diligentique lectione digniſſimum. Tranſcripſimus haec ex HEVMANNO *l. c. §. 11. p. 329.* qui elegantem addit PLINII locum, *lib. IX. epiſt. 11.* librum ſatis abſolutum exiſtimantis, de quo diuerſitate regionum diſcreta hominum iudicia conſentiant. Cf. ſimul STOLLII *Einleitung zur Hiſtorie der philoſoph. Gelahrheit, P. I. in Prooemio §. 15. p. 9. edit. nouiſſ.* vbi exempla quaedam librorum perperam laudatorum inuenies. Quae COLERVS ad hunc Struuiani libri §phum notauit olim, ipſis eius verbis ſubiiciemus. *Dum Auctor noſter*, inquit, *adplauſus communis et vulgi, qui ſaepe ab eruditis captatur, et in praeiudicium trahitur, mentionem iniicit, commendanda eſt omnino celeberrimi Menckenii Charlataneria eruditorum, ſatis nota, et plus ſimplici vice edita, hoc ipſo etiam anno 1727 recuſa. Suppetit nobis ſimilis argumenti Comoedia lepidiſſima, et ſalſiſſime ſcripta, cui titulus: Almanſor, ſiue ludus litterarius. Comoedia operae et ſtudii M. Martini Hayneccii, Bornenſis, Lipſ. a. 1578 8. de qua forte alias.* Singulare quid praeſtitit in egregio Opere ſuo Iac. Aug. Thuanus, quippe qui paſſim ſub finem librorum hiſtoricorum de litteratis agit, ſaeculo XVI. claris, et ita quidem, vt recte diiudicet vnumquemque, et omnibus idem ſit. Tros Rutuluſue fuat, nullo diſcrimine habet. Rei huius veritatem comprobabunt, vt exemplis vtamur, quae *lib. I. et II.* de Mart. Luthero, *lib. LXXX.* de Iano Guilielmo,

lielmo, Lubecenſi, et *lib.LXXXIV.* de Martino Chemnitio commemorat. Conringiana etiam, Baeliana, Leibnitiana caet. iudicia plerumque ſunt adcurata, quibus facile licet inniti. Galli e contrario de Germanis Scriptoribus falſam olim et iniquam opinionem animo imbiberunt, quod ſupra vberius oſtendimus.

§. XVIII.

Nonum criterium conſtituunt editiones libri frequentiores, eiusque tranſlationes in linguas peregrinas. Neque vero ſemper huc reſpiciendum eſt, ſi decipi nolis. Sane WITTENIVS in *Praefat. Diarii biographici* aliquot nominat libros parui momenti, ſaepius editos tamen, et in varias ſubinde linguas conuerſos. De IOH. HVBNERI, ſenioris, *Geographia* vid. HEVMANNVS in *Conſp. Reip. litt. Cap. VI. §. 11. in not.(X)* Idem de IOACH. LANGII *Grammatica Latina* dici poteſt, cuius a. 1736. vigeſima tertia prodiit editio. Cf. CAR. FRID. BVDDEI *Diſſ. de criteriis boni libri, §. IX. p. 12.* vbi haec: *Quem fugit, quanto applauſu Ioh. Amoſi Comenii ianua linguarum reſerata ſit excepta? Lingua Latina, Graeca, Bohemica, Polonica, Germanica, Suecica, Belgica, Anglica, Gallica, Hiſpanica Italica, Hungarica non ſufficiebant, vt iis exprimeretur, ſed et Arabes, Turci atque Perſae ſuis etiam linguis exſtare voluerunt. Igiturne liber hic bonus? Crederem hoc, niſi barbariſmorum ac ſoloeciſmorum ampliſſimam vaſtiſſimamque ſyluam aleret.* THOMAE a KEMPIS vero liber *de imitatione Chriſti*, in omnes prope linguas, et occidentales, et orientales, tranſlatus, ſatis docet, quanta ſit eius praeſtantia. Verſibus etiam Germanicis eundem expreſſit *Lipſiae*que *a. 1727. in 8.* edidit HVBNERVS. Vid. de tot huius libri editionibus ac verſionibus IOH. ALB. FABRICII *Bibliotheca Lat. mediae et infimae aetatis, Vol. IV. libro 10. pag. 636. ſq.* et quae ad hunc locum notantur in *Actis Erud. Lat. a. 1738. p. 556*

p. 556; GODOFR. ARNOLDI *Praef.* nouae editioni *Opp. Kempisianorum Lipſ. et Stendal. a. 1712. in 8.* praefixa; THEOPH. SINCERI *Nachrichten von alten raren Büchern, Vol. I. Parte 3. p. 165. ſq.* itemque *Catalogus vniuerſalis librorum in taberna Ioh. Andr. Rüdigeri*, bibliopolae Berolinenſis, *a. 1745. in 8. quartum excuſus, p. 496. ſq.* Patet inde TENTZELIVM in *der curieuſen Biblioth. Repoſit. I. p. 466.* recte ſcripſiſſe, quod liber ille in linguas Europae vniuerſas, in plures Aſiae, Africae et Americae ſit conuerſus: ideoque cauſſae nihil erat, cur ei contradiceret STRVVIVS, his quidem verbis: *Tentzelius me reprehendit*, (Struuius enim in plerisque linguis tantum exſtare verſiones adfirmauerat,) *putans, in vniuerſas Europae linguas tranſlatum eſſe, prouocans ad Noua litteraria Hamburgenſia a. 1703. p. 202; ſed perperam, neque enim ibidem mentio fit tranſlationis Slauonicae, Ruſſicae, Bohemicae, vt alias linguas taceam, de quibus Geſnerus in Mithridate. De Auctore libri, qui de imitatione Chriſti inſcriptus eſt*, WOLDEBR. VOGTII *coniecturae* leguntur in *Apparatu litterario Societatis Colligentium*, a POLYC. LYSERO *Vitemb. a. 1717. et 1718. in 8.* edito, *Collect. II. ſpecim. 19. p. 376. ſq.* Add. FABRICIVS *l. c. p. 647. ſq.* et SINCERVS *l. c.* Permulta Gallorum, Anglorum, Italorum, Belgarum, et aliqua ex parte Hiſpanorum etiam, ſaepius edita, atque Latine Germaniceque, vt alias linguas taceamus, reddita fuiſſe, cognitum eſt ac peruulgatum. Ex Germanorum populorumque ſeptemtrionalium ſcriptis pauca olim, nunc plura, exteros nacta ſunt interpretes. Nec deſunt nobis, quae vario tempore, variisque in locis typis fuerunt repetita. Dabimus exempla quaedam. Hiſtoria Telemachi, (ſiue *les Avantures de Telemaque, fils d'Ulyſſe, par Mr.* FENELON,) primam lucem, Auctore inſcio, vidit *Pariſ. a. 1699. in 12.* Frequentiſſime liber ille periucundus recuſus eſt, habemusque eundem Hiſpanice, Italice,

 Angli-

Anglice, Belgice, Germanice, carmine item Germanico a BENIAM. NEVKIRCHIO. *Onoldi 1727. et 1739. Partibus III. in f.* quod Opus ſplendidum bis deinceps *in 8.* prodiit, et Latino, ab Anonymo illuſtri quodam, *Berol. a. 1743. Vol. II. in 8. mai.* exhibitum. Prior labor ligatus commendatur maxime in *Actis Erud. Lat. a. 1728. p. 42. ſq*: alter in *den Leipz. gelehrt. Zeit. a. 1744. p. 78.* Soluto ſermone Latino hunc librum edidit GREGOR. TRAVTWEIN, *Frf. ad M. a. 1744. in 8.* quam tamen verſionem non vidimus. Caeterum cf. *die Leipz. gel. Zeit. a. 1715. p. 35.* HVGONIS GROTII aureum *de veritate religionis Chriſtianae* Opuſculum, e lingua Belgica, metro adſtricta, qua Auctor illud in carcere ſcripſerat, ab ipſo in Latinam, tum ab aliis in Anglicam, Gallicam, Germanicam, Danicam, Suecicam, Arabicam, imo, vt perhibetur, in Perſicam quoque, Malabaricam et Sinicam conuerſum eſt. Vid. reuerendi viri, IOH. CHRISTOPH. KOECHERI, *Diſſ. epiſtolica, hiſtoriam libelli Grotiani de veritate religionis Chriſtianae complectens, Ien. 1725. in 4.* quae nunc locum occupat in *Diſſertationibus variis ad illuſtrandum Grotium comparatis, Halae Magd. a. 1739. in 8.* Praecipue vero euolui hac de re merentur Anonymi, quem KNAVTHIVM eſſe, Bibliothecarium Academiae Vitembergenſis, in *Catalogo Biblioth. Rinckianae pag. 889.* monetur, *Manes Hug. Grotii, Belgarum Phoenicis, ab iniquis obtrectationibus vindicati, Delphis Batauor.* ſeu *Lipſiae* potius, *a. 1727. in 8. mai.* Ibidem cum de ſummi viri *Iure belli ac pacis*, quod Opus Galli, Angli, Germani, Belgae, Sueci, in ſuam linguam tranſtulerunt, tum de aliis eiusdem ſcriptis, crebro excuſis, ea, quae huc faciunt, reperire licet. Cf. *Acta Eruditor. Germanica, Parte XCVI. p. 843. ſq.* Quoties poema notiſſimum, quod *Reinecke der Fuchs* vulgo dicitur, quibusque linguis exierit, fuſe docet celeberrimus GOTTSCHEDIVS in *Introductione ſua*, nouae libri egre-

egregii editioni nuperrime praefixa. De THOMAE BARTHOLINI *Anatomia reformata*. CHRISTIAN. GVIL. KESTNERVS in *Biblioth. medica pag 402.* haec notat: *Prodiit hic liber Latina lingua plus decies, nec tantum in linguas Gallorum, Italorum, Anglorum, Belgarum et Germanorum, sed iussu etiam magni Mogolis in Indicam est transfusus.* SAM. PVFENDORFII *Einleitung zur Historie* Latine, Gallice, Anglice, Belgice, Suecice, ac Ruſſice proſtat, vti adfirmatur in *Bibliotheca historica Hamburg. Centur. X. p. 144. ſq.* Eiusdem libellus *de Statu Imperii Romano-Germanici*, cui fictum SEVERINI de MONZAMBANO nomen addidit, perſaepe reuocatus ſub prelum eſt, partim etiam cum aliorum virorum doctorum obſeruationibus, inque ſola Germania trecenta millia exemplarium impreſſa typis dicuntur. Praeter Germanicam, plures eius verſiones adeſſe, indicat *Bibl. hiſt. Hamburg. l. c. pag. 133.* De Auctore, qui ſub HIPPOL. a LAPIDE nomine latere voluit, certo nouimus, librum eius *de ratione Status in Imp. Rom. Germanico*, poſt priorem editionem *in 4.* haud facile obuiam, ter minimum *in 12.* recuſum eſſe ſaeculo ſuperiori, hoc noſtro autem Gallicam verſionem acceſſiſſe; qua de re infra *Cap. IX.* data opera agemus. Alio itidem loco diuerſas recenſebimus editiones *Menckenianarum* Orationum de *Charlataneria eruditorum.* Praeſtantiſſimam *Germanorum Historiam*, quam debet praeſens et futura aetas viro illuſtri, IOH. IACOBO MASCOVIO, ex lingua Germanica PALLAVICINI in *Italicam*, SCHVERVS, Hamburgenſis, in *Belgicam*, et LEDIARDVS in *Anglicam* conuertit. Vid. KOHLII *Hamburg. Berichte von gelehrt. Sachen, a. 1733. p. 1. p. 632. p. 678. et p. 875.* Alia quaedam exempla librorum, variis linguis expreſſorum, attulit IOH. ADAM. BERNHARDVS in *der curieuſen Hiſtorie der Gelehrten, Frf. ad Moen. 1718. in 8. pag. 670. ſq.*

§. XIX.

Decimum criterium quaerendum eſt in tempore, quo vixit libri Auctor, quoniam, teſte BARCLAIO in *Icone animorum, Cap. II. p. 51. edit. Grabenerianae*, omnia ſaecula genium ſuum habent, qui mortalium animos in certa ſtudia ſolet inflectere. Multum ſane diuque diſceptatum fuit, quinam Scriptores, ſi aetatem ſpectaueris, meliores ſint; vtrum antiqui recentioribus, an hi illis praeferendi? Nunquam autem vehementiori contentione, quam praeterlapſo ſaeculo, hac de re fuit agitatum, claſſicum canente CAROLO PERRALTO, Academiae Regiae Scientiarum apud Pariſienſes Socio, quippe qui *a. 1687.* poema haud inelegans, *le Siecle de Louis le Grand* inſcriptum, dicta in Societate recitarat. In eo aetatem Ludouici XIV. cum aureo Auguſti Imperatoris Romani ſaeculo confert, Galliamque ſuam tanti Regis auſpiciis in litterarum artiumque cultura ita caput extuliſſe ſtatuit, vt nobiliſſimis Graeciae Latiique ingeniis non comparari ſolum, ſed certo etiam modo poſſit anteponi. Cui Perralti ſententiae complures publice contradixerunt ſtatim, veterumque Scriptorum cauſſam egerunt. ANDREAS primum DACERIVS in *Praefatione ad Tom. VI. Operum Horatii* grauiter reprehendit carminis iſtius argumentum; erat enim maximus antiquitatis admirator, qui, vt GELLIVS *lib. XIII. cap. 12.* de Labeone ſcriptum reliquit, ratum penſumque nihil habebat, niſi quod in Romanis legiſſet. Eum ſequuti ſtrenue fuerunt LONGEPIERIVS in *Diſcours ſur les Anciens, Pariſ. 1687. in 12;* Anonymus quidam hoc edito Opuſculo: *La defenſe des Anciens, contre le poeme du ſiecle de Louis le Grand*, in quo Perralti carmen merum ingenii luſum ducit, neque ob paradoxa, ibidem obuia, auctorem vbique ſerio ſcripſiſſe, perſuadere ſibi poteſt; PETRVS

TRVS FRANCIVS, qui *Oratione Latina* *) acriter inuectus est in hunc libellum, quem horribilem vocat sacrumque, auctori simul ineptissimi hominis insolentiam obiiciens; et alii non nulli, quos hoc loco silentio praetermittimus. Inde motus est Perraltus, vt diuulgaret *Parellele des Anciens et des Modernes, en ce, qui regarde les arts et les sciences.* Prodiit huius Operis *Tomus I. Paris. a. 1688. in 8.* duosque, praeter ipsum poema, litis originem, complectitur Dialogos, in quibus tres inducit confabulatores, Abbatem scilicet, veteres omni nisu oppugnantem, Praesidem, operose quidem, at solide parum, eosdem defendentem, et Equitem denique, qui conuertit in iocum, quod serio dictum a prioribus negare non audet. In primo autem Dialogo eorum ridet exagitatque pruritum, qui nil nisi antiqua magni facere solent, et in locis etiam obscurissimis inueniunt oracula, iisque enodandis vitam prope ipsam impendunt: in altero contra Dialogo eos, qui colloquuntur inter se, ad spectanda Versaliae miracula exiisse fingit Auctor. Qua occasione dum progressus recentiorum, in Architectura, pingendi, et sculpendi arte factos, exponit, probare inde studet, singula haec mirandis antiquorum Operibus omnino esse praeferenda. Continuare hoc argumentum, et ad Astronomiam, Geographiam, reliquasque scientias, progredi constituerat; sed mutato hocce consilio, ad comparationem Eloquentiae antiquae et recentioris stilum adplicuit in memorati Operis *Tomo II.* qui hoc insignitus titulo *ibidem a. 1690.* lucem

*) Vellem, adiecissent ipsum locum, vbi haec Francius dixit, illustris AYRERVS in *Diss. de comparatione erudit. antiquae et recentioris, Sect. II. §. 2. p. 268.* STOLLIVS in *Prooemio der Anleit. zur Hist. der philos. Gelahrheit, §. XXIV. p. 13. edit. nouiss.* aliique, a quibus huius Orationis mentio est iniecta. Ego, perlustratis FRANCII *Orationibus, Amstael. a. 1705. in 8.* recusis, inanis plane redii, nec inueni ibidem, quae speraueram.

adſpexit: *Parallele des Anciens et Modernes, en ce, qui regarde l'Eloquence.* Eaedem, quibus antea vſus fuerat, quasque in reliquis etiam Tomis producit, hic perſonae differunt, ipſeque Perraltus, ſub Abbatis nomine deliteſcens, antiquos in quolibet Eloquentiae genere inferiores eſſe recentioribus, contendit. Luciani interim ac Ciceronis Dialogos in debita laudis poſſeſſione non turbat: eos tamen vel ſolas Paſcalii Epiſtolas prouinciales *) ſi non ſuperare, aequiparare ſaltim, hasque nulli vnquam lectori faſtidio fuiſſe, arbitratur. Caeteri Auctores omnes, qui dicendi arte apud veteres excelluerunt, vela demittere quaſi ante recentiores coguntur. In *Tomo III. a 1692.* excuſo habemus *Parallele des Anciens et des Modernes, en ce, qui regarde la Poeſie.* Non tantis digni elogiis Perralto videntur Homeri, Pindari, Ariſtophanis, Virgilii, Horatii, Ouidii, Iuuenalis, aliorumque veterum labores poetici, quibus vulgo extolluntur. Palmam omnibus, ex ipſius ſententia, praeripiunt Taſſi Hieroſolyma liberata, Mareſii Clodouaeus, Capellani puella Aurelianenſis, Voiturii, et Saraceni, amatoria, Molierii Comoediae, Triſtani atque Cornelii Tragoediae, Boilaei Satyrae caet. *Tomus* denique *IV. Pariſiis a. 1696.* prioribus additus ea exhibet, quae Tomum I. ſubſequi initio debebant. Agitur enim hic de Aſtronomia, Geographia, Nauigatione, arte bellica, Philoſophia, Medicina, Muſica, hortorum cultura, et ea quidem mente, vt recentioris aetatis eruditos veterum in his obſcuraſſe laudes vbique eluceat. Vidimus igitur, quod in iis Comparationibus primam, quam poemate ſupra memorato propoſuerat Perraltus, ſententiam non retinuerit ſolum, ſed vberiori etiam argumentorum adparatu corroborare auſus fuerit. Reſtat, vt aliquos

*) BAELIVS in *Dict. hiſt. et crit. v. Paſcal p. m. 607. in Tomo III.* ſcribit: *Les Lettres Provinciales de Mr. Paſcal ont paſſé, et paſſent encore pour un chef-d'oeuvre.*

aliquos paucis addamus, qui poſtea contradixerunt viro doctiſſimo, et maſculos ſeſe antiquae eruditionis vindices praeſtiterunt. Ex ipſis Gallis huc referendi BOILAEVS et HVETIVS, ille praecipue in *obſeruationibus ad Longinum*, quas continet *Tomus II. Opp. Boilaeorum*, *Amſt. a. 1729. in f*, et *Satyra X. in feminas:* hic in *Epiſtola ad Perraltum*, quam inſcripſit: *Diſſertation ſur le Parallele des Anciens et des Modernes*, quamque Abbas TILLADETVS, Huetii amicus, inſeruit *Diſſertationibus* eius Gallicis *ad religionem et philologiam ſpectantibus, Hag. Comit. a. 1714. in 12. Tomo I. p. 396.* Cf. et *Huetiana*, *Pariſ. 1722. ead. forma p. 26. ſq.* Inter Anglos eminent GVIL. TEMPLEVS, Eques, ac GVIL. WOTTONVS. TEMPLEVS Diſſertationem elaborauit, qua, veterum recentiorumque ingeniis ſcriptisque inter ſe comparatis, in illorum gratiam ſententiam dicit, horumque eruditionem priſtinae ſolum ſapientiae imitationem, atque fragmenta et quaſi tabulas, ex generali naufragio collectas, eſſe arbitratur. Vid. *Eſſai du Savoir des Anciens et des Modernes* in *Operibus* TEMPLEI *miſcellaneis*, ex Anglico ſermone Gallice conuerſis editisque *Vltraiecti 1693. in 12. Tomo II. p. 1. ſq.* WOTTONVS autem in *Reflections upon ancient and modern Learning*, *Londini 1694.* et ex altera editione auctiore *ibid. a. 1697. in 8.* cum Perralti ac, qui eius fauet ſententiae, Fontenellii recentiores, tum Templei, antiquos nimium extollentis, argumenta ponderauit, eo potiſſimum conſilio, vt aequum ſe inter partem vtramque iudicem praeberet. Singulas proinde artes ſcientiasque examinando, quid hi, quid illi, praeſtiterint, notauit diligenter, tandemque Graecos ac Romanos, ob linguae elegantiam, Eloquentia et Poeſi hodiernos anteire oratores poetasque, recentiores contra in mathematicis ac caeteris ſcientiis antiquos longo poſt ſe interuallo relinquere, pronunciauit. In idem cum Perralto certamen apud Italos deſcendit

dit IOH. IOSEPH. FELIX VRSIVS in *Confiderazioni sopra un famoso libro Francese, intitolato:* Maniere de bien penser dans les ouvrages d'esprit. *Bologna 1703. 8.* Gallicum hunc librum diuulgarat DOMINICVS BOVHVRSIVS, *Paris. a. 1687. in 4.* qui *anno insequenti ibidem in 8.* et *Amstaelodami in 12.* recusus est. Non solum in illo libro, sed in alio quoque, qui est prioris continuatio, et hoc titulo: *Pensées ingenieuses des Anciens et des Modernes, Paris. 1689. Amst. 1692. in 12.* denuoque *Paris. 1693. in 8.* prodiit, maximos ex antiquitate viros vellicat, suo magis aeuo, quam prisco, addictus. Auctores *des Neuen Bücher-Saals, Parte XXXI. p. 474.* erroris insimulant Struuium, quod Bouhoursium controuersiae implicuerit Perraltinae, illius argumentum plane diuersum esse, monentes. Sed AYRERVS in *Diss. cit. Sect. II. §. 10. p. 316.* immerito hic reprehendi Struuium contendit. En! ipsa viri doctissimi verba: *Quamuis non directe Bouhursium eo pertinere, largiar; quum tamen eandem fere quaestionem ventilauerit, eodem certe, et, quia Perralto fuit aequalis, maiori adhuc iure hic commemorari potest, quam Benedictus Accoltus, cuius tamen Dialogum de praestantia virorum sui aeui memorati Auctores ex saeculo XV. huc omnino existimant trahendum.* In Germania denique nostra Perralto repugnarunt GODOFR. OLEARIVS, litteratissimus Theologus, in *Progr.* quodam *Lips. a. 1690.* excuso; MATTHIAS NICOL. KORTHOLTVS in *Orat. Gissae a. 1700 in 4.* edita *de antiqua Eloquentia, recentiorum perperam postposita a Carolo Perralto*; et CORN. DIETERIC. KOCHIVS in *Opusculo*, quod inscripsit: *Caroli Perralti comparatio Philosophiae primae, priscae ac nouellae, cum notis. Helmst. 1719. in 4.* Copiosius vt de argumento hocce disseramus, instituti ratio non patitur. Satisfacient Lectori, de pluribus Scriptoribus sollicito, laudatus iam AYRERVS in erudita *Diss. de comparatione eruditionis antiquae et recentioris,*

BLACK-

BLACKWALLII *Commentationi de praestantia classicorum Auctorum Lips. a. 1735. in 8. mai.* adiecta; DAN. GREVILLIVS in *Diss. de controuersia Perraltina*, quam, Praeside Petro Ekermano, *Vpsaliae a. 1741. in 4.* publico submisit examini, maxima vero ex parte, vt ipse *p. 4. nota b)* candide fatetur, ex Ayrerianis cogitatis composuit; pariterque *Catalogus Bibliothecae Bunauianae, Tomo I. vol. 1. p. 452 sq.* Add. IOH. IAC. a RYSSEL *Continuatio der Thomasischen freymüthigen Gedancken, a. 1690. p. 87. sq.* nec non *les Nouvelles litteraires 1715. Tom. I. p. 306. sq.* vbi leges: *Description du païs des Antiques, et des Modernes, de ses habitans, de leurs manieres de vivre, leurs habits, leurs armes, leurs guerres et leur reunion* caet. quod festiuum Opusculum, ex Gallico sermone in Germanicum translatum, accessit *den Leipz. gelehrt. Zeitungen, a. 1715. p. 509. sq* Si dicendum quod res est, optimam iam olim viam elegit PLINIVS *lib. VI. epist. 21. Sum ex iis*, inquit, *qui miror antiquos, non tamen, vt quidam, temporum nostrorum ingenia despicio. Neque enim quasi lassa et effoeta natura, vt nihil iam laudabile pariat.* Habent sane priora saecula, de quibus glorientur: habet etiam nostra aetas, ita, vt in mechanicis aliisque artificiosis cedant antiqui nostratibus; quantum vero ad ingenii monumenta, vtrinque adsunt profecto rationes, quae, si non dubiam prorsus, difficilem saltim, reddunt litis diiudicationem. Hoc bene notandum, quod tempora quaelibet sua seruarint studia, qua de re eleganter disputat THOMAS BARTHOLINVS in *Dissertatione II. de libris legendis.* Faciunt huc Scriptores, qui progressus et incrementa studiorum secundum diuersa saecula exposuerunt. Talis est e. g. IOH. ALPHONS. TVRRETINVS in *Oratione*, iam supra *Cap. III. §. 27.* adlata, *de saeculo XVII. erudito et hodiernis litterarum periculis*, qua praecipue incrementa studiorum in Philologia, Philosophia, disciplinis mathematicis, Mechanica,

Histo-

Hiſtoria, Chronologia, Antiquitatibus et Iurisprudentia oſtendere voluit. Lectu iucunda eſt Oratio, negandum licet non ſit, notiora ſaltim adduxiſſe Turretinum, nihil, quod videatur ſingulare. Quis ignorat aetatem variam Latinae linguae, quam inde a triginta, et quod excedit, annis clariſſimus Academiae Rintelienſis Philologus, IOH. NICOL. FVNCCIVS, egregiis Voluminibus illuſtrauit? De caſtitate ſermonis ac venuſtate longe melius iudicare poteris ex Scriptoribus, qui ſaeculo Auguſteo inclaruerunt, quam ex iis, quos Hadriani et ſucceſſorum aetas tulit. Saeculo XV. et XVI. quum refloreſcerent litterae, maior Latinae linguae nitor fuit, quam barbaris iſtis ſaeculis ſcholaſticis. In Philoſophia inualuerunt olim dogmata Platonis, Eccleſiae Patribus communia, quoniam reliquas Sectas longius a Chriſtianorum placitis abire nouerant: a ſaeculo octauo magis Ariſtoteles placuit, cuius tamen praecepta, Scholaſticorum poſtea ineptiis contaminata, reſtituit integritati ſuae, ſummoque loco habuit, ſaeculum XIV. at ſaeculo deinceps XVI. perfregit et labefactauit Petrus Ramus, *vir dicendi copia ſupra modum eleganti atque valente, et libertate, quam aetas illa ferre poſſet, maiori*, quae verba ſunt celeb. BRVCKERI in *Hiſt. Philoſophiae critica, Tomo IV. Parte altera, p. 551.* Saeculo ſuperiori Renatus Carteſius, Rami veſtigiis inſiſtens, omnes veterum opiniones, per dubitandi principium, eiecit e philoſophorum ſcholis, nouumque plane Philoſophiae exſtruere aedificium ſecum conſtituit. Hac noſtra aetate Philoſophia eclectica plurimos nacta eſt amatores. Scientificam autem methodum quidam ad inſaniam vsque ſuſpiciunt, et commendant, moxque tonſores videbimus hac methodo barbam radere. Ingenia igitur et ſcriptores cum Philoſophia ipſa mutantur. Iureconſulti prioribus ſaeculis ſolum occupabantur in Reſponſis. Poſtea medio

medio aeuo Irnerius breues ac ſubtiles Legum explicationes, quae ſcholia vulgo dicuntur, introduxit. Pleniores ad Ius ciuile gloſſas conſcripſerunt Accurſiani, tanto exceptas in foro adplauſu, vt omnes olim ad gloſſam, quam ad textum, prouocare maluerint. Schola Bartolina ſpinas Dialecticae ſparſit in Iurisprudentiam, forenſibusque cauillationibus, propter inanem ſubtilitatem tenuesque diuiſiones, citra neceſſitatem ſaepius adhibitas, occaſionem dedit. Saeculo XVI. Andreas Alciatus primum litteras elegantiores, adhuc non ſine damno maximo neglectas, cum Iuris Romani ſtudio feliciter coniunxit, quem, haud interiecto longo temporis interuallo, ſequutus eſt Iacob. Cuiacius, eo quidem ſucceſſu, vt ex lateritia quaſi Iurisprudentia fecerit auream, adeoque illa *Cuiaciana* dici a multis ſoleat. Alias totum erat hoc ſaeculum in conciliandis antinomiis. Nouam iura tractandi rationem eodem ſaeculo inuenit Matthaeus Weſembecius, nimirum methodum cauſſarum, a Petro Ramo inſignitam Ramiſticae nomine, qua ſecundum quatuor cauſſarum genera, tam viua voce, quam ſcriptis, Iurisprudentiam Romanam expoſuit. Tot fuerunt eius imitatores, vt plerorumque ICtorum ſaeculi XVI. et ſaeculi XVII. Opera hac methodo compoſita inueniamus. Imo praeſens etiam aetas non caruit hominibus, qui eiusmodi innutriti deliciis grande hoc nefas credidiſſent, ac morte piandum, ſi a pulcherrima praeceptorum ſuorum conſuetudine recedere voluiſſent. Euoluenda hoc ad argumentum BRVNQVELLI *Hiſtoria Iuris Romani*, aliquoties edita. Hodie, per viginti circiter annos, ICtis Germaniae non paucis mathematica methodus viſa eſt elegantiſſima. Cf. V. C. GOTTLOB AVG. IENICHEN breuis *Oratio de Secta Compendiariorum et Perfectioniſtarum, Iurisprudentiae perquam fatali, Giſſae, 1752. in 4.* Iam quoque ICti noſtri maiori iudicio cauſſas

caussas in Iure controuersas dirimunt, Iurisprudentiam Iustinianeam aeque ac Germanicam, superioribus temporibus in tenebris iacentem, ex ipsis fontibus interpretantur, atque Legibus naturalibus, morali ac politica disciplina, Iure publico ac feudali, Historia, aliisque adminiculis ingenium excolunt. Quantum artis medicae facies fuerit immutata, nemo sane ignorat. Quam erat admirabilis quondam Galeni maiestas, cuius nunc, vbi Chymiae locus datus est, fere exoleuit memoria? Quae non inuenta noua in anatomicis saeculo praeterlapso et hodierno innotuerunt? Quantum fuit in chirurgicis praestitum? Quam egregia rei botanicae studium incrementa cepit? Si tandem ad Theologiam dirigamus oculos, quam diuersae, per singula saecula, frugis fuerint libri, eius explicandae caussa scripti, docent Theologiae historicae conditores, quos inter omnium esse loco poterit IOH. FRANC. BVDDEVS, cui vtilissimam *Isagogen in vniuersam Theologiam et singulas illius partes* debemus. Vid. de hoc Opere, praeter alios, COLERI *auserlesene Theolog. Biblioth. Parte XXV. et XXVI.* Quam pius zelus et feruor in scriptis Patrum apostolicorum? e quibus tamen si Clementis, Romani, Epistolas ad Corinthios, Barnabae catholicam, Ignatii et Polycarpi Epistolas excipias, nihil fere erit reliqui. Cf. de his scriptis *Acta Erud. Lat. a. 1699. p. 1. et a. 1724. p. 521. sq.* Barnabae tamen Epistolam catholicam plures abiudicare, docet illustris PERTSCHIVS *im Versuch einer Kirchen-Historie, Tomo I. p. 230. sq.* qui etiam de caeteris hoc et II. Tomo videri potest. Quam adfectata saepe in Patribus saeculi quarti et quinti eruditio adparet? Quam peruersa non nunquam sunt dogmata Patrum ex posteriori aetate? Omittimus saecula scholastica, quae adeo corruperunt sacras doctrinas per immixtos terminos, vt vulgo vocantur, technicos, in quibus est incredibilis obscuritas, vt

vera

vera iſta atque incontaminata Theologia diu colla leuare non potuerit. Olim Pontificii Theologi Hiſtoriam eccleſiaſticam et Philoſophiam ſolidiorem cane peius et angue fugiebant, eadem ſemper chorda oberrantes: hodie, noſtrorum exemplo laudabili, multi et haec tractant ſtudia; atroces vero horribilesque rixae, et haereſeos inhumanae exprobrationes, vtrinque, diuino beneficio, paullatim remittunt. Quod ea generatim, qua viuimus, aetas in omni eruditionis fundo antecedentium temporum gloriam ſuperet, celeberrimus IOECHERVS in Oratione iucundiſſima *de inſigni ſtudii hiſtorici noſtra aetate ἐξοχῇ, ſeu excellentia, Lipſ. a. 1732. in 4.* grauiſſimis de cauſſis contendit. *Abundamus iam*, ait pag. 4, *librorum, veritatum ſenſim ſenſimque inuentarum, ſcholarum, ſubſidiorumque copia: quorum omnium inopia ſaecula remotiora premebantur. Dies diem docet, atque praeclare cogitata et dicta antiquorum nouis in dies meditationibus locupletamus, nouis argumentis communimus, nouis obſeruationibus perficimus, eaque omnia ad vſum et humani generis felicitatem magis magisque accommodamus. Ita incrementum quotidie capiunt diſciplinae, ita emendantur ſubinde artes, ita laetius ſemper effloreſcunt litterae, ita noſtrae aetatis viri docti, gigantum velut humeris inſiſtentes, per ſpatia longe ampliora oculos circumferre queunt. Hoc vt de nonnullis artibus, de architectura nauali et ciuili, de typographia, de inuentis opticis, de muſica, ſole meridiano clarius oſtendi poteſt; ita de eo cumprimis oritur quaeſtio; an in iis etiam, quibus Athenae prae cunctis olim gentibus enitebant, quibus adeo eminebat Roma, philoſophiam puto, poëſin, eloquentiam, hiſtoriam, noſtra aetas eis quoque palmam praeripiat? Quemadmodum vero de omnibus, quae nominaui, hoc probatum dare, non adeo arduum exiſtimo: ita in praeſentiarum ſaltim de hiſtoriarum ſtudiis euincere allaborabo, tantam eſſe eorum noſtra aetate ἐξοχὴν, vt ſi vel lucidiſ-*

ſima praeteritorum ſaeculorum tempora cum iis conferre velis, iſta merito tenebrae vocanda ſint. Longiorem hunc locum ideo adſcripſimus, vt, quae ſit viri doctiſſimi de antiquorum et recentiorum eruditione ſententia, exacte intelligatur. Fauet Perralto, et in plerisque non temere fauet. Quod pace tamen Auctoris, cuius magni aeſtimo in litteras merita, dictum ſit, poeſin recentiorum et eloquentiam priſcis monumentis nimis liberaliter anteponere videtur. Plurimi forſitan HEVMANNI V. C. axiomata in *Conſp. Reip. litter. Cap. VII. §. 7. p. m. 432.* potiora exiſtimabunt. Primum eſt horum: *Quae ſtudia veteres magis excoluerunt, quam noſtra aetas, in iis veteres vtique noſtris hominibus praeferendi ſunt.* Poëtae igitur veteris Romae non parum praeſtant plerisque hodiernis. Poëſis enim erat illorum ἔϱγον, quum hodie ſit inter τὰ πάϱεϱγα. Addo de eloquentia, eam olim apud Graecos aeque ac Romanos maximi momenti ac ponderis fuiſſe, quandoquidem certa dicendi libertate gaudebant oratores, quae tota fere, ſi ſolam exceperis Angliam, et Res quasdam publicas, noſtris praeciſa eſt. Alterum axioma ita expreſſum: *Quae ſtudia veteres modice excoluerunt, in iis recentiores ſunt praeſtantiores.* Quanto meliores habet noſtra aetas interpretes ſacri Codicis, quam vetuſtius aeuum, quo Patres eccleſiaſtici floruerunt! Quanto eruditiores vtilicresque nunc adſunt Ethicae, Logicae, Phyſicae, quam fuerunt decimo ſexto ſaeculo! Tertii axiomatis ſumma eſt: *Quae ſtudia veteres excoluerunt acriter, et hodierna aetas itidem excolit ſtudioſe, in iis hodierni palmam merentur.* Primo enim poſteriores viam perſequuntur iam praeparatam, adeoque facile iis eſt, progredi longius; deinde hodie plura in quocunque ſtudiorum genere ad manus ſunt adminicula, vt altius proinde eniti queamus in omnibus. Sic non iniuſte Molierii Comediae maiori ſunt in pretio, quam Plautinae, qua de

de re vid. *l'Europe Savante*, *Tomi XI. Parte 2. artic. 4.* vbi recenſentur Plauti Comoediae, Latine Gallice-que a Limierio editae. Si quis etiam in legendis Patrum eccleſiae ſcriptis adſidue verſaretur, totumque Ariſtotelem ac Platonem edidiciſſet, non peruolutatis noſtri aeui Theologis Philoſophisque, haud ab vllo habebitur, opinor, in numero magnorum vel Theologorum, vel Philoſophorum.

§. XX.

Vndecimum criterium proficiſcitur ex adcurata et methodica libri tractatione, materiaque ſcriptore digna. Specioſi ſaepe ſunt Auctores in fronte, in ipſo autem corpore magna ſiccitate laborant, vel diuagantur et multa intermiſcent aliena. Vitium hoc eſt eorum, qui, vt eruditionem oſtendant ſuam, ampullasque proiiciant et ſeſquipedalia verba, quicquid collegerunt vnquam locorum communium, vnum in volumen ſine iudicio comportant. Qua de re quum ſupra *§. IV. huius Capitis*, velut in tranſitu, pauca dicta ſint, hic non nihil eſt copioſius agendum. CLAVDII SALMASII *Exercitationes Plinianae* non parum criticae redolent eruditionis, attamen Auctor, argumento ſuo minus inhaerens, ab alio ad aliud delabitur, et in alieno choro ſemper pedem ponit, ideoque lectio Operis non poteſt non inſuauis eſſe ac perquam moleſta. Verum profecto manebit iudicium MENAGII *Parte I. Menagianorum p. 262.* vbi ſic loquitur: *Mr. Saumaiſe étoit l'homme du monde le plus agreable dans la converſation; mais il avoit ce defaut en ecrivant, qu'un paſſage en attiroit un autre, et qu'il ne pouvoit finir à force de citer des paſſages.* Interim, vt ſunt varia hominum iudicia, defenſionem Salmaſii hac in re ſuſcepit IOH. BENED. SCHEIBIVS, cuius videantur *freymüthige Gedancken aus der Hiſtorie, Critic und Litteratur, P. I. p. m. 235. edit. prioris, a. 1732.*

in 8. exhibitae. Idem eſt dicendum de GEORGII HORNII *Hiſtoria Philoſophiae*, vt luculenter probauit HEVMANNVS *Actor. Philoſoph. Parte VI. p. 1044. ſq.* pariterque de GER. IOH. VOSSIO, cuius quippe Opera *de Theologia gentili et Phyſiologia Chriſtiana*, ſiue de origine et progreſſu Idololatriae, item *Inſtitutionum Oratoriarum libri VI.* vt pleraque viri de litteris egregie meriti, vberrimam eruditionem patefaciunt, at hoc ſimul comprobant, Auctorem effundere omnia maluiſſe, quam dare lectoribus ad rem pertinentia, et nil niſi exquiſitiſſimae, cribroque, vt Perſius ait, decuſſae farinae. Ipſe id agnouit in adducto de Theologia gentili Opere, perſpicimusque ex Praefatione eidem praefixa, quod prope ſtatutum habuerit, hunc ingenii partum, verſicolori pauonis caudae ſimillimum, Gellii exemplo *Noctium Amſtaelodamenſium* nomine ſignare. Cf. NICERONII *Vitae doctorum virorum*, in *Capite* quo de Voſſio differit, *P. I. p. 98. p. 101.* et *p. 108. ſq. verſionis Germanicae.* Ne micam e contrario ſalis inuenies in FRID. CHRISTIANI RAMI *Aquilarum Imperii biga*, qui liber ineptiſſimus *Lemgouiae a. 1716. in 4.* quiſquiliarum aceruum auxit. Quot hic obuiae ſint excurſiones ridiculae, quot nugas maximo conatu egerit bonus ille Ramus, clare oſtendi aliquando in *der Hamburg. vermiſchten Bibliothec*, *Tomo I. Parte 3. pag. 413. ſq.* vbi et alia quaedam exempla memoraui. Plerumque Scriptores Aduerſariorum, variarum Lectionum, et ſimilium, eiusdem ſunt conditionis; quum enim in vno Capite plures attingunt potius, quam tractant, materias, ſaliuam tantum mouent, ipſam famem haud explent. Cf. BVCHNERI *Comment. de vitiorum inter eruditos occurrentium Scriptoribus*, *Lipſ. a. 1718. in 8.* Satis vero ex ſuperioribus cognoſci poteſt, Auctores, ad aliena ſemper deſcendentes, amplificare tantum libros ſuos, nec propterea magnitudinem boni ſtatim libri ſignum eſſe. Quamquam enim apud

apud PLINIVM *lib. I. epist. 20.* haec leguntur: *bonus liber quisque melior est, quo maior. Vides, vt statuas, signa, picturas, hominum denique multorumque animalium formas, arborum etiam, si modo sint decorae, nihil magis, quam amplitudo, commendet: idem orationibus euenit: quin etiam voluminibus ipsis auctoritatem quandam et pulchritudinem adiicit magnitudo*; ista tamen non nisi tunc locum habent, si argumenti ratio ita sit comparata, vt liber omnino excrescere debeat. Saepe de paruae molis libro maiori iure, quam de grandioris staturae Opere, illa LAERTII *lib. VII. p. m. 204. edit. Londinensis a. 1664. in f.* repetenda verba sunt de scriptis Herilli; Ἔςι δὲ τὰ βιβλία αὐτῦ ὀλιγοςίχα μὲν, δυνάμεως δὲ μεςά. Non nullos res ludicrae ac viles maxime trahunt, in quibus pertractandis otio suo ingenioque abutuntur. Tot prostant nugae venales, ioco-seria, Scriptores Milesiorum, aliique libelli, qui laudem asini, vmbrae, pediculi, pulicis caet. continent, vt posset, si necesse foret, peramplus eorundem Catalogus texi. Complura talia congessit CASP. DORNAVIVS in *Amphitheatro Sapientiae Socraticae ioco-seriae*, quod Opus *Hanouiae a. 1619. Tomis II. in f.* prodiit. Singula, quae reperiuntur ibi, recensentur in *Catalogo Biblioth. Menckenianae p. 784. sq. edit. secundae.* Add. *Catalogus Bibl. Bunauianae, Tom. I. Vol. 3. p. 2107. sq.* Scilicet ingenium ostentant eiusmodi scriptores, non vbique iudicium, quod in iis occupatur tantum, quae grauia sunt, vsumque insignem habent. Neque tamen omnes plane contemnendi, quoniam aliqui sub iis titulis, qui primo adspectu videri possint otiosi, corruptos saeculi mores stilo satyrico notant, quo faciunt *nauicula fatuorum* IOH. GEYLERI a KEYSERSBERG; ERASMI, Roterodami, *encomium moriae*; VLRICI HVTTENI *Dialogi festiui; febris; nemo*; et similes libelli. De Huttenianis nullus curatius exposuit IACOBO BVRCKHARDO in tribus *de vita Hutteni*

Commentariis, quorum duo priores *Guelpherb. a. 1717.* vltimus *a. 1723. in 8.* diuulgati ſunt. Facilius etiam condonantur tales luſus ingenii poëtis, qui, furore quodam poëtico abrepti, vel fabulantur, vel diuagantur ac paradoxorum inuentione et praeconio delectare ſtudent. Celebris ille Polyhiſtoris litterarii auctor, MORHOFIVS, leſſum ſcripſerat in Ciconiam Adrianam, carmen heroicum iuuenile, quo triſte fatum auis deplorauerat, quam, Adriani nomine inſignitam, Laur. Bodockius, Iurium Doctor, et Academiae Roſtochienſis Orator, domi ſuae ſuſtentarat. Tantopere leſſus hic Morhofium commendauit in aula Megapolitana, vt, vix impleto luſtro aetatis quarto, poëticam, quae tum Roſtochii vacua erat, prouinciam obtineret. Vid. IOH. MOLLERI *Prolegomena de vita Morhofii, Tomo II. Polyhiſtoris* praefixa, *§. IX.* Quot poëtarum Gallorum, eorumque elegantiſſimorum, in Pſittacum Scuderianum exſtant poëmata? Quot in Lipſii, aliorumque, catellos epitaphia adducit *l. c. p. 525. ſq.* DORNAVIVS? Quid vero de iis dicendum, qui aliud otioſum ſcribendi argumentum ſibi ſumunt, qui de arte amandi, potandi, volandi, diteſcendi et ſimilibus nugis agunt? Sane ſtulta eſt gloria, niſi vtile ſit, quod feceris. AGNVS BENIGNVS SANREY integrum *Tractatum de recta nominis Paracleti pronunciatione Pariſ. a. 1650. in 8.* edidit, de qua controuerſia tota conſuli queunt IOH. BAPT. THIERSII *Diſſ. de retinenda in eccleſiaſticis libris voce Paraclitus*, *Journal des Savans 1669. m. Decembri*, et BAELIVS in *Dict. hiſt. et crit.* v. Paraclet, *nota B.* Intermiſcuit quidem Auctor aliqua, quae ad rationem accentuum Graecorum conducunt; ſed de vera vnius vocis pronunciatione ſcribere tractatum, idem eſt, ac laureolam in muſtaceo quaerere. Cf. IOH. BVRCHARDI MENCKENII *Orat. II. de Charlataneria erudit. pag. 218. Orationum iunctim excuſarum*, vbi ſimul haec differit vir ingenii politiſ-

politiſſimi: *Neſcio vero, an non et inter inanes lites noſtris temporibus referri debeant illae, quae Bentleium et Boylium, Fabrettum et Gronouium, Clericum et Burmannum, et nuper Kuſterum et Perizonium, de vnica voce* cerno *diſputantes, exercuerunt, quos ſummos in re litteraria viros, noſtrique aeui heroes, par erat in re magis ardua laborem poſuiſſe.* Miramur, controuerſiam iſtam, quae fuit olim inter Doctores Sorbonicos et Profeſſores Regios, ſigillatim Petrum Ramum, quaeque per ſententiam ſupremae Curiae Pariſienſis compoſita eſt demum, libro ſingulari nondum eſſe deſcriptam. Orta haec erat de re maximi momenti, de pronunciatione vocis Q. in lingua Latina, vt fuſius docent IOH. THOMAS FREIGIVS in *vita Romi pag. 24. ſq.* et BAELIVS v. Ramus, *nota G.* Cf. Viri celeberrimi, IOH. GE. WALCHII, *Obſeruatio de nugis et bellis Grammaticorum*, in *Miſcellan. Lipſienſ. Pezoldianis, Tomo I. p. 42. ſq.* et ELIAE SILBERRADII *Diſſ. ſecunda de bellis litterariis, Argent. 1719. p. 36. ſq.* Ad otioſa et inepta ſcripta merito etiam reiici debet PETRI HABERKORNII, Theologi quondam Giſſenſis, *Chriſtliches Bedencken von den heutigen Barücken, 1685. in 4.* quo capillamenti vſum legibus diuinis aduerſari operoſe monſtrat, ſub finem grauiter animaduertens in Medicos, his verbis: *Die Medici haben es auch zu verantworten, da ſie ſelbſt Luſt zu den Barücken haben, und damit ſie andern dieſelbe auch beybringen mögen, erdencken ſie eine vtilitaet, welche ſolche Dinge haben ſollen. Antiqua veritas ſubſiſtit, noua fucatio euaneſcit.* Riſum teneatis Amici! Rectiſſime igitur BERNHARDVS in *der curieuſen Hiſtorie der Gelehrten p. 639.* omnibus ob oculos poſuit illa SAMVELIS WERENFELSII ex *Diſſ. de Logomachiis eruditorum: Quantam, Deus bone! librorum partem occupant de rebus viliſſimis ac plane ridiculis concertationes. Quis non rideat, cum audit, diſputari inter doctos, fueritne piſcis, qui Ionam deglutiit, mas*

 an

an femina? vtrum pedem primum Aeneas in Latium intulerit? quae fibularum Romanarum forma fuerit, et sexcenta huius generis alia. Lucem adspexit adducta Dissertatio Werenfelsiana *Basil. a. 1692. in 4.* tum recusa fuit *Amstael. a 1702* et *Francofurti 1724. in 8.* Accessit eadem *Volumini I. Dissertationum* viri doctissimi, quae *Amstael. anno 1716. in 8.* prodierunt. In compendium redactam exhibent *die Summarischen Nachrichten von Büchern der Thomasischen Bibliothec, Parte VII. p. 595. sq.* Cf. de eadem CLERICI *Biblioth. universelle, Tom. XXIII. p. 409. sq.* Non solum autem Werenfelsius varias Logomachiae species, morbique huius naturam et grauitatem, aperit, sed caussas etiam et signa memorat, atque opportuna praescribit remedia. Nec praetermisit exempla, ex omnibus eruditionis partibus depromta, vt euidentior vbique tractatio redderetur. Addimus AVGVSTINI LEYSERI, ICti, quem Musa vetat mori, bellam *de Logomachiis in Iure Dissertationem*, Praeside Ioh. Henr. Bergero, *Vitemb. a. 1707.* defensam publice, iterumque editam *ibid. a. 1724.* *) In ea § *XXIV. sq.* futiles de rebus minimis ac leuibus ICtorum disputatiunculas perstringit, primumque ex antiquis mentionem iniicit Labeonis et Capitonis, quorum ille, disciplinae paullo seuerioris, cauillationes atque subtilitates prisci Iuris, per nouas Constitutiones et obseruantiam dudum abrogatas, reducere conabatur: hic e contrario, hilaris ac popularis homo, vtilia potius et temporibus conuenientia, quam abstrusa et obsoleta, probare solebat. Cf. clar. HOMMELII *Diss. de principali caussa dissensionum inter*

*) Iuuenile hoc Opusculum elegantissimus Auctor paucis ante mortem annis perfectius et ornatius edere constituerat. Fecit id ex parte etiam in binis Dissertationibus, *Vitemb. 1749.* excusis, *de ICto disputatore*, ac *de pugnis ICtorum*, et vsque ad *§phum XVI.* peruenit; postea vero, quantum mihi constat, vltra non processit, quod sane dolendum est.

inter Labeonem et Capitonem, horumque ſectatores, Lipſ. 1750. De Logomachiis in Iuris naturalis doctrina Helmſt. a. 1720. diſputauit GOTTLIEB SAM. TREVERVS. Libros item Mileſiorum et fabularum Romanenſium, ſi paucos, Octauiam in primis, excipias, iis adiicere ſcriptis licebit, quae indigna ſunt humana induſtria, quaeque potius, vbi mores corrumpunt, quo certe vitio plurima laborant, ad aeternas damnari tenebras deberent. Sed hic eſt genius ſaeculi: maiori cum adplauſu tales recipiuntur ac leguntur libri, quam ii, qui veros ſapientiae theſauros recludunt. De origine librorum Romanenſium nota ſunt, quae HVETIVS ſcripſit. Diſciplinis eos ac moribus officere, ſingulari euicit *Oratione* CAROLVS POREVS, edita *Pariſ. a. 1736. in 4.* et *a. 1748. Orationibus* eius *collectis* inſerta. Sed contrarium paullo ante oſtendere ſtuduit GORDON de PERCEL (ſub quo nomine Nicol. Lenglet du Fresnoy latere, indicat *Catal. Bibl. Bunauianae T. I. Vol. 1. p. 697.*) *en Traité de l'uſage des Romans, où l'on fait voir leur utilité et leurs differens caractéres, ibidem,* non Amſtaelodami, vt mentitur titulus, *1734. Tomis II. in 12.* Ambo Auctores facile inter ſe poſſunt conciliari. Antequam ad alia progrediamur, memorabimus adhuc, quomodo celeberrimus Tubingenſium Theologus, CHRISTOPH. MATTH. PFAFFIVS, in *Hiſtoria Theologiae litteraria, Tomo I. p. 6. edit. ſecundae* ſcriptorem, qui reſpondere lectorum exſpectationi cupiat, depinxerit. *Ad boni,* ait, *Scriptoris partes ſuſtinendas requiritur eruditio, lectio, iudicium, veri amor ſummus, animus a partium ſtudio alieniſſimus, modeſtia, virtus, perſpicuitas, ſoliditas, elegantia, atque in eligendo ſcriptionis argumento circumſpectio, inque tractando eodem diligentia ſumma et ſcientia excellens.* Merito hic etiam perſpicuitatem commendauit, egregiam animi dotem, quam tamen negligunt multi, vel conſulto cogitateque, ne cuiuis ſtatim pateat ad argumenti intellectum

aditus: vel quod praecepta Logica parum adcurate perceperunt. De obſcuro ſcribendi genere, quo Iulius Paulus ſe a reliquis veteris Romae Iuriſperitis diſtinxit, notabilis eſt RAPHAELIS FVLGOSII locus ad *L. XVII. D. de inoffic. teſtam.* vbi haec ei verba exciderunt: *Si bene non intellexiſtis textum, eum legetis ter et quater, et ſonabit vobis; ſic enim eſt mos Pauli, et ſi haberem eum in manibus, eum per capillos interrogarem.* Paulloque poſt addit: *Iſte maledictus Paulus ita obſcure loquitur, vt vix poſſit intelligi.* Vid. CHRISTIANI THOMASII *Diſſ. de filio, ſub conditione, ſi ſe filium probauerit, herede inſtituto, Cap. I. §. 7.* De recentiori Pagenſtecheri exemplo euolui merentur *Acta Erud. Lat. a. 1738. p. 673. ſq.* Quid de libris poſtumis ſit ſentiendum, concinne expoſuit doctiſſimus HEVMANNVS in *Conſp. Reip. litt. Cap. VI. §. 40. p. m. 390. ſq.* Qui adhuc in incude iacentes, amiſerunt fabrum ſuum, non ita plerumque ſunt comparati, vt praeclara multa ex iis ſperanda ſint: ii vero, quibus vltimam Auctores manum impoſuerunt iuſti ordinis delectusque ſtudioſi, quemadmodum vſui eſſe vario ac multiplici queunt; ſic honeſto quoque ac laudabili conatu in conſpectum lucemque proferuntur, quod iure ante aliquot annos contigit MOLLERI *Cimbriae litteratae.*

§. XXI.

Duodecimum criterium libri ſuppeditat raritas. Non ſemper quidem argumentum praeſtantiae petere exinde licet, certumque eſt ſaepe, quod ex Clerico HEVMANNVS *l. c. Cap. VI. §. 11.* obſeruat, raros libros raro eſſe bonos, vt perſpicitur e. g. ex libris atheorum; illosque ob id ipſum fieri rariores, quia vulgares ſint ac minus erudite ſcripti, quod vel GVALTERI BVRLAEI *Hiſtoria philoſophica*, et LEONARDI COZZANDI libellus *de magiſterio antiquorum Philoſophorum* ſatis prodit; quis tamen negauerit, quaeſo, permul-

permultos exſiſtere etiam bonae notae libros, quos inſignis raritas plurimorum eruditorum oculis ſubduxit? Commoda hac occaſione de raritate librorum generatim praecipua dicemus, auctore in primis laudato, HEVMANNO *l. c. Cap. VI. §. 27.* vbi tres rariorum librorum claſſes conſtituit. Alii nimirum rari ſunt et impii; alii rari ſunt et nullius pretii, quod probauimus modo duobus exemplis; alii denique rari iuxta bonique ſunt. Diuerſae autem cauſſae hanc libris raritatem parant, quarum *prima* eſt, quod liber non nunquam argumentum tractat de priuato quodam facto, cuius notitiam habere exactiorem, perpaucorum intereſt, quo referri debent e. g. *les Factums*, ſiue Acta iudicialia, quae de certo caſu typis in Gallia imprimi ſolent, item ſcripta eruditorum polemica. *Altera* cauſſa eſt, ſi argumentum non niſi ab exiguo eruditorum grege et intelligitur, et amatur, cuius generis ſunt libri mere critici. *Tertia* eruitur ex paucitate exemplarium excuſorum. Sic perraro hodie occurrunt EHINGERI *Catalogus Bibliothecae Auguſtanae;* VALERII CHIMENTELLI *Marmor Piſanum*, ſiue de honore Biſellii liber, *Bononiae a. 1666. in 4.* editus, cuius quinquaginta ſaltim exempla prelo exiiſſe dicuntur, alioquin in *Tomo VII. Theſauri Graeuiani* recuſus; prima editio APICII CAELII *de arte Coquinaria*, *Londini a. 1705. in 8.* a Martino Liſtero curata, vid. *Supplem. ad Acta Erud. Lat. Tomo IV. p. 225;* IGNATII *Epiſtolae ſeptem genuinae*, *Oxonii 1708. in 8.* teſtibus *Actis Erud. a. 1713. pag. 399*; *Catalogus librorum rariſſimorum* ab artis typographicae inuentoribus, aliisque eius artis principibus, ante annum 1500. excuſorum, *Venetiis*, non adiecto anno, *in 8. plagulis quatuor*, cuius libelli viginti ac quinque prodiiſſe exemplaria, ſcribit AVG. BEYERVS in *Memoriis hiſtorico-criticis libr. rariorum, p. 262*; *Catalogus Bibliothecae Bozianae*, cuius poſſeſſorem, Bozium, *a. 1745. Pariſiis in 4.* duodecim

tantum

tantum exemplaria, inter amicos diſtribuenda, ſuis impenſis excudi iuſſiſſe, iam alibi adnotauimus. Ex hoc fonte raritas etiam emanauit olim *Annalium Ferdinandeorum*, a KHEVENHÜLLERO compoſitorum, de quibus GROSCHVFFIVS in *Praefat. Nouae libror. rarior. Collectioni* praemiſſa *p. 21. qui liber*, inquit, *cum olim imprimeretur, aliquem, ferunt, aſſediſſe cotidie operarum tabernis, et, ne quid plagularum vel furto ſubduceretur, aut complura, quam in mandatis erat, exempla transſcriberentur, ſedulo circumſpexiſſe: quibus abſolutis Viennam ad vnum omnia tranſlata, nec niſi potentioribus, qui in aula Regum et Principum verſantur, eſſe diſtributa: illas praeterea ſchedas, in officina reſiduas et forte iam proculcatas et lituris nimium deformes, in quibus correctoris, vt vocant, virgula cenſoria adparebat, immani, aiunt, pretio fuiſſe redemtas.* Add. *Acta Erudit. Germanica, Tomo II. pag. 185. ſq.* Famam aliqui aucupantur in eo, ſi ſcriptorum ſuorum non niſi pauca exemplaria verſentur in eruditorum manibus, credentes, maiorem iis auctoritatem conciliari raritate; ſed peruerſus hic eſt inclareſcendi modus, illis vſitatus, qui ſuam potius gloriam, quam commodum publicum curae cordique habent. Tunc enim certius eſt ex raritate criterium, vbi iuſta exemplarium multitudo diuulgata fuerit, et liber nihilominus haud facile inueniatur. Obiicitur haec vanitas Aegidio Menagio, qui Poematum ſuorum exemplaria nunquam ducenteſimum vel trecenteſimum ſuperare numerum voluit, vt eo ſaepius noua eorundem adornari editio poſſet, docente id STOLLIO in *Prooemio der Anleit. zur Hiſtorie der philoſoph. Gelahrheit*, *§. XIX. p. 10. edit. nouiſſ.* Aliam cauſſam, eamque *quartam*, perſpicimus in commerciorum defectu, ob quem libri, apud Hiſpanos typis impreſſi, noſtris in oris ſunt rariſſimi, quod etiam pertinet quodammodo ad Anglicos Suecicosque. *Quinta* raritatis cauſſa eſt, quum libri publico edicto ſuppri-

ſupprimuntur, vel aliis fortunae caſibus, exempli gratia incendio, maximam partem euaneſcunt. Sic rarus eſt admodum *Atlas Blaeuianus maior*, quoniam typographia Ioh. Blaeu, quinque myriadibus aeſtimata, anno 1671. Amſtaelodami cum plurimis exemplaribus, omnibusque tabulis aeneis, fuit combuſta. Cf. VOGTII *Catal. libr. rarior. p.57. edit. tertiae.* Simile fatum non exiguam abſumſit copiam *Lexici Heptaglotti Caſtelliani*, et *Criticorum Sacrorum Londinenſium*, (quod Opus vero deinceps recuſum eſt) in magno illo incendio Londinenſi anno 1666; *librorum mathematicorum*, ſumtibus ipſius Auctoris HEVELII, Conſulis Gedanenſis, editorum, quorum exemplaria fere omnia perierunt; *Theatri Genealogici Henningeſiani*, in notiſſimo illo Magdeburgenſi excidio a. 1631; caet. Magnifici Operis, *Bibliorum Regiorum Antwerpienſium*, exemplaria bene multa vndas iratas corrupiſſe, dum erant in Hiſpaniam deuehenda, iam a pluribus eſt obſeruatum. *Vitae Chriſtophori Bernhardi*, Epiſcopi Monaſterienſis, a IOH. ab ALPEN *a. 1694.* et *1703. Partibus II. in 8.* diuulgatae, quamquam tria exemplarium millia, aere Auctoris, prelo exierant, difficulter tamen vix vnum comparari nunc poteſt, plerisque, heredum negligentia, vel a muribus corroſis, vel ad vſus viliſſimos adhibitis, vti teſtantur *die Hamburg. freyen Vrtheile a. 1753. p. 516.* Situ et humore WOLFG. Comitis de BETHLEN *Hiſtoriarum Pannonico-Dacicarum libri X.* exoleuerunt praeter duo exemplaria, quorum vnum ſeruat hodie Bibliotheca Eliſabethana Vratislauienſis, quod alio loco indicauimus. Add. VOGTIVS *l. c. p. m. 83.* Librorum, iuſſu publico, vel in flammas iniectorum, vel alias prohibitorum ac ſuppreſſorum, ideoque rariorum, Indicem infra *Tomo II. cap. 9.* dabimus. Vid. interim SCHELHORNIVS *Amoen. litt. Tomo II. p. 341. ſq.* vbi primum ei ſermo eſt de IOHANNIS QVINTINI Comitis IOERGER de TOLLET et ZAGGING *Commentariis de rebus ſui temporis memo-*

memorabilibus, Vindobonae ſuppreſſis. Non nullorum eo proceſſit inſania, et illiberalis quaeſtus cupiditas, vt ipſi occaſionem obtulerint ad libros ſuos, Fiſco inferendos; quod omnes bonae mentis homines aeque, ac eorum pruritum, auerſantur, qui ſe ipſos refutarunt, quo in eruditorum ora venirent, librique, quos ediderant, hac ratione diuenditi fierent mox rariores. Cf. *Charlataneria Menckeniana p. 74. edit. Germ. a. 1727.* in nota *Vandoſalui*, ſeu Auctoris, Menckenii. In *editione Lucenſi a. 1726. in 12.* eadem leguntur *p. 65.* Cauſſa raritatis *ſexta* patet in libris, quorum exempla decurſu temporis bibliopola diſtraxit, non ſuccedente, ob ſumtuum magnitudinem metumque de paucitate emtorum, editione noua. Hoc modo pretioſus eſt FRANCISCI ZILETTI *Tractatus Tractatuum*, ſiue Oceanus vniuerſi Iuris, de quo Opere, *Venet. 1584. Vol XXVIII. inf.* excuſo, conſulas viri doctiſſimi, CAR. FERDIN. HOMMELII, *Notit. Auct. iuridic. Contin. III.* ac *IV.* Adiicienda his *ſeptima* raritatis cauſſa, quando nimirum libri ſumtibus vel Principum, vel Auctorum, prodeunt, quo fit, vt nec multa exſcribantur exempla, nec in plurium aliorum manus perueniant. Haud mirum igitur, quod Deductiones, vt vocari ſolent, in controuerſiis illuſtribus non vbique ſint obuiae. De Andrea Riuino haec diſſerit GROSCHVFFIVS in *Praef. citata p. 35: In more habuit, vt, quicquid ederet, ſuis ſumtibus fieri curaret, paucis tantum exemplis euulgatis. Poſt mortem viri huius eruditiſſimi nonnullae erant exemplorum relliquiae, ſed heredes, partim quod rei bonitatem ignorarent, partim quod ſupellectilis librariae pertaeſi eſſent, quicquid molis erat inconditae et confuſae inſtitoribus, ad merces bene inuoluendas, dederunt.* Pergit deinceps, interiectis quibusdam: *Ioh. Frid. Heckelii Opuſcula hac de cauſſa rariora habentur, quod ſuis ſumtibus pleraque emiſſa fuerint. Rarior eſt ipſius manipulus primus Epiſtolarum ſingularium, Plauiae Variſcorum a. 1695.* *exſcri-*

exſcriptus, qui in paucorum manibus verſatur. Inde deriuat pariter RICHARD. SIMONIVS in *Bibl. critique, T. II. cap. 18. p. 263.* raritatem *Bibliothecae eccleſiaſticae*, a CORN. SCHVLTINGIO *Coloniae anno 1599. Tomis IV. in f.* productae, quoniam Auctoris impenſis trecenta tantum exemplaria typis fuerint expreſſa. Plura videantur de hoc, quod pertractauimus, argumento apud IOH. CHRISTOPH. WENDLERVM in *Diſſert. de variis raritatis librorum impreſſorum cauſſis, Ienae 1711. in 4;* SCHELHORNIVM *Amoen. litt. Tomo II. p. 321. et Tomo V. p. 239. ſq;* IOH. IHRE in *Diſſ. biga de cauſſis raritatis librorum*, quarum *prior* generalis *Vpſal. a. 1741. altera* ſpecialis, ad libros Suecicos accommodata, *Holmiae 1743. in 4.* edita fuit, vtraque vero apud nos occurrit rariſſime; nec non DAVID. CLEMENT V. C. in *Praef. Tomi I. de la Biblioth. hiſtor. et critique des livres dificiles à trouver.* Faciunt huc etiam REIMMANNI *Obſeruationes duae de libris raris*, in *Obſeruat. ſelect. Halenſium Tomo X. p. 180. ſq.* laudata iam ſaepius HENR. AVGVSTINI GROSCHVFFII *Praefatio, Nouae librorum rarior. Collect. Halae 1709. in 8.* praefixa, quam tantopore commendat REIMMANNVS in *Catal. Bibl. ſuae p. 534.* vt eam non legendam, ſed ediſcendam plane putet iis, qui Bibliognoſiae amore ducuntur,*) et IOACH. ERN. BERGERI *Diatribe de libris rarioribus, horumque notis diagnoſticis, Berol. 1726.* et auctior *1729. in 4.* de qua tamen opella leuiori vid. REIMMANN. *l. c. pag. 102.*

§. XXII.

In medium nunc proferemus praecipuos Catalogos, quibus rariorum librorum notitiam debemus. Scripſerat REIMMANNVS in *Obſeruat. II. de libris raris, §. 1. p. 205,. illos ipſos perraros eſſe, qui de libris rarioribus ex inſtituto tractauerint, et vix vnquam fuiſſe adhuc*

*) In ipſa hac libr. rar. Collectione quid exhibeatur, docet *Catal. Bibl. Menckenianae, p. 114. edit. ſec.*

adhuc aliquem, qui hanc illustrem materiam sibi sumserit peculiari dissertatione elaborandam; et COLERVS in *Analectis ad Struuium optandum erat,* inquit, *vt tandem integra Collectio, vel Notitia saltim perfectior, librorum rariorum ederetur.* Sed hodie ager ille, sterilis olim, excultus est admodum, fereque molesti esse nobis ac nauseam excitare incipiunt eiusmodi labores; maxime quum testetur experientia, crambem decies coctam a non nullis proponi, vnumque saepe alterum strenue exscribere. Primus, quantum sciamus, data opera ad hoc argumentum accessit GEORG. SERPILIVS, a quo accepimus *ein Verzeichniß einiger raren Bücher, Frf. et Lips.* (seu *Ratisbonae* potius,) *a. 1723 in 8. Partibus III.* Non adiecit Auctor nomen suum, sed tantum sigla S.S. quae denotant haud dubie: *Serpilii, Superintendentis* voces. Hunc sequuti fuerunt: NICOL. HAYMIVS in *Notizia de'libri rari nella lingua Italiana, divisa in quattro Parti, Lond. 1726. 8. mai.* qui liber, magno rariorum scriptorum Italicorum repletus thesauro, auctior recusus est *Venetiis 1728. et 1741. in 4;* THEOPHILVS SINCERVS, i. e. Georg. Iac. Schwindelius, Sacerdos Norimbergensis, haud ita pridem exstinctus, qui varia diuulgauit, hic omnino memoranda, scilicet 1.) *Nachrichten von lauter alten und raren Büchern, Frf. et Lips.* siue Norimbergae *1731. et 1732. Part. VI. in 8. mai.* 2.) *Neue Sammlung von lauter alten und raren Büchern, ibid. 1733. et 1734. Part. VI. eadem forma,* 3.) *Bibliothecam historico-criticam librorum opusculorumque variorum et rariorum,* seu *Analecta litteraria von lauter alten und raren Büchern, ibid. 1736. in 8.* 4.) *Thesaurum Bibliothecalem, oder Versuch einer nach und nach vollständigen allgemeinen Bibliothec von allerhand alten und neuen auserlesenen Büchern* caet. *ibid. 1738. et 1739. in 4. Voluminibus IV.* quae complectuntur libros maxima ex parte raros,*) 5.) *Notitiam historico-criticam librorum veterum* rario-

*) In *Praefatione Volum. IV.* monet Auctor, quod REIMMANNVS

rariorum, oder neue Nachrichten von lauter alten und raren Büchern, ibid. 1747. sq. in 4. quae schedae, Auctoris aere excusae, quum tunc temporis non adeo multos nactae essent emtores, hoc ipso anno 1753. in tabernas venerunt librarias studio Ioh. Pauli Kraussii, bibliopolae Vindobonensis, cui traditae fuerant a vidua exemplarium reliquiae; IOH. LVDOLPH. BÜNEMANNVS in *Catalogo,* iam parum obuio, *MStorum membranaceorum et chartaceorum, item librorum, ab inuenta typographia vsque ad annum 1500. et inde vsque ad a. 1560. et vlterius impressorum, rarissimorum, Mindae 1732. 8. mai.* qui octo plagularum Catalogus cum ob pretia singulis libris adiecta, tum ob notas litterarias, valde est vtilis ad comparandam rariorum Operum notitiam; IOH. VOGTIVS, a quo *Catalogus historico-criticus librorum rariorum* primum *1732.* deinde *1738.* tum *1747* postremo *1753. Hamburgi in 8.* luci est expositus, et semper locupletior quidem, praeter editionem nouissimam; AVGVSTVS BEYERVS, cuius exstant *Memoriae historico-criticae librorum rariorum, Dresdae 1734. in 8;* Anonymi Angli in libro *the British Librarian* inscripto, Anglicorumque Operum et rarorum, et praestantissimorum, Catalogum exhibente cuius *Partes V.* vidimus quondam, a mense Ianuario vsque ad Iunium *anni 1738 Londini in 8 mai.* editas; DANIEL GERDESIVS in *Florilegio historico-critico librorum rariorum, historiam cum primis Reformationis ecclesiasticam illustrantium,* primum inserto *Miscellaneis Groninganis, Tomo II. Fasciculo 4.* et *Tomo III. Fasc. 1.* mox *Groningae 1740.* separatim, ac denique *ibidem 1747. in 8.* auctius et emendatius typis impresso, quo praetermissa a Vogtio supplere studuit doctissimus vir; *) SAM. ENGELIVS,

NVS in *Catal. Bibl. suae, Tomo II. p. 457.* et *p. 532.* falso suspicatus sit, Gustauum Ge. Zeltnerum, Theologum Altorfinum, conscripsisse Thesaurum Bibliothecalem, eundemque sub Theophili Sinceri nomine latere.

*) Quae *p. 173.* de annalibus Kheuenhüllerianis dicuntur, ea lo-

GELIVS, Reipublicae Bernensis Bibliothecarius primarius, in *Bibliotheca selectissima, siue Catalogo librorum in omni genere scientiarum rarissimorum, cum notis criticis perpetuis, Bernae 1743. in 8. mai.* cui accessit *Pars II. libros Germanicos ac Belgicos, quosdam etiam Latinos, continens*, ac *Spicilegium librorum rariorum, in ipso Catalogo omissorum, vel postea coemtorum*; *) FERDIN. STOSCHIVS, qui *Lingae a. 1747. in 8.* emisit *Appendiculam ad Dan. Gerdesii et Ioh. Vogtii illius Florilegium, et huius Catalogum librorum rariorum*; IOH. DANIEL IANOZKI, cuius *Indicem librorum rarorum Polonicorum in Bibliotheca Zaluſciana, Partibus II. in 8 mai. 1747. et 1749.* Germanico sermone excusum, iam *§. XIII. huius Capitis* adduximus; DAVID CLEMENT in *Bibliotheque curieuse historique et critique, ou Catalogue raisonné des livres dificiles à trouver, Hannovre 1750. sq. in 4. mai.* cuius Operis eximii, omnibusque aliis huius argumenti scriptis longe anteferendi, at pretiosissimi quoque in posterum, *Tomus V.* iam prelo est subiectus; **) FRID. GOTTHILF FREYTAGIVS, a quo profecta sunt *Analecta litteraria de libris rarioribus, Lips. 1750. in 8.* vna *cum Adparatu litterario vbi libri partim antiqui, partim rari, recensentur*, cuius *Tomus I. 1752. Tomus II. 1753 ibidem eademque forma* erupit; et IAC. GVIL. BLAVFVS, qui *Ienae in 8.* ante paucos diuulgauit menses *Vermischte Beyträge zur Erweiterung der Kentniß seltener und merckwürdiger Bücher.* De libris iuridicis, qui parum occurrunt, habemus *Nachricht von einigen auserlesenen, gröstentheils raren, alten und*

cum quidem habebunt, si ad editionem priorem respicias; alias vero *Lipsiae 1721. sq.* recusum hoc Opus exuit raritatem.

*) Totam hanc Bibliothecam a. 1744. illatam fuisse splendidissimae Bunauianae, supra *Cap. IV.* memorauimus.

**) In *Praefatione Tom. I.* de caussis raritatis librorum egisse Auctorem doctissimum, *§. superiori* dictum est. Iam addimus, in principio *Catalogi Vogtiani* exstare etiam *Axiomata historico-critica de raritate librorum*, Engelii obseruationibus haud contemnendis adaucta.

und neuen juristischen Büchern Ienae 1725. in 8 Partibus duabus. Sed pauci in hoc Opusculo, cuius auctor est GOTTLIEB SLEVOGTIVS, vt in nouissima *Bibliothecae iuridicae Struuio-Buderianae* editione *p. 4.* legimus, libri inueniuntur, qui omnino referri ad rariores debent, quamquam alias viri, rei litterariae periti, labor sua non est laude priuandus. *Librorum* vero *rariorum physico-medicorum*, *Specimen historico-criticum Helmstadii a. 1751. in 4.* protulit FRIDER. BOERNERVS. Nec desunt, qui in diuersis Diariis ac scriptis rariorum librorum Indices quosdam dederunt, quo pertinent THEODORVS CRVSIVS in *der Vergnügung müßiger Stunden, Lipſ. 1713. ſq. in 8. Parte XV. obſeruat. 1. p. 185. ſq;* IOH. CHRISTIAN. KOCHIVS in eius *Obſeruationibus Miſcellaneis, Parte XX. p. 668. ſq;* REIMMANNVS in *Commentat. de libris genealogicis vulgatioribus et rarioribus, Lipſ. 1710. 8. Sectione II;* SCHELHORNIVS *Amoenit. hiſtor. eccleſ. et litter. Tomo I. artic. 17. pag. 777. ſq.* quo loco *notitiae librorum quorundam rariorum Decas I.* exhibetur; Anonymus quidam Stadensis in *den Hamburg. freyen Vrtheilen anni 1747 num.* LXXIV *vsque ad num.* LXXVII. *p. 588 ſq.* vbi VOGTII *Catalogus* suppletur; Ipse doctissimus VOGTIVS, sub nomine Iani Librarii, in *dem Brem- und Verdischen freywilligen Hebopfer, Stadae 1751. in 8. Parte I. num. 4.* et *Parte V. num. 9.* quae binae Obseruationes *duas librorum rariorum Decades* continent; ac tandem V. C. SIGISM. IAC. BAVMGARTEN, qui multa de libris rarioribus passim inseruit in *den Nachrichten von einer Hällischen Bibliothec*, quod iucundissimum Diarium cum Volumine octauo ac Parte 48. finitum nuper, continuatum est *a. 1752.* titulo hoc nouo: *Nachrichten von merckwürdigen Büchern.* Singulares librorum non nullorum rariorum recensiones, a viris eruditis conscriptas, suppeditat *Catalogus Bibliothecae Bunauianae, Tomo I. Vol. 1. p. 505. ſq.* Integras autem librorum rariorum Collectiones susceperunt

THOMAS CRENIVS in *Fasciculis* IX. *Dissertationum historico-critico-philologicarum*, *Roterodami 1691. sq. 8.* in *Operibus* suis *de Philologia*, *L. B. 1696.* ac *de eruditione comparanda, ibid. 1699. in 4.* in *Museo philologico, ibid. 1699 8.* in *Analectis philologico-critico-historicis*, *Amstael. eod. anno 8.* in *Thesauro librorum philologicorum et historicorum, L. B. 1700. in 8*; IOH. GE. GRAEVIVS in *Syntagmate variar. Dissert. rariorum, Vltraiecti 1701. 4*; GROSCHVFFIVS in memorata supra *librorum rariorum Collectione*; Auctor huius Operis, STRVVIVS, in *Bibliotheca librorum rariorum*, *Ienae 1719. 4. Partibus II.* quae Dissertationes Ioh. Strauchii de Hostenditiis, Paul. Mart. Sagittarii de locis sepulcralibus Familiae Wittikindeae, Schubarti de C. Iulio Caesare, Fabrotti de vita et honestate Clericorum caet. complectuntur; HENR. CAROL. van BYLER in *Libellorum rariorum Fasc. I. Groningae 1733. 8.* aliique multi, quos commemorare longum foret. Cf. HEVMANNI *Consp. Reip. litt. Cap. VI. §. 28. p. m. 364. sq.* Excerpta e libris rarissimis Guil. Ern. Tentzelius inter schedas suas manuscriptas reliquit: quae nunc in Bibliotheca Ducali Gothana seruantur. Optandum est adhuc, vt vir quidam probe in litterarum studiis exercitatus selecta, neque obuia alibi, ex eiusmodi libris, quos non nisi paucissimis videre contigit, vel adcuratum saltim praecipuarum materiarum, in iisdem pertractatarum, Indicem generalem ad perpetuum aliorum vsum luci exponat, quemadmodum singularem fecerunt e. g. RICH. SIMONIVS in *Bibliotheca critica*, *Amstael. 1708. et 1710. Tomis IV. in 8.* Gallice edita, ex variis libris rarioribus, et NICOL. ERNEST. ZOBELIVS ex Indice expurgatorio Brasichellano, *Altorfii 1745. in 8. pag. 41. sq.* In IOH. CHRISTOPH. COLERI *Anthologia* etiam et libri recensentur perraro occurrentes, et potiora inde argumenta cum lectoribus communicantur.

§. XXII.

§. XXII. b *)

Hactenus de signis, ex quibus interior librorum conditio intelligi queat. Sigillatim CAROL. FRID. BVDDEVS *de criteriis boni libri Dissertatione* Academica egit eleganter *Lips. a. 1714.* in qua, vt ipsi supra non repugnauimus, dubia saepe talia esse criteria monet primum, deinceps meliora de libris diiudicandis proponit, ab eoque, qui recte id exsequi cupiat, naturalem iudicandi vim ac facultatem, artem bene interpretandi, cognitionem principiorum in ea disciplina, ex qua libri caput petitum, voluntatemque ab omnibus prauis propensionibus liberam requirit. Eadem, quae attulimus, criteria sub examen vocauit, nec vllum eorum exceptione maius esse, praeclaris docuit exemplis, sed, Buddeo illorum adprobationem adfingens, aliquid simul humani passus est CAROL. STEPH. IORDAN in libello, quem *Recueil de Litterature, de Philosophie, et d'Histoire* inscriptum edidit, haud adiecto nomine suo, *Amstael. anno 1730. in 12.* Latine reddidit epistolicam hanc Iordani Dissertationem IOH. PETR. ANCHERSEN, Professor Hafniensis, in *Collectis de criteriis boni libri, Hafniae 1746. 8.* vbi *Particula I.* eandem complectitur. In *Partic. II.* vero *a pag. 29.* vsque *ad p. 47.* cum Buddeo iuxta Iordanoque, tum cum hoc solo, Auctori res est. Tandem in *Particula III.* praecipue simplicitatem, contendit, vnicum atque certissimum boni libri criterium dici debere, eamque naturalem esse, veram, perspicuam, propriam, nouam et breuem rei, quae tractatur, explicationem, vel descriptionem. Vberius haec omnia illustrat, partim in hac *Dissertatione* III, partim in *binis Orationibus*, libello suo insertis, doctissimus Ancherfenius. Add.

*) In Summa dicendorum, huic praemissa Capiti, culpa mea non indicatum fuit, quod nunc in hoc §pho est commemorandum. Neque licet corrigere errorem, quum schedae illae iam sint excusae. Qua de caussa, ne ordo turbaretur pristinus, ex §pho XXII. duo erant faciendi, quorum posteriorem distinxi a priori, *littera b*)

reuerendus WALCHIVS in *Historia critica Lat. linguae, Cap. VII. §. 7. p. 465 sq. edit. nouae*, quo loco criteria, de quibus antea copiose diximus, vel probabilia tantum, vel plane incerta esse, itidem pronunciat, non nullis eorum intentiori cura examinatis. Ad manus non est IAC. STAALKOPFFII *Praef. von den Eigenschaften und Kennzeichen eines guten Buchs*, praefixa *Parti I. der Schmolkischen Trost- und Trauer-Schriften, Stralsund 1730. in 8.* vti testatur *Catalogus Bibl. Bunauianae, Tom. I. Vol. I. p. 474*; ideoque inquirere non licet, noui aliquid protulerit Auctor, nec ne. Inter Scriptores autem, qui data opera de libris diiudicandis differunt, adire quis poterit IOH. CLERICI *Artem criticam*, quae *Amstael. 1696.* primum prodiit *Volum. II. in 8.* postea *Londini 1697. Amstael. 1699.* adiuncto *Vol. III.* item *1712 et 1730. eadem forma* recusa. Lipsiensibus typis *a. 1713.* hoc Opus impressum est, in quo potissimum traditur, qua ratione veri Scriptores a spuriis et suppositiis sint discernendi, librique eorum iuste ac subtiliter aestimandi. Elegantissimae sunt THOMAE BARTHOLINI *de libris legendis Dissertationes VII. Hafniae a. 1676.* et cum IOH. GE. MEVSCHENII *Praefat. de vana librorum pompa, Hagae Com. 1711. in 8.* Ostenditur hic non solum, quomodo de libris iudicandum, sed et quid obseruandum sit in legendis iisdem. Leuissima est e contrario IOH. FRID. HODANNI *Differt.* paucis pagellis constans, *de libris legendis*, *Hanouerae 1705. in 8.* Simili modo parum vtilem STRVVIVS credidit FRANCISCI SACCHINI libellum *de ratione libros cum profectu legendi*; sed mitiori sententia dignus est, iamque MORHOFIVS *Polyh. T. I. lib. 3. cap. 1. § 4.* et GROSCHVFFIVS eum laudarunt in *Noua librorum rarior. Collectione, Fasc. I. p. 136* vbi praecipua inde argumenta commemorantur. Falsum est igitur, illum ibidem integrum reperiri, vt COLERVS adserit in *Analectis suis*, et *Lexicon Eruditorum Menckenio-Ioecherianum* v. Sacchini, *p. 12. edit. nouiss.* Saepius hoc ipsum Opuscu-

Opuſculum excuſum eſt, ſcilicet primum *Herbipoli a. 1614. in 12.* poſt *Ingolſtadii eod. anno*, *Herbipoli* iterum *1639* et *Romae 1650. eadem forma.* Hoc ſaeculo *Lipſiae* editum *a. 1711.* et *1738. in 8.* Cf. de eo CRVSII *Vergnügung müſſiger Stunden, Parte IV. p. 74.* Addi commode poſſunt ADRIANI BAILLET *Jugemens des Savans ſur les principaux Ouvrages des Auteurs*, cuius Operis *Tomus I.* explicat cum primis, quam neceſſaria et vtilis ſit libertas aliorum labores diiudicandi litterarios, quomodo cauendum a vitiis eruditorum variis, quae in iudiciis ferendis oriri ſolent, item a praeconceptis opinionibus, perturbantibus facile, et ab intentione auferentibus, animum lectoris. Sed de hoc aeque libro, ac de CLAVDII VERDERII *Cenſione Auctorum*, IAC. BOILEAV *Colloquio critico*, et HENRICI STEPHANI *Originibus mendorum*, quos Scriptores STRVVIVS hic loci in ſcenam produxit, infra *Tomo II. cap. VIII.* conuenientiſſimum erit, plura expromere.

§. XXIII.

In ipſis Bibliothecis frequentandis haec porro ſunt reſpicienda, vt, ſi fieri poterit, horis potius continuis, quam interruptis, iisdem vtamur. Habent enim Bibliothecae praeclare inſtructae ampliſſimos ſapientiae theſauros, quos, reconditos ſaepenumero, non niſi adcurata diligentia, et conſtanti peruestigatione, comparare, inque ſuccum quaſi ac ſanguinem conuertere licet. Male ſibi conſulunt plerumque, qui eo tantum animo ad Bibliothecas illuſtres accedunt, vt incertis et errantibus oculis multos intueantur libros, atque notionibus obſcuris et non ſufficientibus memoriam impleant, omni meditatione, ſtudioque eas in ordinem redigendi plane neglecto. Homines eiusmodi LOCKIVS, acutiſſimi vir ingenii, cum iis contulit, qui equis citatis in prouinciam quandam peruolant, ac varia in hoc tranſitu maxima celeritate luſtrant, at nulla re ad cogitationes ſtabiles fixasque deducuntur. Cf. MAICHELIVS *de Biblioth. Pariſ. Parte II. cap. 1. p. 110. ſq.* Fieri hoc in libris poſſe, quorum lectio nec multum temporis, nec ſolertiae, requirit, haud aegre con-

cedimus: verum vbi plura occurrunt maioris momenti difficultatisque, quam vt eorum intelligentiam breuissimo interuallo animus comprehendat, ipsi officiunt sibi atque commodis suis obstant, qui ex eruditionis fontibus, vt canis e Nilo, bibunt. Optimum erit consilium, si duo vel tres, qui iisdem studiis sunt addicti, eosdemque in his progressus fecerunt, inita quasi societate, communiter excutiant Bibliothecas, iusteque inter se operas partiantur, ita quidem, vt vnusquisque certam librorum partem sumat, modoque, iam §. *II. huius Capitis* proposito, legat et praecipua exinde, more illorum, qui aliquid in cellam penuariam important, futuros ad vsus enotet. Singulis deinceps hebdomadis suas ii conferre symbolas, et, quae obseruarint passim, secum inuicem communicare possent. Patet ex his, quoniam non omnia, quae legimus, in memoria haerent, excerpendi artem rei librariae studiosis de meliori esse commendandam. Iam eam vsitatam fuisse apud veteres, vel solum probat exemplum Plinii, maioris, de quo summo viro PLINIVS, iunior, *Lib. III. epist. 5.* sic loquitur: *Liber legebatur: adnotabat excerpebatque. Nihil enim legit, quod non excerperet.*

§ XXIV.

Qua autem ratione Excerpta, vt vulgo dicuntur, conficienda sint, varie disputatur ab eruditis. Nimis festinauit hic STRVVIVS. Ita enim: *Excerpta nobis ad manus sint vel litteraria, vel, si ea non commode nobiscum ferre liceat, praeter ea quoque liber quotidianus, in quem scribamus sine ordine, quaecunque nobis obueniunt notatu digna, ita tamen, vt excerpta cuiuslibet libri separatim exstent, neque intermisceantur excerpta ex aliis desumta. Haec domi sub suis quaeque classibus, prout libros in Bibliothecis nostris selectis disponere docemus, iuste notemus, librum tamen quotidianum, cum saepe excerpti cuiusdam in Bibliotheca facti reminiscamur, aeque seruantes.* Multum profecto temporis periret, bisque scribendum idem esset ei, qui talem ad regulam excerpendi accommodare negotium vellet. Interim id ipsum suadet quoque SACCHINVS in *libello laudato, Cap. XIII.* cuius haec est sententia. *Ratio,* inquit, *mihi illa irridet prae caeteris,* quae

quae tametſi aliquantum habeat negotii, plurimum tamen habet emolumenti, et plurimum, vbi confeceris, afferet voluptatis. Primum, vt quaeque eo, quo legis, ordine eximas: deinde vt in ſuum quaeque locum digeras. Itaque duos minimum libros conficias, velim, alterum, in quo, vt quidque lectio ſubminiſtrat, exſcribas nullo alio, niſi lectionis ordine: alterum in capita et quosdam communes diſtinctum locos, in quos ea ipſa, quae aceruatim in priore ſunt exemta volumine, digerantur. - - Priorem librum confici volo, in quem continenter, vt occurrunt, quae ex quopiam opere ſeliguntur, notentur; quia magna eſt oblectatio atque adeo opportunitas, ſi vno quaſi contuitu, quae in vno quopiam libro ſunt egregia, recognoſcas. Id autem fieri non poterit, ſi in ordinem non lectionis, ſed rerum, excerpta diſpenſes. Sparſa enim erunt in plurima capita, quae magnum inſulſumque negotium ſit, ſingula perſcrutari. Deinde ille contuitus, quo conſequenter excerpta recognoſcuntur, operis totius memoriam refricat. Praeterea multa offeruntur legenti egregia, quae certum in caput nullo modo, aut aegre, poſſis referre, quae tamen in aduerſariis nullo labore conſignabuntur, nec magno opere, cum voluntas feret, inuenientur. - - Superabit fructus laborem, qui tamen leuari etiam poteſt amanuenſis auxilio. Nam in aduerſariis latus margo relinquitur, et vel nota affigitur, vel vox ſcribitur, index capitis, ad quod quidque transferri poteſt: tum traditur transferendum amanuenſi, magno laboris temporisque compendio. MORHOFIVS in *Polyh. Tomo I. lib. 3. cap. 1.* quod totum agit de excerpendi ratione, poſtquam eleganter ſcripſerat: *Vt, qui domum exſtructurus eſt, lignis et lapidibus opus habet: ita, qui egregium aliquid in quocunque doctrinae conatur, ſiluam prius congerere debet, ad opus ſuum idoneam,* varios de hoc argumento Auctores nominat, quid ipſi videatur de methodo eorum, ſubiungens. Primum attingit IEREMIAE DREXELII *Aurifodinam Artium et Scientiarum omnium,* in cuius *Parte I.* Excerptorum neceſſitas, in *Parte II.* Excerptorum methodus, in *Parte III.* Excerptorum diuerſus vſus oſtenditur, inſtituto inter Eulogium et Fauſtinum colloquio. Huius autem viri conſilia non

 paucos

paucos improbasse monet, ob multitudinem eorum et distractionem. Laudat praecipue VINC. PLACCII *de arte excerpendi* librum singularem, *Hamb. 1689. in 8.* editum, quo ille summa diligentia omnes huius generis Scriptores, omnes excerpendi formas et modos, singulorumque commoda, incommoda, et praecepta recensuerit; multa de excerpendi ratione per Lemmata ac Schedas, de Excerptis methodicis, alphabeticis, Commentariis, Aduersariis, caet. dixerit; *Sectione* etiam *decima* exposuerit singulare cuiusdam Anonymi *Scrinii litterati* inuentum, a se multis modis emendatum, cuius ope quam commodissime colligi cuiusque generis Excerpta queant. Neque tamen viam a Sacchino indicatam spernit Morhofius, qui tandem *dicti libri Cap. XIII. p. 703. sq. edit. nouiss.* lectu digna proponit de *Excerptis ad disciplinas et Facultates pertinentibus.* Qui excerpendi modus placeat illustri Academiae Tubingensis Cancellario, CHRISTOPH. MATTH. PFAFFIO, ipse memorat in *Introd. in Histor. Theologiae litterar. Tomo I. p. 19. edit. secundae*, vbi sequentia: *Sunt, qui scrinium litteratum sibi conficiant, quale Anonymus apud Vinc. Placcium de arte excerpendi delineauit, quale et apud virum celeberrimum, Rosinum Lentilium, Serenissimi Wirtembergiae Ducis hodie Archiatrum praestantissimum, vidimus; sunt, qui libris, quos possident, excerpta sua et collectanea ita inserant, vt, vbi praecipuum quendam Scriptorem habent, qui argumentum quoddam tractauit, ea, quae hanc in rem alibi legunt, huic libro passim adscribant, quae methodus doctissimo viro, Ioh. Alberto Fabricio, familiaris est, quam vero is demum imitatus fuerit, qui eodem eruditionis et librorum adparatu floruerit, librosque sic ornare potius, quam maculare, aptus sit; sunt et, qui collectanea diuersi generis diuersorum librorum (qui in hac vel illa Theologiae parte fundamenti loco sunt,) paginis correspondentia adornent, id quod haud reiiciendum est; alii, vbi librum excerptorum conficiunt, titulos iuxta ordinem Alphabeti, vel rerum, componunt, chartaeque inscribunt, quae methodus ea propter nobis haud arridet, quod ita mox varii tituli vacui, et paucissimis saltim obseruationibus superbientes, relinquuntur, mox vero obseruationibus ita cumulantur, vt spatium huic vel illi titulo datum eidem haud sufficiat;*

denique

denique sunt et, qui pro re nata, prouti aliquid in lectione obuium fit, titulos (qui tamen cum iudicio inueniendi atque ita disponendi sunt, ne confusio oriatur, et ne continuo omnia fluxu scribantur,) forment, et, quae legunt, mox adiiciant, deinde vero, vt euoluere ista possint, omnia in indicem referant, iuxta quem paginas, numeris vbique notatas, inuestigare possint. Et haec via nobis commodissima visa est. Mentionem iniecit celeberrimus Pfaffius methodi excerpendi, a Fabricio adhibitae, qua de re plura adfert gener eius, omni doctrina liberali ornatissimus, HERM. SAMVEL REIMARVS, in *Vita Fabriciana, Cap. I. §. 19. p. 45. sq.* Ipsi habemus librorum non nihil, quibus manus Fabricii vtilissimas obseruationes litterarias adscripsit. Prostant alii etiam, qui singularibus scriptionibus excerpendi docere artificium studuerunt. Pertinent huc IOH. PETRVS TITIVS, cuius *Manuductio ad excerpendum Gedani* primum *a. 1660. in 12.* tum *1682. in 8.* edita, sed, quantum adhuc memoria teneo, Latinae linguae potissimum rationem habet; CASP. SAGITTARIVS in *Commentariolo* postumo, *quo modus excerpendi omnium ordinum studiosis summa cum cura monstrantur, Helmst. 1703. in 8;* IOH. BENED. MEZLERVS in *der rechten Kunst zu excerpiren, Lips. 1702. in 4;* IOH. FRIDERIC. HODANNVS in *Adminiculis Sapientiae atque Eloquentiae, Hanouerae 1713 in 8.* de quo libello vid. *Acta Erud. Lat. a. 1714. p. 342. sq;* itemque IOH FRID. BERTRAMVS in *Discours von der Klugheit zu excerpiren, Brunsuigae 1727. in 8.* qui varia congessit non sane reiicienda. De aliis quibusdam Scriptoribus cf. *Catal. Bibl. Bunauianae, Tom. I. Vol. 2 p. 1763.* Si dicendum, quod res est, tot excerpendi methodi, talem non adferunt semper vsum, qualem sibi plurimi promittunt. Recte omnino HEINECCIVS in *Fundam. stili cultioris, Parte III. cap. 1. §. 13. p. m. 347. mihi,* inquit, *ea demum excerpendi ratio videtur optima, quae et omnium minime laboriosa, et tamen ad rem quamlibet reperiendam expeditissima est.* Sed quaenam ratio expeditissima? Suo cuiusque arbitrio ingenioque id relinquendum; siue hoc, siue illo pacto Excerpta conficias, idem erit: dummodo ea ita sint comparata, vt, quibus opus est tibi, statim, sine molestia, inuenire possis. Neque tamen res vulgares inutilesue in Commentarios

sunt

ſunt referendae, quod per ludibrium homini nullius iudicii exprobrat GELLIVS *Noct. Attic. lib. XIV. cap. 6.* Cauendum quoque ſedulo, ne Excerptis nimium tribuamus, omnemque in his latere ſapientiam arbitremur. Ridetur merito DREXELIVS *l. c. Parte I. cap. 8. p. m. 66. edit. Antwerp. a. 1641. in forma minori* iuſto glorioſius de ſchedis ſuis praedicans, cuius age! verba audiamus: *Mea ego Excerpta nullo pretio vendiderim. Iſocrates orationem vnicam talentis viginti, ſeu duodecim millibus Philippeorum vendidit. Da alterum tantum, nil Excerptorum vendo. Da auri et gemmarum, quantum vel auariſſimus optare poteſt, da vel montes aureos, ego meas tibi chartas non vendo. Auge pretium, et neſcio quos fauores adde, non vendo. Summos honores, orbis imperium ſponde, non vendo. Coelum pollicere, Chriſtum licitatorem appone: iam vendo. Huic mea omnia ſacraui; hunc admitto emtorem; caeteris omnibus excluſiſſimis.* Quid, quaeſo, Chriſtus cum Drexelii Excerptis? Danda eſt ellebori multo pars maxima homini inepto.

§. XXV.

In peregrinatione, vbi nobis aditus conceditur ad Bibliothecam quandam, doctrinae copiis inſignem, praeter ea, quae iam ſupra §. *II.* dicta ſunt, attentius perluſtremus Codices MStos, eosque ſecundum aetatem, ornatum, compacturam, aliasque regulas adcurate examinemus, ſingula, cum ipſis illorum argumentis, eo diligentius adnotantes, quo rarius eiusmodi Bibliothecarum cimelia alibi conſpiciuntur. Sunt autem vetuſtatis inquirendae ac dignoſcendae ſigna varia, quorum praecipua deſumuntur ex litteris atque characteribus, ex ſpiritibus et accentibus, ſi Graece ſcripti ſint Codices, ex materia, in qua illi exarati, ex interpunctionibus ſcripturaeque compendiis. Sic litterae vnciales, quadratae ac rotundae, ſine controuerſia, ſummae vetuſtatis argumentum praebent, maxime ſi Graecae accentibus et ſpiritibus deſtituantur, ſaeculo circiter poſt Chriſtum natum ſeptimo introductis. Gothicae litterae ſaeculo V. inualuerunt, quibus medio ſaeculo VI. ſucceſſerunt Langobardicae. Quod ad materiam attinet, in qua Codex aliquis ſcriptus eſt, conſtat inter omnes, antiquiores libros ſemper in membranis exhiberi;

chartae

chartae enim, quae ex reliquiis linteorum contritis conficitur, vſus recentior eſt. Diſtinguendi modos, quum veteres ignorauerint prope, extremae notam antiquitatis ii habent Codices, in quibus nec vocum, nec periodorum, diſtinctiones exſtant, ſed ſubinde ad finem periodi vnius duarumue litterarum ſpatium relictum eſt, quo referri omnino debent Pandectae Florentinae. In vetuſtiſſimis porro Codicibus Diphthongi *ae* et *oe* raro ſunt in vnum contractae, ſed ſeparatis plerumque litteris ſcriptae adparent. Scripturae compendia, vulgo Abbreuiaturas, vbi multa continet Codex aliquis, non temere inde colligitur, eum haud eſſe ſaeculis ſex maiorem. Quamquam enim et veteres notis ac ſiglis vſi fuerunt, qua de re data opera egit IOH. NICOLAI in Tractatu egregio *de Siglis veterum, L.B.a.1703. in 4.* excuſo: hodieque ſuperſunt Codices, notis eiusmodi referti; medii tamen aeui Abbreuiaturas ab illis eſſe diuerſas, lectuque difficillimas ſaepenumero, ita quidem, vt ab iis male intellectis varii errores, iique grauiſſimi, tam in hiſtoriam, quam in rem diplomaticam, profluxerint, iam pridem oſtenderunt viri his in ſtudiis exercitatiſſimi. Calligraphia quoque de Codicum aetate teſtatur, dummodo litterae ſint obtuſae, characteres detriti, et maiores litterae, quae initio textus, vel periodorum, occurrunt, Langobardicae. Saeculi ſane X. XI. ac XII. ſcripturam eſſe perelegantem, probat experientia: ſub finem e contrario ſaeculi XIII. priſtina diſparuit litterarum forma, locoque nitidae ac diſtinctae ſcripturae, tenues, deformes, minusque legibiles litterae introductae ſunt. Maiorem adhuc ſaeculo XIV. miſeriam produnt Codices, potiſſimum vulgares, quandoquidem, diſciplinis ſcholaſticis, nugisque puerilibus in medium productis, libri pariter deteſtabili charactere foedari coeperunt. Euanuit nimirum tunc temporis antiqui atramenti decor, pro quo pallidus et ſubflauus aliquando color in Codicibus compluribus oculos fatigat. Ingens praeterea litterarum ſibi connexarum, inuolutarumque chaos, quod obſcurae ſine numero Abbreuiaturae horrendum in modum augent. Remanſit haecce ſcripturae barbaries in ſaeculi XV. principio, vbi Codices eadem ruditate, eadem confuſione laborant, donec reſtituto, ſub medium iſtius aeui, diſcipli-

nis ſplendore arti etiam ſcriptoriae neglecta diu elegantia redderetur. Litterae enim plerumque ſunt acutae, firmiori manu ſcriptae et ad amuſſim quaſi factae: lineae aequaliter diſtantes et patentes: ſingula ad nitorem compoſita. Ornatus horum Codicum in variegatis conſiſtit coloribus, auro diſtinctis, quos miro artificio miſcere poterant librarii, atque hac ratione vel initium libri, vel paginas priores, litterasque initiales, exornabant. Differebat talis ornatus ab alio vetuſtorum Codicum. Nam in his aurum et colores ſunt craſſiores, ars nulla: in recentioribus vero aurum magis tenue, colores non minus, ac ars ipſa, inſignes. Nec praetermittenda eſt compactura. Antiquiſſimos quidem Codices ſolis filis colligatos videmus, rarius certo inuolucro incluſos, niſi quod Sacri Codices holoſerico, rubro praeſertim, ſint obducti. Vſu erat receptum ſimul, vt in his externa ligaturae pars figuris Seruatoris, Mariae, virginis, Apoſtolorum caet. ex auro, et ebore, confectis, vel coloribus pictis, magnificum oculis ſpectaculum praeberet. Saeculo XII. ac XIII. ligneis tabulis coeperunt membranae tegi, et, ne illae corrumperentur facile, in medio angulisque cuiusque lateris bullae adnecti ex orichalco, quae compacturam conſeruarent. Viguit haecce conſuetudo vsque ad ſaeculum XIV. medium circiter, quo tempore tabulae ligneae corio ſiue fuſco, ſiue rubro, ſunt conueſtitae, donec tandem ligatura ex corio ſuillo ſuccederet. Addendum aliquid de forma Codicum, quorum antiquiores quartae plerumque quadratae ſunt, vt patet ex deſcriptione Virgilii Medicei, Dioſcoridis ac Liuii Vindobonenſis, aliorumque Codicum, qui in Bibliothecis Cathedrali Herbipolitana et Fuldenſi reperiuntur. Quosdam tamen et oblongos eſſe, negari nequit. Plura hac de re haurienda ex STRVVII *Schediaſmate de Criteriis MStorum*, quod *Faſciculo I. Actorum litterariorum, ex MStis erutorum, Ienae 1713. in 8.* praemiſſum, et nunc in BARINGII *Claui diplomatica p. 77. ſq.* recuſum eſt; ex MAICHELIO *de Bibl. Pariſ. Parte II. cap. 2* §. *37. p. 163. ſq*; ex praeſtantiſſimi *Chronici Gottwicenſis Tomo I*; et ex laudato viri docti, DANIEL. EBERH. BARINGII, libro, qui *Hanouerae a.* 1737. *in 4. mai.* prodiit. Ingenue fateor, ex his fontibus irrigaſſe me hortulos meos. Praeclare etiam ad cognoſcenda MSta faciunt IOH.

MABIL-

MABILLONIVS in *Opere* pretioſo *de re diplomatica*, cuius editio, non nihil auctior, *Pariſ. a. 1709. inf.* exhibita eſt, BERNH. a MONTFAVCON in *Palaeographia Graeca, ibid. 1708. eadem forma*, itemque DAV. CASLEY in *Catalogo MStorum Biblioth. Regiae Londinenſis, Londini a. 1734.* lingua Anglica *in 4.* diuulgato, vbi diuerſam oſtendit ſcribendi rationem, quae in Codicibus manu exaratis a ſaeculo tertio vsque ad decimum ac quintum obtinuit. De MABILLONII Opere vid. *der Neue Bücher-Saal, Parte I. p. 1. ſq.* et *Acta Erud. Lat. a. 1710. p. 273. ſq.* de MONTFAVCONII Palaeographia idem Diarium *Supplementor. Tomo IV. Sect. 9. p. 374.* et IOH. BURCH. MENCKENIVS in *Differt.* eius *litterariis, Diſſ. IV. p. 31. ſq* de CASLEII autem Catalogo *Acta Erud. Lat. 1737. p. 296. ſq.* Bellorum diplomaticorum hiſtoriam ſi quis legere voluerit, ei ſatisfacient partim IOH. PETR. a LVDEWIG in *Praefatione, Tomo I. Reliquiarum MStorum* praefixa, quam CASP. BERETTI auctiorem Italica lingua recudendam curauit *Mediolani a. 1729. in 4.* teſte *Catal. Bibl. Bunauianae, Tomo I. Vol. 1. p. 682.* partim IOH. GODOFR. a MEIERN in *Prolegomenis*, quae *Tomum III. Actorum Pacis Weſtphalicae* ornant. Haec de MStis dicta ſunto. Luſtratis vero iisdem, pergamus ad reliquos Bibliothecae theſauros, nummos nimirum, Antiquitatis monumenta, et alia rariora, in quibus haereamus diutius, praecipua in pugillares, qui ſemper ad manus eſſe debent, referentes, ſi ea notatu quaedam digna complectantur. Per plures dies hebdomadasue in loco celebri agentes Bibliothecarum, ibidem obuiarum, vſum nunquam negligant, propterea, quod non tantum noua obſeruantur ſemper, antea haud viſa, ſed etiam occaſio eſt, eruditos varios, qui confluunt ad eiusmodi doctrinae diuerſoria, noſcendi propius, cum iisque ſermones habendi litterarios. Inter prima itidem commoda reponendum, ſi quis Bibliothecam peregrinam comite viro quodam docto, qui adcurata pollet rei litterariae notitia, adire poſſit. Hic enim Bibliothecae arcana, ipſis non nunquam earum cuſtodibus ignota, melius in lucem conſpectumque producet. Quodſi vero praefectus talis ſit, qualis eſſe debet, non ſine nouis eruditionis acceſſionibus dimittet Bibliothecarum ſtudioſum. Caeterum quod ad ipſam peregri-

nandi

nandi rationem ſpectat, plures adſunt Scriptores, qui hac in re fuerunt occupati, quosque recenſet *Bibliotheca Philoſophica Struuio-Kahliana, T. II. p. 298 ſq.* et *Catal. Bibl. Bunauianae, Tomo I. Vol. 2. p. 1739. ſq.* Ad artis regulas primus redegit hoc argumentum THEODORVS ZWINGERVS in *methodo apodemica, Baſil. a. 1577. in 4* qui liber hodie rarior eſt. Inſtar omnium eſſe poteſt CAROL. CAESAR BAVDELOT de DAIRVAL, qui Tractatum edidit *de l'utilité des Voyages, qui concerne la connoiſſance des Medailles, Inſcriptions, Statues, Peintures anciennes, Manuſcrits,* caet. *et l'avantage que la recherche de toutes ces Antiquités procure aux Savans, à Paris 1686.* ac deinceps *1693 Tomis II. in 12.* Auctiorem et emendatiorem editionem, *Rhotomagi a. 1727. ead. forma* exhibitam, celeberrimus KAHLIVS memorat in *cit. Bibl. Philoſoph. Struuiana, T. II. p. 301.* Multa hic Auctor Gallicus cura expoſuit, quicquid ad ſtatuarum, inſcriptionum, picturarum, numiſmatum, manuſcriptorum, aliarumque rerum notabilium cognitionem vtile eſt ac neceſſarium. COLERVS huic §pho ſubiunxit ſequentia: *Addantur, qui et ipſi artem erudite peregrinandi calluerunt, Sponius, Mabillonius, Montfauconius, Benedictini in Itinerariis ſuis litteratis,* (Martenius ac Durandus) *Wallinus, Nemeitzius, Maichelius, aliique. Inter celeb. Pfaffii ſcripta promiſſa exſtat quoque Hiſtoria itineris Germanici, Belgici, Anglici, Italici, Gallici, cum inſertis doctorum virorum ad Autorem litteris. Vid. Introductio in Hiſt. Theol. litt. Tomo III. p. 548. et quae ſigillatim de recenſione MStorum, in itinere ſuo facta, monet Tomo I. p. 24. De ſubſidiis ad ſtudium peregrinatorium, et Auctoribus huc ſpectantibus, legatur quoque Dornius in Biblioh. Theol. critica lib. I. cap. 5.* Nos horum Itinerariorum partem, cum optimis iis, quae nouiſſime prodierunt, in *Tomo II. cap. 8.* ſtudioſe recenſebimus.

FINIS TOMI I.

IENAE, LITTERIS TENNEMANNIANIS.

BIBLIOTHECA REGIA

Struve, Burkhard Gotthelf, 1671-1738

Bibliotheca Historiae Litterariae Selecta Olim Titulo Introductionis In Notitiam Rei Litterariae Et Usum Bibliothecarum Insignita

Bd.: 1

Ienae (1754)

Hbh/Bj 205-1
urn:nbn:de:bvb:12-bsb10799353-6
VD18 8038515X-001